LIBER QVARTVS
DE PRÆDICAMENTIS
ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

De huius libri Authore, inscriptione, & obiecto.

1. ARISTOTELES huius operis Author, natione macedo, patriâ stagirites fuit, natus est vt vult Apollodorus anno 1. Olympiadis 99. ante Christum annis 371. aut, vt alij volunt annis 329. Socratis discipulus fuit ad annum vigesimum; & inde Platonis ad annum 40. tum accersitus à Philippo, Persarum Imperatore, ad instruendum Alexandrum Magnum, quindecim annorum Iuuenem, qui plus Aristoteli, quam Philippo patri debere se, palam profitebatur, quòd à patre viuere tantùm; ab Aristotele rectè viuere recepisset. Philippus autem tanti eum fecit: vt patriam ipsius, quam antea solo æquauerat, exædificari iusserit. Post septennium Athenas profectus Lycæum aperuit, & per tredecim ferè annos publicè Philosophiam docuit, tandemque obijt anno ætatis 63. in calcide Euboæ insulæ, lacrymisque priùs effusis, vt testatur Rodiginus lib. 6. c. 34. alijque authores, primam causam implorauit his verbis *causa causarum miserere mei.* Reliquit autem suæ cathedræ successorem Theophrastrum discipulum.

Quàm multos porro libros conscripserit, vix credi potest, sed maior pars, temporum iniuriâ perijt: imo multi eorum qui extant, ab eo conscripti esse negantur, inter quos est liber iste Categoriarum, quem Iamblicus Philosophus Platonicus, ipsius esse negat, teste Boëtio: cæteri tamen affirmant, quòd idem sit stilus, ac Phrasis, subtilitas non absimilis,

& consentiens doctrina cum alijs ipsius operibus. Vnde eius meminit 1. Topic. c. 7. lib. 3. Phys. cap. 1. & lib. 5. c. 1. in fine, & alibi.

2. Vulgò autem inscribitur *Aristotelis categoriæ*, quod vocabulum à forensi vsu ad gymnasia traductum ab Aristotele credidit Porphyrius Κατηγορία quippe significat accusationem, quæ fit in iudicijs, à verbo Κατηγορέω, accuso. Fortè quia sicut ille, qui alium accusat in iudicio, ordinare solet crimina, quæ reo obijcit: ita hic ordinentur, & disponantur prædicata, quæ primæ substantiæ tribuuntur.

Aliorum tamen magis placet interpretatio, Κατηγορίαν, idem esse ac prædicationem, seu enunciationem, aut prædicatorum seriem, vt viuens, animal, homo. Et Κατηγορέω idem quod prædico, enuncio, prædicata dispono. Hic enim res omnes in quibusdam veluti classibus disponuntur, vt superiora de inferioribus debito ordine prædicentur: vnde hæ classes *categoriæ* dictæ sunt, & latinè *prædicamenta*, cuius vocabuli Boëtium authorem faciunt. Vnde categoria, seu prædicamentum, nihil aliud erit, quàm ordo, seu series multorum prædicatorum sub aliquo genere summo: quamuis aliquando sumatur pro solo summo genere cuiuslibet classis, & prædicamenti, quasi per antonomasiam, quia prima, & summa genera primò, & præ cœteris de prima substantia prædicantur: & ita vsurpat Damasc. c. 20. dialect.

Tractatus iste in tres diuiditur partes, prima est de Anteprædicamentis, seu de quibusdam ad categoriarum intelligentiam necessarijs. Secunda est de ipsis prædicamentis. Tertia denique continet aliqua, de quibus facta fuit mentio in superioribus, quæ in ipsa explicantur: & vocatur postprædicamenta. Quem nos ordinem seruabimus, vbi aliqua de obiecto, & instituto operis dixerimus.

3. De obiecto huius tractatus, eodem modo Philosophandum est, quo supra de vniuersali. Debet autem intelligi de obiecto partiali, & proprio isti operi, quia de obiecto adæquato, in quod, tanquam in præcipuum scopum, cœtera omnia diriguntur, sufficienter egimus lib. 1. q. 4.

Itaque obiectum remotum, & veluti materia huius libri, sunt res ipsæ, de quibus agitur, nimirùm substantia, quantitas, relatio, &c. dum enim in eo distinguntur genera, species, & differentiæ: dum earum natura, & proprietates aperiuntur, suppeditatur materia ad diuisiones, definitiones, & propositiones conficiendas, & consequenter ad rectè construendos syllogismos. Ideoque Logica non considerat res ipsas secundùm se, vt sæpe dictum est, quia hoc ad Physicam, Metaphysicam, & Mathematicas pertinet: sed solùm prout secundis intentionibus subiecti, prædicati, superioris, inferioris, &c. subiacere aptæ sunt, & ad conficienda sciendi instrumenta, præsertim syllogismum, ordinantur. Vide quæ diximus de obiecto operis vniuersalium.

QVAESTIO I.

De anteprædicamentis.

4. ARISTOTELES ſua anteprædicamenta, quatuor primis capitibus comprehendit. In primo tradit definitiones æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum: quibus nos addemus definitionem, & doctrinam Analogorum. In ſecundo agit de complexis, & incomplexis, vt oſtendat quæ reponi debeant in prædicamentis, & quæ excludi. In tertio tradit duas regulas, ſeu documenta ad cognoſcendum plenius ea quæ in prædicamentis collocantur. In quarto diuidit, & diſtribuit ens in decem claſſes, & categorias. Hæc omnia expendemus in hac quæſtione prima.

SECTIO I.

De æquiuocis.

DVOBVS maximè modis poteſt res aliqua per voces exprimi, & ſignificari; nimirum per nomen aliquod, & per definitionem. Sic homo ſignificari poteſt per hoc nomen *homo*, & per hanc definitionem, *animal rationale*, vbi clarè exprimitur quod per nomen obſcurè ſignificatur. Poteſt autem nomen vnum multis, & diuerſis rebus ſignificandis aptari, non verò definitio. Vnde quibus idem nomen eſt, eademque definitio, omninò inter ſe conueniunt, dicunturque vniuoca, ſeu ſynonyma. Quæ verò diuerſam omninò definitionem habent, & idem prorſus nomen, dicuntur æquiuoca, ſeu homonyma. At ſi in nomine partim conueniant; & partim differant, itemque in definitione, appellantur denominatiua, ſeu paronyma. Quæ tandem ſub eodem nomine habent rationem ſignificatam, partim eandem, partim diuerſam, dicuntur analoga, de quibus vltimo loco.

Sicut autem homonymia, ſynonymia, & analogia reperitur in vocibus, ita reperitur in rebus in ordine ad voces, quibus ſignificantur. Vnde ſicut hoc nomen *canis*, eſt homonymum, ſeu æquiuocum: ita

res significatæ, scilicet canis terrestris, marinus, & cœlestis, sunt homonymæ secundùm nomen illud. Quo fit vt voces dicantur æquiuoca æquiuocantia, vniuoca vniuocantia, analoga analogantia: res verò, æquiuoca æquiuocata, vniuoca vniuocata, analoga analogata.

5. Æquiuoca, de quibus nobis hic quæstio est, diuiduntur primò in æquiuoca à casu, & æquiuoca à consilio. Illa dicuntur purè æquiuoca, & ea sunt, quorum nomen casu, & fortuitò pluribus rebus aptatum est, vt *gallus* respectu galli gallinacei, & hominis ex Gallia nati. *Taurus* respectu montis, cœlestis syderis, & animalis. Ista verò sunt, quibus idem nomen datum est consultò, & ex deliberatione, vt *homo* respectu hominis veri, & picti. *Ridere* respectu hominis, & prati. Et hæc in duo præcipuè diuiduntur, scilicet in æquiuoca propter memoriam, & in æquiuoca propter spem, vel desiderium. Propter memoriam quidem, quando amore alicuius, nomen illius alteri imponimus: vt nomen Ioannis, propter memoriam, & affectum erga diuum Ioannem. Propter spem verò, vt nomen Alexandri, propter spem magnanimitatis, & desiderium vt ipse euadat similis Alexandro. Hæc enim nomina, quatenùs tribuuntur pluribus indiuiduis, sunt æquiuoca, quia significant illa, vt determinata per suas differentias indiuiduales, quomodo sunt omninò diuersa.

Secundò diuiduntur in purè æquiuoca, & in æquiuoca secundùm quid. Purè æquiuoca sunt æquiuoca à casu, vt diximus, in quibus nulla est conuenientia, nullaque reperitur in rebus ipsis habitudo, & proportio, propter quam, idem nomen habeant. Æquiuoca verò secundùm quid, habent quandam habitudinem, & conuenientiam, propter quam idem nomen eis impositum est, vt *sanum* respectu animalis, coloris, & medicinæ, quæ omnia sana dici consueuerunt. Et hæc sunt analoga, vt infra patebit. Ista autem acceptio patet in Aristotele, qui isto capite pro exemplo æquiuocorum attulit hominem verum, & pictum, qui tamen habent quandam habitudinem, & conuenientiam, quatenus pictus, est imago veri. & 1. Elench. c. 6. videtur dicere ens esse æquiuocum: & tamen 4. Metaph. c. 2. dicit non esse æquiuocum, sed se habere vt sanum, quod ex communi consensu analogum est. Et sic æquiuoca sumuntur amplè, prout comprehendunt analoga: & strictè, prout ab eis distinguntur. His positis.

6. Dicendum est primò, recte definiri æquiuoca ab Aristotele, hoc modo. *Æquiuoca dicuntur quorum solum nomen comune est; ratio verò substantiæ, nomini accommodata diuersa.* Definiuntur in plurali, quia in vna re sola non potest æquiuocatio reperiri, nisi cum alijs nomen aliquod commune participet. Posuit autem *dicuntur*, non vero *sunt*. Quia, vt notat Boëtius, res secundùm se non sunt æquiuocæ, sed in ordine ad nomen, quo exprimuntur. Sequitur, *quorum solum nomen commune est.* Illud hic commune dicitur, quod indiuisum in se

manens, à multis participatur, quomodo vox ab aliquo prolata, ad aures omnium audientium indiuisa peruenit: quo fit vt nec accentus quidem, nec genus grammaticale variari debeat: vnde *Populus* primâ longâ significans arborem; & primâ breui significans multitudinem hominum, propriè æquiuocum non est.

Per nomen autem intelligitur quæcunque dictio, & pars orationis significatiuæ, in quo sensu ab Aristotele vsurpatum est 1. de interpretatione c. 3. & 1. Topic. c. 13. & 1. Elench. c. 1. vnde æquiuocatio reperitur in verbis, in participijs, in præpositionibus. Sic *lego* ad legere & legare: *fero* ad portare, & tolerare, *in*, ad contra, & super, vt si dicas *Caietanus scripsit in diuum Thomam*, æquiuoca sunt. Positum est autem *solum nomen*. Non vt excludatur quæcunque conuenientia: nam gallus auis, & homo gallus conueniunt in animali, &c. sed vt ostendatur, nullam debere sortiri conuenientiam secundùm quod tali nomine significantur: & ideò additur, *ratio verò secundùm nomen, vel ratio nomini accommodata diuersa*. Quod explicandum superest.

In græco itaque ponitur λόγος τῆς οὐσίας. Λόγος autem significare potest conceptum mentis formalem, aut obiectiuum; siue sit simplex apprehensio, siue compositio. οὐσία verò significat vel substantiam, quæ ab accidente distinguitur, vel, vt in hoc loco, essentiam, & quidditatem rei. Vnde Arist. 5. Metaph. c. 8. ait, *quod quid erat esse, cuius ratio definitio est, vniuscuiusque substantia dicitur*. Et hoc modo ratio substantiæ dici potest de accidentibus, quibus etiam conuenit æquiuocatio, non secus ac substantiæ. Hic ergo *ratio substantiæ* significat definitionem, & essentialem rei conceptum, siue formalem, vt volunt Ammon. Simpl. &c. siue obiectiuum, vt asserit Boëtius, Sotus &c. & ita sensus definitionis erit: æquiuoca ea esse, quæ eodem vocabulo significantur, & secundùm tale vocabulum diuersas habent definitiones, aut essentias. Vnde Aristoteles ait, *si quis assignet vtriusque rationem, propriam vtrique assignabit*. Quod non contingit, in vniuocis: nam ratio animalis, quæ inuenitur in homine, equo, leone, vnicâ definitione, omnibus communi explicatur, nempe quòd sit *viuens sensibile*.

7. Dicendum est secundò, hic definiri æquiuoca æquiuocata, seu res nominibus significatas. Patet ex ipso textu definitionis, vbi habetur, *æquiuoca dicuntur, quorum nomen commune est*: nam ea, quorum nomen commune est, sunt res ipsæ, nomine significatæ: ergo ipsæ hic definiuntur. Si quis autem nominum æquiuocorum definitionem velit, sic poterit eam efformare. *nomen æquiuocum est quod est commune multis rebus secundum diuersas rationes*. At verò *nomen vniuocum est quod multa significat secundum eandem rationem*, vel potiùs *eandem rationem in multis*.

Obijcies primò: quæ definiuntur, debent habere rationem aliquam communem, vt vnâ possint definitione explicari, ex omnium consensu:

æquiuoca verò habent rationes essentiæ omninò diuersas, ex definitione iam data: ergo definiri non possunt.

Respondeo, distinguendo minorem: æquiuoca materialiter sumpta pro rebus ipsis, vno nomine significatis, habent quidem naturas, & essentias particulares omninò diuersas; & sic non possunt vnâ definitione comprehendi. Formaliter verò sumpta, &, vt aiunt, secundò intentionaliter, omnimodè inter se conueniunt omnia: videlicet in hoc quòd habent idem nomen, & secundùm tale nomen essentias omninò diuersas. Vnde possunt vnicâ explicari definitione, cuius genus erit habere idem nomen, sicut vniuoca, & analoga; differentia verò, sub tali nomine habere diuersas prorsus essentias, & definitiones, quod alia non habent. Nihil enim prohibet ea, quæ secundùm essentiam differunt, conuenire in aliqua proprietate, præsertim rationis. Vnde licet substantia, & accidens dicantur analoga essentialiter, tamen esse generis, esse speciei, vniuocè eis conuenit, imò & enti rationis, vt volunt.

8. Obijcies secundò: nomen æquiuocum diuersas habet significationes, cùm diuersa significet. Vnitas autem nominis non tam sumitur à voce, quæ tenet locum materiæ, quàm à significatione, quæ vicem habet formæ. Igitur æquiuoca non possunt dici simpliciter habere vnum nomen commune.

Respondet Albertus magnus hic tract. 1. c. 2. significationem esse extra rationem nominis: sed eius materiam esse vocem; formam verò esse dearticulationem illius: & ita omnia æquiuoca eodem prorsus nomine gaudere, quia vox, & dearticulatio nominis, quo significantur, est eadem. Verum ab Aristotele lib. 1. de interpret. c. 2. nomen definitur *vox significatiua*, & ideo significatio est de essentia nominis. Quare.

Dicendum est nomen æquiuocum, esse simpliciter vnum nomen, licet diuersas habeat significationes. Vt enim optimè docet diuus Thomas 1. p. q. 36. art. 4. ad 7. & q. 39. art. 3. Caiet. ibidem, Tataretus etiam, & alij, nomina adiectiua, & concreta, cùm significent per modum accidentis, hoc est dicant formam concernendo subiectum: & ex modo significandi supponant pro subiecto: ad eorum multiplicationem non sufficit multiplicatio formarum: sed requiritur multiplicatio suppositorum, aut subiectorum. Vnde sortes, quamuis habeat plures artes, non dicitur plures artifices. Et ita nomen æquiuocum *canis*, cùm sit concretum, ex significatione, & voce coalescens, licet plures habeat significationes, tanquam plures formas: vnicum tamen nomen est, quia tales formæ sunt in vnica voce, tanquam in vno subiecto.

Dicunt aliqui, vnicum esse nomen materialiter, quia vnus sonus, vna vox est. Et hoc modo intelligit Aristoteles dum dicit nomen esse commune. Formaliter verò esse plura nomina, quia plures sunt significationes: quamuis ex vsu communi melius dicatur vnum nomen absolutè. Sicut enim, vt rectè ait Scotus 1. Elench. q. 8. nomina, quæ eandem rem

significant, vt sunt quæ synonyma apud Rhetores vocantur, simpliciter plura dicuntur, quia sunt plures voces: ita nomen æquiuocum, licet res plures significet, vnum nomen simpliciter dici debet, quia est vnica vox.

9. Quæres quâ ratione nomen æquiuocum plura significet? Respondeo, nomen æquiuocum absolutè, & sine addito prolatum, non significare determinatè vllam rem ex his, quibus competit: sed esse aptum solummodò in actu primo, vt determinetur ad significandam quamlibet in particulari. Talem autem determinationem fieri per epitheta, aut alias voces additas, quibus mens, & sensus proferentis innotescat. Si quis enim simpliciter proferat nomen *canis*, dubius hærebit intellectus audientis quis canis significetur hoc nomine: si autem addatur *latrabilis*, *cœlestis*, *&c.* statim patebit quid significetur. Si verò quis dicat *canis videt* Excluditur cœlestis; sed non determinatur, an qui videt, sit marinus, vel terrestris. Imò etiam si dicat, *omnis canis mouetur*, licet hoc conuenire possit terrestri, marino, & cœlesti: tamen hæret suspensus animus, an intelligatur omnis terrestris solùm, an etiam marinus, aut cœlestis. Quod non contingit in nomine vniuoco. Si enim dicas, *omnis homo currit*, intelligitur tota hominum collectio. Et hoc est quod alij dicunt, æquiuocum significare plura sub disiunctione, seu disiunctiuè, vt si dicatur, *canis mouetur*, sensus sit, *vel terrestris, vel marinus, vel cœlestis mouetur.*

SECTIO II.

De vniuocis.

10. ARISTOTELES eodem capite primo sic vniuoca, seu synonyma definit. *Vniuoca dicuntur quorum nomen commune est, & ratio substantiæ, nomini accommodata eadem.* Vt homo, & equus, nomine communi animalia dicuntur; & ratio quoque substantiæ vtriusque eadem est. Si quispiam enim vtriusque rationem voluerit assignare, vt animalia sunt, eandem rationem omninò reddet.

Hæc definitio per se satis nota relinquitur ex explicatione definitionis æquiuocorum. Dum enim dicitur nomen esse commune, datur ratio conuenientiæ cum æquiuocis, & analogis: & insuper excluduntur synonyma grammaticorum, quæ sunt plura, eandem rem significantia, vt ensis, & gladius, & dicuntur à Speusippo πολυώνυμα, seu multiuoca, & propriè opponuntur æquiuocis, quia sub eodem nomine diuersam habent rationem; illa verò eandem sub diuersis nominibus. Dum verò dicitur *ratio substantiæ eadem*, ponitur discrimen inter vniuoca, & æqui-

uoca, atque etiam denominatiua, & analoga, quæ rationem partim eandem, partim diuersam habent, vt ostendemus infra.

Sicut autem diximus de æquiuocis, ita de vniuocis dicere debemus, hic definiri vniuoca vniuocata, vt patet ex verbis ipsis definitionis. Vniuoca verò vniuocata, alia dicuntur participantia, alia participata. Ista sunt naturæ communes, quæ eâdem ratione multis communicantur, vt animal respectu hominis, & bruti. Illa verò sunt ipsa inferiora, quibus tales naturæ communicantur, vt homo, & brutum respectu animalis. Et hic definiuntur vniuoca participantia: ipsa enim sunt ea, quibus nomen est commune, & ratio significata, eadem quoque in ipsis est. Vult tamen Boëtius definiri participata, sumpta cum aliquo participante, vt animal, & homo sub nomine animalis. Sic enim habent nomen commune, & rationem nomine significatam, etiam communem. Sed primum est probabilius, quia vt illa ratio diceretur communis participato, & participanti, deberet esse communior ratione, quæ est in omnibus participantibus, & ita reperiri extra illa, quod non est verum.

11. Pro integra verò vniuocorum intelligentia aduertendum est ex Antonio Andræa 4. Metaph. q. 1. Tatareto in commentarijs primi sent. d. 3. q. 3. & alijs, præsertim Scotistis, tria esse vniuocorum genera. Alia dicuntur Physica, alia Metaphysica, alia Logica. Vniuoca Physica sunt ea, quorum ratio significata per nomen contrahitur ad singula per differentias omninò æquales, seu æqualis perfectionis. Et hæc vniuocatio conuenire non potest generibus, saltem omnibus, quia hæc inæqualiter perfecta sunt in speciebus inæqualibus, ob differentias alias alijs perfectiores: propter quod Aristoteles 7. Metaph. cap. 4. dixit in genere latere æquiuocationes.

Species ergo solùm infimæ, dici possunt vniuoca Physica: quamuis hac de re possit esse conuouersia propter eos qui volunt indiuidua eiusdem speciei atomæ, esse alia alijs substantialiter perfectiora: quo posito, tum species ipsæ quamplurimæ: tum genera pleraque, ferè omnia, quamuis sint vniuoca Logica, & Metaphysica, erunt tamen analoga Physica, quæ à diuo Thòma in 1. d. 19. q. 5. art. 2. ad 1. vocantur analoga secundùm esse, & non secundùm intentionem, quia conceptus ex æquo participatur ab omnibus: esse verò naturæ, per conceptum significatæ, reperitur nobiliori modo in vno, quàm in altero: & ob id vocantur etiam analoga inæqualitatis à Caiet. lib. de analogia nominum, cap. 1.

12. Vniuoca Metaphysica sunt naturæ communes abstractæ à differentijs contrahentibus, & nullâ secundâ intentione affectæ, vt natura humana, concepta sine differentijs Petri, Pauli, &c. nec affecta secundâ intentione speciei.

Vniuoca denique Logica sunt eædem naturæ communes abstractæ, sed affectæ secundis intentionibus generis, speciei, prædicati, subiecti, &c. & hæc diuidi solent in essentialia, & accidentalia. Essentialia sunt, quæ participant

participant rationem nomine significatam, essentialiter: hoc est, quando talis ratio est de eorum essentia. Quomodo tria prima vniuersalia de suis inferioribus vniuocè prædicari dicuntur. Accidentalia sunt, quando talis ratio dicitur de ipsis accidentaliter. Quomodo duo posteriora vniuersalia dicuntur vniuocè de suis subiectis, vt album de cygno, niue, calce: risibile de Petro, Paulo. Sicut enim homo, & brutum sub nomine *animal*, habent eandem rationem, & definitionem: ita cygnus, calx, nix sub hoc nomine *album*. Et sic data definitio vtrisque cõuenit. Sæpe tamen Aristoteles nomine vniuoci, sola essentialia comprehendit: vnde cap. de subst. in prædicamentis ait, proprium esse secundæ substantiæ, vniuocè prædicari de prima. Sed tunc strictiùs sumit nomen vniuoci.

Scotus autem in 3. d. 7. q. 1. numero 5. dicit aliud esse prædicari vniuocè, aliud esse prædicatum vniuocum. Ad illud requiritur, vt ratio significata per prædicatum, sit essentialis subiecto: ad istud sufficit, vt ratio significata per nomen, sit eadem in ijs, de quibus prædicatur, licet non sit eis essentialis, vt album respectu cygni, calcis, niuis.

13. Aduertendum est secundo ex Francisco de Marchia apud Tataretum in 1. sent. d. 3. q. 1. quadruplicem esse vniuocationis gradum. Primus, & perfectissimus est quando ratio significata, est in primis eadem substantialiter in omnibus, eam participantibus: secundò est etiam eiusdem perfectionis: tertiò habet eundem essendi modum in illis, quartò eodem ordine essentiali ab ijs participatur. Cœteri tres gradus aliquâ ex tribus postremis conditionibus carent.

Primus itaque gradus conuenit solis speciebus atomis, in quibus differentiæ indiuiduales sunt æqualis omninò perfectionis, quod si verum sit in specie humana, homo erit vniuocum primi gradus, quia dicit naturam, quæ eadem essentialiter est in singulis hominibus; & insuper æqualis perfectionis substantialis: eundem quoque modum essendi habet in illis: neque enim alio modo est in Petro, alio in Paulo: neque in vno est dependenter ab alio: sed cum ijsdem omninò conditionibus. Denique eodem ordine essentiali ad omnes descendit; neque prius Petro, quàm Paulo conuenit, aut communicatur.

Secundus gradus est, quando ratio communis est quidem eadem in inferioribus, & secundùm eundem essendi modum, atque cum eodem ordine essentiali, sed non cum æquali perfectionis gradu, vt se habent multa genera, vt animal, quod perfectius est in homine, quàm in equo, ratione differentiæ, à qua substantialiter perficitur, vt potentia ab actu.

Tertius gradus est, quando eadem ratio, cum eodem essendi modo, & absque dependentia vnius ad aliud; non tamen cum eodem ordine essentiali inuenitur in suis inferioribus. Ita se habet numerus, qui per prius essentialiter descendit ad binarium, quàm ad ternarium. Hæc tamen prioritas non videtur proprie essentialis, & in ratione numeri: sed tantùm materialis, & Physica, quatenùs ternarius coalescit ex tribus

vnitatibus, & ita ſupponit duas vnitates, ex quibus additâ tertiâ componatur. Cœterum ratio numeri non priùs formaliter competit binario, quàm ternario

14. Quartus denique gradus eſt, quando ſola ratio vniuoca ſecluſo eodem modo eſſendi, & eodem ordine eſſentiali, & æquali perfectionis gradu, reperitur in ſuis inferioribus. In hoc vltimo vniuocationis gradu dicitur eſſe ens. Habet enim vnitatem conceptus, & rationis communis Deo, & creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti, licet non habeat eundem eſſendi modum, quia in Deo eſt independens, in creatura dependens. Item in ſubſtantia eſt ſuo modo independens, & in accidente dependens. Non habet etiam eundem ordinem eſſentialem, quia ratio entis priùs eſſentialiter eſt in Deo, quàm in creatura. Nec denique eundem perfectionis gradum, quia in Deo eſt perfectiſſima. Sed huiuſmodi defectus conſtituunt tantùm analogiam Phyſicam; Logicam verò, aut Metaphyſicam vniuocationem non auferunt ex Scotiſtis, qui in ente vniuocationem cum analogia ſimul ſtare poſſe contendunt. De quo nos dante Deo in Metaphyſica.

Iuxta hanc ergo ſententiam poteſt ſtatui duplex vniuocorum genus in communi: aliud, in quo natura communis æquè primò participatur ab inferioribus, nec per dependentiam eſſentialem vnius ab alio. Aliud, in quo natura, licet communis, & vna, priùs tamen deſcendit ad vnum, quàm ad aliud; priùs conuenit uni, quàm alteri propter ordinem dependentiæ eſſentialis: vt ens reſpectu Dei, & creaturarum. Et ratione illius dependentiæ poteſt dici analogum, ſaltem Phyſicum: ratione verò vnitatis naturæ, vniuocum; atque adeò vniuocum analogum.

Neque obſtat quòd natura entis præciſa, non includat differentias dependentiæ, & independentiæ, & ita videatur debere dici planè vniuoca, non analoga. Quia ſemper ratio illa abſtracta, eſt exigitiua fundamentaliter differentiarum illarum; & ideo eſt analoga, ſaltem Phyſicè: quia purum vniuocum poſtulat, æquè primò participari ab inferioribus. Imò genera, quæ Phyſicè analoga diximus, hoc modo æquè primò participantur, & abſque dependentia eſſentiali vnius ab alio. Vnde in ente aliquid analogiæ plus reperitur, quam in generibus alijs. Et hæc ratio poteſt ſufficere ad ſtatuendam puram analogiam in ente abſque vniuocatione, licet habere dicatur vnitatem illam conceptus, vt dicetur in Metaphyſica.

SECTIO III.

De paronymis, seu denominatiuis.

15. PARONYMA, inquit Aristoteles, *ea dicuntur quæ nominis appellationem habent ab aliquo, à quo differunt casu.* Vt grammaticus appellationem habet à grammatica, fortis à fortitudine, album ab albedine. Et hæc omnia differunt casu, seu cadentiâ, & terminatione nominis ab his, à quibus denominationem, & appellationem sortiuntur, vt patet. Cicero in partitionibus, & Varro 4. de lingua latina, vocant ea cognominata.

Pro intelligentia autem huius definitionis aduertendum est primò tria posse considerari in quouis denominatiuo, v. g. *albo*, quod ab albedine denominationem sumit. Primum est forma per se sumpta, nempe albedo. Secundum, ipsum subiectum, in quo est talis forma, vt calx, nix, cygnus. Tertium denique, compositum, seu concretum ex forma, & subjecto, quod denominatur album. Forma dicitur denominans: subiectum dicitur denominatum: concretum verò ex forma, & subiecto, dicitur denominatiuum, quod, si sumatur pro re significata, dicitur denominatiuum denominatum: si verò sumatur pro nomine significante, dicitur denominatiuum denominans.

Aduertendum est secundò ex Ammonio, Simplicio, & alijs, quatuor maximè requiri conditiones, vt aliqua sint paronyma: duæ se tenent ex parte nominis, & duæ ex parte formæ significatæ. Ex parte quidem nominis primò requiritur vt denominatiuum conueniat in principio nominis cum eo, à quo nomen sortitur: secundò vt in fine nominis ab eo differat. Ex parte verò formæ necessarium est vt vtrumque eandem formam importet: alioqui non esset maior ratio cur ab vno potiùs, quam ab alio denominarentur. Et deinde vt differant in modo significandi talem formam, alioquin esset res eadem bis repetita. Et hæ quatuor conditiones sufficienter exprimuntur in prædicta definitione, vt consideranti patebit, & declarantur in dato exemplo *albi*. Albedo enim, & album conueniunt in principio nominis, & differunt in fine: significant etiam eandem formam albedinis: sed albedo eam significat in abstracto, & quasi à subiecto auulsam: album verò in concreto, & in subiecto inhærentem.

16. Sunt tamen aliqua nomina, quæ licet non differant terminatione, vt grammatica, sumpta pro arte grammaticæ, & pro muliere habente artem illam: tamen censeri debent paronyma, quidquid in contrarium dicat de Raconis, & alij. Quia per accidens est quòd casu non differant, vt rectè ait Caiet. & quia principaliùs debet considerari modus significan-

di, cùm propter eum exprimendum vtamur vocabulis, diuersimodè compositis. Vnde si nomen significet formam in subiecto, quamuis non differat casu à nomine, significante eam in abstracto, non minùs debet censeri paronymum. Patet autem quod grammatica, musica, &c. sumpta pro muliere, significant formam in subiecto, & concretiuè.

Tria porro distingui solent denominatiuorum genera: alia dicuntur denominatiua re, non voce, vt studiosus, & virtus, significantia eandem formam. Alia non re, sed voce, vt studiosus, & studium. Alia re, & voce, vt fortis, & fortitudo; iustus & iustitia. Et hæc sola vltima propriè, & simpliciter denominatiua censeri debent. Cum enim esse denominatiuum non conueniat rebus solis, nec solis vocibus, sed rebus vt significantur vocibus, aut vocibus, vt significant res, requiritur vtriusque conuenientia, & communitas, vocis nimirùm, & formæ significatæ, modo explicato.

Idem porro dicendum est de denominatiuis, quod de vniuocis, & æquiuocis diximus supra; scilicet hic definiri denominatiua denominata, contra Ægidium, & Marsilium, hoc est concreta ex forma, & subiecto; *aut ipsas formas, vt subiectum concernunt*, seu concretiuè designatas. Quando enim dicitur paronyma habere nominis appellationem ab aliquo, satis ostenditur sermonem esse de forma aliqua, vnde appellatio deriuetur. Sicut enim forma *albedo*, est causa concreti, *albi*, per informationem: ita nomen, *album*, est effectus huius nominis, *albedo*: ita vt denominatum habeat hoc nomen, *album*, quia est effectus formæ, habentis idem nomen. Vnde res denominatæ dicuntur differre casu, non ratione sui, sed ratione nominis, quod habent ab alio. Præterea denominatiuum dicitur tale à forma significata, vt iustus à iustitia: nomina autem non sic dicuntur. Neque enim nomen hoc, *iustus*, à iustitia sibi inhærente, iustum dicitur, sed homo.

17. Quæres, vtrum superiori definitione comprehendantur tantùm paronyma accidentalia, quæ à forma, subiecto accidentali, desumuntur, vt album ab albedine: non verò essentialia, quæ à forma ipsi subiecto, seu denominato, essentiali denominantur, vt homo ab humanitate, rationale à rationalitate.

Respondeo, probabile esse vtraque comprehendi. Nam rationale appellationem habet à rationalitate, & ab ea casu differt. Deinde Aristoteles fuisset diminutus in tradenda definitione paronymorum, omittendo dicere formam debere esse accidentariam. Tertiò quod Toletus, Complutenses, & alij dicunt, hanc conditionem in definitione significari per particulam *ab alio*, quæ importat distinctionem formæ à subiecto: non satisfacit, quia primò in textu non est *ab alio*, sed *ab aliquo*. Secundò hic non definitur subiectum formæ denominantis, vt cygnus, calx respectu albedinis; sed ipsum denominatiuum, nempe album, seu concretum ex albedine, & re denominata: hoc autem concretum includit es-

sentialiter formam, à qua deriuatur, & secundùm rem, & secundùm nomen, vt constat. Vnde licet in definitione esset *ab alio*, non rectè colligeretur formam esse accidentalem subiecto denominato. Et forma ipsa in abstracto sumpta, sufficienter differret à seipsa in concreto sumpta, vt diceretur alia.

Communis tamen sententia est, sola denominatiua accidentalia definiri ab Aristotele. Vnde Theologi communiter dicunt, nihil dici de Deo denominatiuè, hoc est accidentaliter. Volunt autem Louanienses formam denominatiui debere esse accidens naturâ suâ. Sed istæ prædicationes *circulus est aureus, cathedra est lignea*, non minùs denominatiuæ sunt, quam ista *paries est albus*, & similes. Aliqui alij dicunt talem formam debere esse accidens commune. Verùm nihil cogit dicere hanc prædicationem, *homo est risibilis*, non esse denominatiuam.

Cæterùm si primæ opinioni malis adhærere, dicendum erit, Aristotelem, si alicubi magis in hanc partem inclinet, pressiùs sumere denominatiua, quàm eorum natura necessariò postulet. Idemque de Theologis est censendum.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Quid primariò significet denominatiuum.

18. DVo sunt in denominatiuo, forma nempe, & subiectum, & hic quærimus quodnam ex his duobus primariò, & præcipuè significetur, vtrum forma, vel subiectam. *v. g.* vtrum album significet albedinem, an subiectum albedinis. Circa hoc.

Opinio fuit Auicennæ teste Auerroe 5. Metaph. c. de ente, primariò significari subiectum: secundariò, & minùs principaliter formam. Contrarium autem probatur, quia denominatiuum significat subiectum propter formam, vt album significat niuem, aut calcem propter albedinem: ergo magis significat ipsam formam, iuxta commune axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Præterea Aristoteles vocat prædicamentum quantitatis, *quantum*; qualitatis, *quale*: ergo *quantum* & *quale* magis significant formam, alioquin referrentur ad prædicamentum substantiæ, quæ est eorum subiectum.

Alexander dicit, titulum *de quali*, irrepsisse librariorum culpa, titulum verò Aristotelis esse *de qualitate*. Boëtius verò vtumque titulum vult ab Aristotele fuisse præfixum, quia de vtroque agit. Verùm licet vterque verisimiliter sentiat, tamen Aristoteles 5. Metaph. c. 7. prædica-

menta in concreto nominat, dicens, *quæ prædicantur, quædam ipsum quid est significant, quædam quale, quædam quantum*, &c. & ideo hæc paronyma formam principaliter significare debent, ob rationem factam.

19. Opinio diui Thomæ est 1. sent. d. 18. q. 1. art. 2. ad 3. & 7. Metap. lect. 1. Iauelli ibidem q. 2. Caiet. c. 7. de ente, & essentia, in conclusione, post medium; Masij, Complutensium &c. subiectum non includi in significatione nominis, significantis accidens concretiuè, seu non esse partem significati per nomen concretum, & denominatiuum: adeò vt sola forma significetur connotando subiectum, in quo subsistit; seu sola forma vt inhærens substantiæ.

Ratio est primò, quia Aristoteles in prædicamentis, c. de subst. post medium, ait album nihil nisi qualitatem significare.

Secundò. Ista propositio, *homo est albus*, est accidentalis; ergo res significata per prædicatum, est id, quod potest adesse, & abesse à subiecto, & quod est accidens respectu illius; hoc autem est albedo, non verò homo.

Nihilominùs capite illo de subst. non est in textu græco *qualitatem*, sed *quale*: & tantùm vult ibi Aristoteles dare discrimen inter secundas substantias, & qualitates, quòd secundæ substantiæ significent *quale quid* scilicet ad quidditatem, & essentiam rei pertinens: qualitates verò significent *quale* absolutè, hoc est, concretum accidentale, seu aliquid extrinsecum, & accidentale substantiæ.

Ratio autem facta, tantùm conuincit hoc nomen, *albus*, in illa propositione significare formaliter, & primariò formam: subiectum verò secundariò, & quasi materialiter: in illa autem haberi debere rationem formalis, & principalis significati.

Deinde sicut Authores isti aiunt nomen concretum accidentale significare formam, & tamen supponere pro subiecto, vt nos quoque diximus q. de genere, numero 23. ita dici potest album in dicta propositione, quamuis significet subiectum, supponere tamen pro forma, quia ponitur loco prædicati, quod subit vicem formæ ex communi vsu: ideoque suppositio eius pro subiecto, quodammodo impeditur propter situm prædicationis, & leges appellationis: magisque attenditur in illo ipsa forma, vt ipsi Complutenses loquuntur disp. 4. numero 21. in fine.

20. Videtur itaque dicendum, paronymum accidentale extra propositionem, & absolutè prolatum, significare primariò, formaliter, & principaliter ipsam formam; secundariò verò subiectum, cui forma inhæret. Et hoc probant rationes allatæ contra Auicennam. In propositione verò, & prædicatione aliter se res habere potest. Quando enim denominatiuum ponitur ex parte subiecti, & forma se habet per accidens ad prædicatum propositionis, vt in istis, *musicus ædificat: album currit*, formaliter significatur subiectum, & musica, aut albedo per accidens: neque enim musica est ratio, cur prædicatum, *ædificat*, dicatur de subiecto: quod ta-

men concedendum esset, si musicus formam significaret formaliter: quia prædicatum caderet supra musicam; & sensus esset, musicum. vt musicum ædificare.

Similiter: quando duo accidentia in concreto sumpta, & in eodem existentia subiecto, constituunt propositionem, vt istam, *album est dulce*, in lacte. Patet *album* non importare primariò formam albedinis, sed ipsum lac: alioquin albedo, & dulcedo de se inuicem formaliter prædicarentur, saltem in concreto.

Item: quando forma denominatiui est tantùm conditio, sine qua prædicatum non conueniret subiecto: tunc primariò significatur subiectum. Vt dum dicitur *ignis approximatus comburit*, approximatio est tantùm conditio, sine qua ignis non combureret, ideoque primariò significatur ipse ignis sub ratione approximati.

At verò: si forma denominatiui sit ratio, propter quam prædicatum conuenit subiecto, primariò significatur ipsa forma, vt in ista propositione, *album disgregat visum*. Albedo enim est causa disgregationis visus, & subiectum se habet ad hoc per accidens.

Denique: si denominatiuum sit ex parte prædicati, formaliter significatur forma, & secundariò subiectum, vt in ista, *Petrus est albus*: alioquin sensus esset, *Petrus est Petrus albus*, si nimirum primariò subiectum significaretur.

Nihilominùs, si diui Thomæ sententiam sequi mauis, ad prædictas rationes respondere oportebit, formam tantùm significari per denominatiuum: ex modo tamen significandi concretorum, connotari subiectum: ita vt vtplurimùm in propositionibus fiat suppositio pro subiecto ipso; maximè quando concretum ponitur ex parte subiecti. Imò tunc non tantùm supponit pro subiecto, sed etiam talem suppositionem exercet. Dum verò ponitur ex parte prædicati, licet non amittat propriam suppositionem: ipsa tamen impeditur aliqua ratione; & tunc in illo maximè attenditur forma, & res significata.

SECTIO IV.

De analogis.

21. MAGNA satis est opinionum diuersitas in materia de analogis, nata ex diuersa intelligentia ipsius analogiæ, secundùm quod accipitur ab Aristotele, & à Mathematicis, ideò paulò longior erit ista sectio, vt faciliùs quilibet intelligat, quæ analoga dici debeant.

PRIMA PARS SECTIONIS.

De natura analogiæ, & analogorum in communi, eorumque diuisione.

ANALOGIA, græcum nomen est, significans proportionem, proportionalitatem, comparationem: vnde ἀνάλογον, idem est quod proportionatum, proportione simile, proportione ad aliud respondens, vt constat ex Aristotele 2. de anima c. 9. textu 93. & 1. Ethic. cap. 6. atque ita ἀναλογέω significat proportionem habere, & rationis similitudinem. Vnde patet analogiam importare conuenientiam aliquam, simul cum diuersitate, & inæqualitate. Si enim res, inter quas dicitur esse analogia, omnimodè conuenirent, non esset inter eas proportio, & similitudo, sed identitas; & si omnino differrent, non haberent proportionem, sed essent purè æquiuoca.

Proportio autem, quæ propriè reperitur inter quantitates, & inde ad res alias traducitur, nihil aliud est ex Euclide lib. 5. elem. defin. 3. nisi *certa duarum quantitatum eiusdem generis proximi, vnius ad alteram habitudo.* Per idem genus proximum significatur comparationem debere fieri inter duas lineas, duo corpora, duos numeros, &c. quia si fiat comparatio inter lineam, & superficiem, non erit proportio, quia quantitates comparatæ, non sunt eiusdem generis proximi. Sed cùm vix vlla sit quantitas, quæ comparata cum alia, non possit habere aliquam relationem, & habitudinem ad illam, ideo proportio absolutè definiri potest, *habitudo vnius quantitatis ad aliam.*

22. Proportionalitas ibidem ab Euclide definit. 4. definitur *similitudo seu comparatio proportionum.* Et ita sicut proportio est habitudo quantitatum: ita proportionalitas est habitudo proportionum. Aliqui tamen geometræ & ipse Arist. 5. Ethic. c. 6. habitudinem inter quantitates vocant rationem; habitudinem verò inter rationes, vocant proportionem, seu analogiam, & rationum similitudinem: quo fit, vt proportionalitas requirat quatuor terminos, qui ita comparentur, vt sicut primus se habet ad secundum, ita tertius ad quartum, qualis cernitur in istis quatuor numeris 12. 6. 4. 2. vt enim 12. se habent ad 6. ita 4. ad 2. quia vtrobique est proportio dupla. Ideoque *proportionalitas est æqualitas proportionum, seu rationum*, vt eam post Aristotelem definit D. Thomas 5. Ethic. lect. 5. quia omnimodam æqualitatem, seu similitudinem postulat, sicut proportio æqualitatis, qualis est inter 2. & 2. vel 50. & 50. &c.

Hic autem maximè aduertendum est, dum statuimus proportionem, aut

aut proportionalitatem inter numeros, aliasue quantitates, non esse solum attendendum ad rationem communem numeri, aut quantitatis, quia sic esset vniuocatio, non proportio, quæ diuersitatem aliquam postulat, vt dictum est: sed spectandas esse proprias cuiusque numeri, & quantitatis differentias: penès illas quippe constituitur, in eisque fundatur proportio, & proportionalitas. Verbi gratia, dum dicitur esse proportio dupla, & proportionalitas similis 12. ad 6. & 6. ad 3. non attenditur communis ratio numeri, saltem sola, sed specialis cuiusque differentia: ita vt numerus duodenarius in quantum huiusmodi, bis includat senarium; & senarius, vt sic, bis includat ternarium, prout ternarius est, &c.

Analogia itaque apud Mathematicos, quas enumerauimus acceptiones habet: apud Dialecticos verò traducta significat conuenientiam, seu habitudinem aliquarum rerum, propter quam possunt comparari, vel inter se, vel ad vnum tertium cum aliqua diuersitate. His præmissis.

23. Dicendum est primò, analoga in communi rectè definiri. *quorum nomen commune est; ratio verò significata, partim eadem partim diuersa.* Quia nomen habent commune, conueniunt cum vniuocis, & æquiuocis: & per alias particulas ab eisdem differunt: ab æquiuocis quidem puris, quia in illis ratio est planè diuersa: ab vniuocis verò, quia in eis ratio est simpliciter eadem. Vnde fit vt media sint inter æquiuoca, & vniuoca, cùm rationem habeant partim eandem, & partim diuersam.

Hoc autem potest tripliciter intelligi. Primò ita vt ratio æqualiter participet de vtroque extremo, & sit simpliciter eadem, & simpliciter diuersa. Quod fieri non potest, vt patet ex terminis. Secundò ita vt sit simpliciter eadem, & secundùm quid diuersa: & hoc modo non debet intelligi, quia talis ratio est simpliciter vniuoca, & tantùm Physicè siue extrinsecè analoga, vt tetigimus supra, numero 11. tertiò denique ita vt sit simpliciter diuersa, & secundùm quid eadem: & ita debet intelligi. Hoc enim modo rectè intelliguntur media esse inter æquiuoca, & vniuoca: ideoque benè definiuntur à Complutensibus, & alijs, *ea quorum nomen commune est ratio verò substantiæ secundùm illud nomen simpliciter est diuersa, & secundùm quid eadem.* Quapropter sine fundamento negantur à quibusdam recentioribus analoga, hâc ratione media.

Dices: inter vnum, & non vnum non datur medium: sed vniuoca sunt vnum, æquiuoca sunt non vnum: ergo inter ea non mediant analoga.

Respondeo, inter vnum, & non vnum, contradictoriè sumptum, non dari medium: posse autem dari, si sumatur indefinitè: quatenus scilicet *non vnum* significat indefinitè, & indeterminatè illud, quod non est vniuocum: quasi diceretur, inter vniuocum, & non vniuocum posse dari medium: quod idem est, ac dicere inter nigrum, & non nigrum, hoc est, album, dari medios colores, quod est verum. Sicut ergo non valet hæc consequentia, *Petrus non est niger, ergo est albus*, quia potest affici-

aliquo medio colore, vt rubro: ita non valet ista, *sanum non est vniuocum, ergo est æquiuocum*, quia datur medium, scilicet analogum.

24. Dicendum est secundò, rectè assignari duo analogorum genera, videlicet analoga attributionis, & analoga proportionalitatis. Patet ex Aristotele 1. Ethic. cap. mihi 4. alijs sexto. Vbi analoga attributionis vocat ab vno, vel ad vnum: alia verò vocat secundùm proportionem, seu proportionalitatem.

Igitur analoga attributionis sunt in quibus aliqua referuntur, & habitudinem dicunt ad vnum tertium principale, tanquam ad mensuram, vel radicem, à qua ratio significata, ad ipsa deducitur: vel in quibus minùs præcipua dependent à principali, tanquam à mensura, & termino, à quo denominationem, & rationem nomine significatam, suo modo recipiunt. Huiusmodi est *sanum* respectu animalis, medicinæ, diætæ, & coloris. Hæc enim omnia, non solùm dicuntur sana à sanitate animalis: sed tendunt, & ordinantur ad eam, vel efficiendam, vt medicina; vel conseruandam, vt diæta; vel indicandam, vt color.

Ista autem analoga assimilantur numeris inæqualibus, in quibus reperitur proportio inæqualitatis, quia minùs præcipua analogata dependent, & mensurantur à principali, sicut in illis numeris vna proportio dependet, & mensuratur ab alia; maior scilicet à minori, vt quadrupla à dupla: quia ratio mensuræ est, vt sit vna, & simplex, ex Aristotele 10. Metaph. c. 1. vnde quantò plus aliquis numerus accedit ad vnitatem, & aliqua magnitudo ad punctum, tantò magis accedit ad rationem mensuræ, quia numerus est quantitas mensurabilis per vnitatem, à qua sæpe repetitâ formatur: & ex ductu puncti causatur linea; ex ductu lineæ superficies, &c.

25. Analoga proportionalitatis sunt, quæ propter quandam similitudinem, & mutuam conuenientiam possunt inter se comparari. Vnde assimilantur numeris, siue quantitatibus, inter quas reperitur similitudo rationum, seu proportionum, modo explicato supra: vt est pes montis, Scamni, animalis. Licet enim hæc secundùm se diuersa sint, habent tamen proportionem, seu conuenientiam in hoc, quòd, sicut pes montis sustentat illius grauitatem, ita pes scamni, & animalis, ipsorum sustentat pondus.

Aliud analogorum genus admittunt multi, præsertim Scotistæ, nimirùm analoga Physica, seu inæqualitatis, vt tetigimus numero 11. quando ratio communis contrahitur per differentiam nobiliorem in vno, quàm in alio, vt in multis generibus contingit. Sed hæc analogia Physica non impedit vniuocationem Logicam, seu rationis communis, vt ibidem diximus: ideoque rectè asserit Scotus analogiam stare cum vniuocatione. Ratio est, quia Logicus agit de rebus, vt concipiuntur: Physicus verò, vt sunt à parte rei. Et hæc doctrina fundatur in Aristotele 5. Metaph. c. 6. vbi allatâ quadruplici vnitate, scilicet numerica, specificâ, genericâ, analogicâ, ait minorem includi à majori, non contra: & consequenter quæ sunt vnum genere, sunt etiam vnum analogicè, quia hæc vnitas minor est genericâ.

Huius autem generis analoga definiuntur à Caietano in tractatu de nominum analogia, *quorum nomen commune est, & ratio secundùm illud nomen est omninò eadem, sed inæqualiter participata*: quia significant rationem quæ est eadem in speciebus secundum conceptum abstractum, & diuersa ob inæqualitatem participationis: nam animal nobiliori modo est in homine, quàm in equo. Vnde, vt eodem numero notauimus, rectè vocantur à diuo Thoma analoga secundùm esse, & non secundùm intentionem: analoga verò Logica, vocat analoga secundùm intentionem tantùm, & non secundum esse, quia intentio, seu ratio, nomine significata, refertur ad plura, secundum prius & posterius, non tamen secundùm diuersum esse, quia habet esse tantùm in vno, quomodo intentio sanitatis refertur ad animal, diætam, & medicinam, sed sanitatis esse est tantùm in animali. Hæc de analogis in communi.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

De analogis attributionis.

26. CAIETANVS in tractatu de nominum analogia c. 2. & 3. definit analoga attributionis, *quorum nomen commune est, ratio verò secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudines ad illum.* Vel ea sunt, quæ dicuntur de pluribus per ordinem vnius ad aliud. Sæpe enim assumitur vocabulum aliquod ad significandam primariò, & principaliter formam aliquam inuentam in aliquo subiecto; vel subiectum, in quo inuenitur ratio, seu forma aliqua, & deinde, siue consequenter assumitur ad significandum aliquid aliud, seu aliqua alia, quæ, licet talem formam non habeant, dicunt tamen extrinsecum aliquem ordinem ad illud, quod talem formam habet. Cuiusmodi est *sanum* respectu animalis, medicinæ, diætæ, coloris, &c. primariò enim assumptum est ad significandam sanitatem animalis; & secundariò ad alia, quæ non habent formam sanitatis in se: sed tamen ordinantur ad sanitatem animalis, diæta quidem ad eam conseruandam; medicina ad restituendam: color id indicandam, vt tactum est numero 24.

Ex quibus patet definitionis datæ sensus. Ratio enim per nomen significata, nempe sanitas, est eadem secundùm terminum, quia eademmet sanitas est, quam animal, medicina, diæta, color respiciunt, sed habitudines eorum diuersæ sunt, quia animal respectu illius habet rationem subiecti; medicina rationem causæ effectiuæ; diæta conseruatiuæ; color rationem signi: & ita de similibus. Quo fit vt illud primum, ad quod alia ordinantur, dicatur primum, & principale analogatum: cœtera verò minùs principalia.

27. Ideò autem vocantur analoga attributionis, quia principale analogatum tribuit denominationem alijs. Non enim dicitur medicina ſana, niſi quia efficit animalis ſanitatem. Qui quidem ordo, ſeu attributio ſpectari poteſt in quadruplici genere cauſæ. Nam ſanitas animalis habet rationem cauſæ finalis reſpectu medicinæ, diætæ, & coloris. Item ſcientia medendi, eſt cauſa efficiens eorum, quæ medicatiua dicuntur, vt ſunt libri medicinæ, potiones, cultelli, & alia inſtrumenta artis medicæ. Subſtantia verò quæ analogatur cum accidentibus in ente, eſt cauſa materialis, & ſubiectiua eorum. Denique homo verus eſt cauſa exemplaris, hominis picti. Vnde colligitur ratio, cur ab Ariſtotele hæc analoga vocantur ab vno, vel ad vnum: quia nimirùm ad vnum ordinantur, ſeu diuerſas habitudines ad vnum dicunt: aut ab vno dependent, modo explicato, tanquam à termino, & menſura omnium.

Cœterùm nomen dicitur analogum, non tantùm comparando principale analogatum ad minùs principalia: ſed etiam factâ comparatione ipſorum minùs principalium inter ſe, vt ſanum reſpectu coloris, diætæ, medicinæ: ita tamen, vt ipſa non dicantur analoga per ordinem vnius ad aliud inter ſe, ſed per ordinem ad tertium, ſeu ad principale analogatum: ideoque hæc vt ſic, non poſſunt dici vniuoca, quamuis analogum eis æqualiter conueniat, eaque eodem prorſus modo denominet, quia diuerſæ ſunt habitudines eorum ad illud tertium.

28. Ex his colliguntur aliquæ conditiones ad analogiam attributionis neceſſariæ, quæ habentur apud Caietanum loco citato. Primam docet diuus Thomas 4. Metaph. lect. 1. ſcilicet vt ratio, ſeu forma per nomen ſignificata, conueniat intrinſecè principali tantùm analogato; cœteris verò tantùm extrinſecè, ſeu per denominationem extrinſecam, & relatiuè ad analogatum principale. Hoc patet ex allato exemplo, nempe *ſanum*, quod ab omnibus ponitur analogum attributionis. Forma quippe ſignificata, nempe ſanitas conuenit intrinſecè animali tantùm, cœteris verò per denominationem extrinſecam, vt explicatum eſt. Patet item ex nomine. Dicitur enim analogia attributionis, quia minùs principalia analogata, denominantur per ordinem ad principale, & conſequenter per attributionem ad aliquid extrinſecum.

Secunda conditio eſt, vt ratio ſignificata per nomen, ſit vna numero, ita vt non multiplicetur realiter in analogatis. Patet in eodem exemplo. Neque enim alia eſt ſanitas in animali, alia in medicina, &c. ſed eadem numero ſanitas, quâ animal dicitur intrinſecè ſanum, denominat extrinſecè medicinam ſanam, &c. & hæc ſequitur ex prima, vt patet, habeturque in diuo Thoma, loco citato, & 1. 2. q. 20. art. 3. ad 3.

Tertia conditio eſt quòd analogatum principale ponitur in definitione cœterorum. Quia enim minùs principalia reſpiciunt primum, vt terminum, & ab eo in ſua eſſentia dependent: nec intelligi, nec definiri poſſunt ſub tali habitudine, niſi principale in eorum definitione ponatur, vt rectè

docet D. Thomas 1. parte, q. 13. art. 6. vnde medicina, in quantum sana, dicitur esse causa sanitatis animalis: color signum sanitatis animalis, &c. & hinc sumitur veritas communis effati quòd *analogum absolutè prolatum stat, & sumitur pro principali analogato.* Atque adeo nomen analogum attributionis, primo, & per se, atque distinctè significat principale analogatum: cætera verò tantum confuse, & quasi connotatiuè, quatenus ad principale ordinantur, & in eorum conceptu inuoluitur ipsum principale in obliquo: quia concipere medicinam sanam, est concipere ipsam esse causam sanitatis animalis. Et ita de alijs.

29. Objcit Suarez disput. 28. Metaph. sect. 3. num. 14. & disput. 32. sect. 2. num. 14. ens ex communi sententia post Aristotelem 4. Metaph. c. 1. & lib. 5. c. 6. & lib. 7. c. 4. est analogum attributionis, tum respectu creaturarum ad Deum; tum respectu accidentium ad substantiam: & tamen ratio entis est intrinseca omnibus: ergo prima conditio non est semper necessaria: sed distingui debet duplex genus analogorum attributionis; alterum, in quo ratio significata conuenit omnibus intrinsecè, vt est ens; alterum, in quo vni soli intrinsecè, alijs extrinsecè conueniat, vt sanum.

Respondeo, negando consequentiam, & diuisionem illam analogorum attributionis. Aristoteles enim 4. Metaph. c. 1. citato, expresè ait ens non aliter dici analogum, quàm sanum, his verbis: *ens autem multipliciter dicitur; verùm ad vnum, vnamque naturam, & non æquiuocè: sed quemadmodum omne salubre ad sanitatem.* Vbi in primis per illas particulas, *vnum, vnamque naturam*, indicatur secunda conditio, scilicet rationem significatam, esse vnam numero in omnibus, idest non multiplicari numero, quia in vno solùm reperitur. Secundò asseritur ens esse analogum eo modo, quo sanum: atque adeò rationem significatam nomine entis, quatenus est analogum attributionis, esse intrinsecè in principali tantùm analogato, & extrinsecè tantùm in alijs.

Licet enim accidens, & substantia sint formaliter, & intrinsecè entia secundùm se: tamen quatenùs analogantur in ente per attributionem, sunt tantùm entia per denominationem extrinsecam: quia tunc dicuntur entia, secundùm quòd attribuuntur Deo, vt aliquid eius, & quatenus sunt signa, & effectus entitatis, & bonitatis eius. Si enim medicina dicitur sana extrinsecè à sanitate animalis, ad quam, vt ad finem ordinatur, & similiter color dicitur sanus, quia eam indicat, vt signum eius: Quare omnia creata non dicentur entia, aut bona extrinsecè ab entitate, & bonitate diuina, sicut primâ causâ finali, exemplari, & effectiuâ totius entitatis, & bonitatis?

Et eodem modo loquendum est de accidentibus respectu substantiæ, vt rectè docet D. Thomas 11. Metaph. lect. 3. lit. *b.* & lib. 4. lectione primâ. Quatenùs enim sunt analoga attributionis, non dicuntur entia, quasi formaliter, & intrinsecè sint in se entia, sed quia sunt substantiæ, quæ

est ens per se, vel dispositiones, vel habitus, vel passiones, vel motus, vel extensiones, vel generationes, &c. propter quod dicuntur *entis entia*, ab Aristotele 7. Metaph. cap. 1. & 4. & lib. 11. c. 3. & alibi.

30. Obijcies secundò: ideo creaturæ analogantur secundùm attributionem in ente respectu Dei, quia sunt eius effectus, & entia participata, sed vt sic, includunt formaliter, & intrinsecè rationem entis. Non enim possunt esse, imò nec intelligi vt effectus Dei, quin intelligantur esse entia. Ergo quædam analoga attributionis participant intrinsecè rationem, nomine analogo significatam.

Confirmatur, quia entia creata, cùm sint finita, & per participationem, non possunt denominari entia ab entitate Dei, quæ est infinita, & per essentiam: & quæ consequenter non potest dare, nisi denominationem entis per essentiam.

Respondeo ad primum, entia creata, quatenùs sunt effectus Dei, includere formaliter rationem entis: sed esse effectum Dei, non est denominatio formalis, quâ dicuntur extrinsecè entia entitate Dei; sed est tantùm fundamentum, supra quod talis denominatio cadit, seu propter quod sic denominantur: sicut esse causatiuum sanitatis, licet sit quid intrinsecum medicinæ, non est formalis denominatio, quâ medicina dicitur sana; sed est fundamentum reale talis denominationis, seu propter quod medicina dicitur sana, sanitate sibi extrinsecâ, & in animali existente.

Vnde, licet creaturæ, vt sunt effectus Dei, sint intrinsecè entia entitatibus sibi proprijs: hoc tamen se habet materialiter, & quasi præsuppositiuè ad denominationem, quâ dicuntur extrinsecè entia, entitate diuinâ, vt primo principio effectiuo, exemplari, & finali omnis entitatis, vt rectè ait D. Thomas 1. p. q. 6. art. 4. propter quod Caietanus ibi dicit hanc denominationem non esse purè extrinsecam, sicut ea, quâ color dicitur sanus, solâ relatione signi ad sanitatem animalis: sed esse causalem, quia nimirùm participatio extrinsecæ causæ in effectu, denominationem fundat: & ita simul petitur ab extrinseco, & intrinseco; ideóque potest vocari mixta: sicut aër dicitur lucidus luce ipsius solis, ea ratione, quâ participat eam per formam luminis, quâ intrinsecè perfunditur.

Ad confirmationem respondeo, entitatem per essentiam posse denominare creaturam, non in recto, sicut denominat Deum, sed in obliquo; ita vt dicatur quid entis per essentiam: sicut accidens, quando intelligitur analogum hâc analogiâ, non dicitur simpliciter ens, sed entis ens, vt explicatum est.

DEFENDITVR OPPOSITA SENTENTIA.

31. NIHILOMINVS non est omninò improbandus modus ille loquendi, quo distinguitur duplex genus analogorum attributionis, sicut dicitur in prima obiectione. Adeo vt accidens, & substantia, & si quod est aliud huius generis, non tantùm sint analoga attributionis respectu Dei, & principalis analogati, per denominationem extrinsecam, petitam à forma, in solo principali existente: sed etiam per denominationem intrinsecam, petitam à forma, omnibus communi, & intrinsecâ, cum dependentia tamen à primo: sic enim seruatur attributio ad ipsum.

Quare, quantitas, qualitas, & quodlibet accidens potest spectari, vel præcisè, vt attribuitur substantiæ, & secundum quod significat respectum ad ipsam, vt ad primum analogatum; & sic est ens per denominationem extrinsecam: sicut color dicitur sanus. Vel potest spectari secundùm fundamentum illorum respectuum, hoc est, secundùm formalem rationem entis, quam quodlibet in se habet, secundùm similitudinem imitatiuam, vt loquitur Caietanus; ita vt quantitas se habeat ad suum esse, sicut substantia ad suum: & tunc erit analogia proportionalitatis propriæ. Denique si sumatur eadem ratio, vt participata, vt dependens à primo, tunc erit analogia attributionis isto secundo modo. Et pro hac sententiâ citatur à Balforeo Diuus Thomas loco prædicto sentent. Et à Suare 1. p. q. 13. ar. 6. & ibidem Caietanus. Sed re verâ ipsi loquuntur de analogia proportionalitatis, & non attributionis.

Verùm in quo consistat analogia entis, latiùs explicandum est, quàm hic locus patiatur. Hæc annotasse sufficiat vsque ad Metaphysicam. Cõparatio autem, quam affert Aristoteles de *sano*, tantùm probat ens, quod est in accidente respectu substantiæ, & quod est in vtroque respectu Dei, dicere ordinem ad principale: siue dici ens ab vno, aut ad vnum sicut sanum: an verò vtrobique debeat esse denominatio à forma extrinseca, non determinat. Vel loquitur de ente, strictè sumpto, dum significat id quod per se, & absolutè est ens. Ita enim accidens non potest dici ens, nisi extrinsecè, quia est aliquid entis per se.

TERTIA PARS SECTIONIS.

De analogis proportionalitatis.

2. ANALOGA proportionalitatis definiuntur à Caietano, tractatu citato, c. 3. *quorum nomen eſt commune, & ratio ſecundùm illud nomen eſt proportionaliter eadem: aut ſecundùm proportionem ſimilis.* Sunt enim quædam vocabula, quæ aſſumpta ſunt ad ſignificanda plura, ſecundùm diuerſas quidem rationes, ſed tamen cum aliqua ſimilitudine, comparatione, & proportione inter ipſa. Hoc patet in exemplo, quod affert Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 4. vel 6. citato; nimirum de viſu, qui dicitur de intellectu, & de oculo. Vt enim ſe habet viſus ad corpus, ita intellectus ad animam: quatenus viſus repræſentat corpori obiecta viſibilia, ſicut intellectus animæ obiecta intelligibilia. Vnde licet valde diuerſus ſit modus vtriuſque potentiæ in cognoſcendo obiecto: eſt tamen ſimilis proportio, quia eo modo ſe habet vna ad ſuum ſubiectum, quo alia ad ſuum in repræſentatione obiecti, quia vtraque illud percipiendum exhibet.

Aliud exemplum habet Ariſtoteles 2. poſt. cap. 16. vbi ait ita ſe habere ſpinam, ſiue ariſtam in piſce, ſicut os in aliis animalibus. Affertur etiam communiter principium reſpectu fontis ad riuulos, patris ad filios, fundamenti ad domum, puncti ad lineam, cordis ad vitam. In his enim omnibus eſt ſimilis proportio in principiando.

Duplex eſt autem gradus hujus analogiæ, ſeu duplex genus analogorum proportionalitatis. Primùm eſt eorum, quibus ratio ſignificata per nomen, conuenit propriè, & abſque vlla metaphora. Secundum eſt, quando ratio ſignificata conuenit vni propriè, alijs verò metaphoricè, vt *ridere* reſpectu hominis, & prati florentis, atque viridis: quia vt ſe habet homo in hilaritate dum ridet, ita pratum dum floret: ſed riſus homini intrinſecè, prato verò extrinſecè, & metaphoricè competit. Similia multa ſunt exempla, etiam in ſacra ſcriptura, vt dum tribuit Deo manus, oculos: dum Chriſtum vocat agnum, leonem, aquilam. Sicut enim ſe habet leo in fortitudine corporis: ita Chriſtus in conſtantia & fortitudine animi.

33. Volunt tamen aliqui recentiores, vt Suarez diſput. 28. metaph. ſect. 3. num. 11. & diſput. 32. ſect. 2. numero 13. ad veram analogiam proportionalitatis neceſſariò requiri aliquid metaphoræ, & improprietatis. Sed patet in exemplis allatis ſupra, nomen analogum proportionalitatis poſſe dici propriè de pluribus ſignificatis. Neque enim ita metaphoricè dicitur principium de fonte, de fundamento, de puncto; ſicut ridere de homine, & de prato, vt conſtat.

Obijcit

Objicit Suares: vera proportionalitas potest reperiri inter res prorsus vniuocas, & omninò similes: ergo omnis proportionalitas non sufficit ad analogiam hujus generis; sed ea tantùm, quæ importat aliquid metaphoræ. Antecedens clarè ostenditur in istis exemplis: verè enim dicimus, vt se habent quatuor ad duo: ita octo ad quatuor: quia vtrobique proportio est dupla: & sicut homo comparatur ad suos sensus, ita equus ad suos: & tamen illa proportio non constituit analogiam: quia nomina animalis, & dupli, quæ sunt vniuoca, non sumuntur ex illa comparatione, sed ex vnitate rationis inuentæ in singulis membris.

Respondeo negando consequentiam, vt enim diximus numero 22. proportionalitas attenditur penes proprias differentias rerum, inter quas reperitur; non verò penès rationem communem præcisam earum, quæ vniuoca esse potest. Vnde, quamuis proportio quatuor ad duo, sit omninò similis, & æqualis proportioni octo ad quatuor, & omninò eadem, atque vniuoca proportionalitas: tamen earum fundamenta, nempè quatuor, & duo, octo, & quatuor, non ideo vniuoca sunt, considerata sub illis proportionibus, quia tunc in his attenditur non ratio communis numeri, sed ratio propria cuiusque, quatenus sunt octo, quatuor, & duo: sicut dum genera vocantur analoga Physica, *v. g. animal*, non attenditur præcisè ratio communis animalis, quia hæc est vniuoca: sed attenditur inæqualis illius participatio, facta à diuersis speciebus. Vnde si esset aliquod nomen impositum ad significandum hominem, & equum secundùm proprias eorum rationes, & differentias, vt proportionabiliter se habentes ad inuicem, tale nomen esset analogum proportionalitatis propriæ.

34. Huius porrò analogiæ quædam etiam conditiones assignantur: & quidem analogiæ proportionalitatis impropriæ, seu metaphoricæ, eædem sunt, quæ analogiæ attributionis. Ratio enim per nomen significata, est tantùm in vno intrinsecè; in alijs verò extrinsecè, vt risus in prato: & ideo est vna numero, quia non multiplicatur realiter in analogatis. Denique non potest intelligi, nec definiri risus in prato, nisi per comparationem ad risum, & hilaritatem hominis: vnde nomen absolutè prolatum, stat pro principali analogato.

At verò in analogia proportionalitatis propriæ, ratio per nomen significata reperitur intrinsecè in omnibus analogatis, quæ est prima eius conditio; cuius ratio est, quia vt aduertimus numero 22. proportiones, inter quas reperitur analogia proportionalitatis, sunt omninò similes & æquales: ergo requiritur verum, & intrinsecum fundamentum huius conuenientiæ, & similitudinis in omnibus, inter quæ tales proportiones existunt.

Deinde in huiusmodi rebus debet attendi propria cuiusque ratio, vt proportionabiliter se habens ad alteram, tanquam vera radix, & fundamentum proportionalitatis: & ideò nomen analogum huius generis si-

gnificat analogata, secundùm esse cuique proprium. Sicut ergo proprium esse est cuilibet intrinsecum; ita ratio significata per nomen, est cuilibet intrinseca.

35. Secunda conditio, quæ ex prima oritur, est, vt vnum analogum non definiatur per alterum, sed definitio vnius sit definitio omnium secundùm proportionē. Cùm enim habitudines, & proportiones sint æquales, vna non dependet ab altera: & omninò indifferens est si dicas, *vt se habet fundamentum ad principiandam domum, ita se habet punctum ad principiandam lineam*: vel contra, *vt se habet punctum ad lineam, ita fundamentum ad domum*: ideoque nec inter res ipsas proportionatas reperitur dependentia vnius ab altera, quatenùs habent hanc analogiam; quamuis alioqui possint habere aliunde quandam dependentiam, & subordinationem inter se quoad proprium esse, & fundamentum analogiæ. Ad hoc autem vt vnum definiatur per aliud, necessaria est quædam dependentia eius ab alio, vt constat. Vnde in hac analogia non valet effatum prædictum: quòd scilicet *analogum absolutè prolatum stet pro principali*; quia hic nullum est principalius alio, vt analoga sunt.

Tertia conditio est quòd nomen analogum huius analogiæ significet immediatè omnia analogata secundùm proprias eorum rationes, quatenùs proportionabiliter similes. Quæ conditio satis patet ex dictis, & amplius declarabitur in sequenti parte sectionis.

QVARTA PARS SECTIONIS.

De conceptu analogorum.

36. NOTANDVM est duplicem communiter distingui conceptum quoad rem præsentem: alius dicitur conceptus formalis, alius obiectiuus. Formalis est ipsemet actus intellectus, quo obiectum aliquod intelligit: obiectiuus est res, seu obiectum, quod per conceptum formalem attingitur.

Est autem quæstio hic, vtrum analoga habeant vnum conceptum formalem, & obiectiuum. Vnum conceptum formalem habent ea, quæ vnâ intellectione, seu vno intellectus conceptu apprehendi possunt: vnum verò conceptum obiectiuum habere dicuntur, quando gradus aliquis, seu perfectio, omnibus communis respondet vni conceptui formali; ita vt per eum non attingantur multa, vt diuersa, sed vna ratio multis communis, aut saltem multa, vt simpliciter conuenientia inter se. Quod addo propter aliquos Philosophos, hoc modo loquentes.

Hinc fit vt distinguatur duplex conceptus formalis pro re præsenti.

Alius perfectus, seu explicitus: alius imperfectus, confusus, implicitus. Perfectus est quo repræsentatur vna simpliciter ratio, multis communis; ita vt ipsa multa non nisi mediate, & confusè repræsententur; immediatè verò & distinctè ipsa perfectio communis, quæ in illis reperitur. Huiusmodi est conceptus, respondens huic nomini *animal*. Immediatè enim attingit rationem animalis, seu naturæ sensitiuæ; & eâ mediante importat quidquid illam habet, seu omnia animalia. Et huiusmodi conceptus non tantùm vnus est secundùm propriam entitatem, sed etiam in repræsentando, quia id, quod repræsentat, est simpliciter vnum. Et hic est proprius vniuocorum.

Imperfectus verò, & confusus est, qui repræsentat immediatè plura secundùm proprias rationes, non absolutè sumptas, sed prout similitudinem aliquam, vel proportionem inter se habent: & ita fit, vt similitudo, seu proportio illa non repræsentetur sola, sed vt fundata in propriis rationibus rerum proportionatarum. Vnde talis conceptus, licet entitatiuè sit vnus; non est tamen simpliciter vnus in repræsentando; sed tantùm secundùm quid, quatenus ea, quæ repræsentat, sunt simpliciter plura, & secundùm quid vnum, videlicet secundùm similitudinem aliquam, aut proportionem. Et hic est proprius analogorum. His prænotatis.

37. Dicendum est primò, analoga attributionis primi generis, in quibus scilicet forma, seu ratio significata, conuenit vni tantùm intrinsecè, vt *sanum*. Item analoga proportionalitatis metaphoricæ, vt *ridere* respectu hominis, & prati florentis, non habere vnum conceptum perfectum, neque formalem, neque obiectiuum. Dixi analoga attributionis primi generis, quia de his, quæ intrinsecè conueniunt omnibus ex probabili sententia, agemus in metaphysica. Hæc conclusio videtur per se clara ex dictis.

Probatur tamen adhuc primò; quia in huiusmodi analogis ratio significata, diuersimodè conuenit rebus, quæ ab ea denominantur: nempè vni intrinsecè, alijs extrinsecè; vni propriè, alijs impropriè, & metaphoricè: ergo non est simpliciter vna, & communis omnibus: ergo non potest dici vnus conceptus obiectiuus, nec consequenter vnus formalis perfectus, vt patet ex iam præmissis.

Probatur secundò, quia licet nomen analogum huius generis, ex propria, & primaria impositione distinctè tantùm significet principale analogatum, vt diximus supra: tamen connotat, & secundariò significat alia analogata, quatenùs à primo denominantur, & ad ipsum ordinantur: vt *sanum* licet primariò significet animal; secundariò, & saltem confusè significat quidquid ad sanitatem animalis confert, vt medicinam, diætam, colorem, quia si solum animal significaret, analogum non esset, vt constat. At vt sic importantur diuersæ denominationes, & habitudines, vt esse effectiuum, conseruatiuum, indicatiuum sanitatis: aliàs eadem esset

definitio medicinæ, quatenus sana est, & coloris quatenus sanus dicitur. Ergo conceptus obiectiuus non potest dici simpliciter vnus; nec consequenter conceptus formalis.

Et quamuis vnica forma significetur, vt in nostro exemplo sanitas, & consequenter sub hac ratione dici possit vnus simpliciter conceptus: tamen ratione connotationis aliorum analogatorum, & diuersarum habitudinum eorum ad principale, importatur diuersitas, quæ vnitatem conceptus interturbat. Imo in rigore loquendo, nomini sic analogo, vt analogo, respondent varij conceptus formales, atque adeò obiectiui de varijs analogatis, provt tali nomine vtitur quis ad vnum, vel ad aliud analogatum significandum. In quouis tamen conceptu minùs principalium connotatur principale: & in conceptu principalis connotantur minùs principalia.

38. Probatur denique, quia analogum in hoc genere non distinguitur à principali analogato, vt sanum ab animali, ens à substantia, risus à risu hominis: & propter hoc valet proloquium commune, quòd *analogatum absolutè prolatum stat pro famosiori significato.* Non enim sunt diuersæ formæ, aut diuersi gradus siue sanitatis, siue risus, siue entis, in analogatis, sed vnicus in principali, à quo cætera denominantur: diuersus autem tantùm penes diuersas connotationes, & diuersum modum illum significandi, vt explicatum est. Ergo non potest esse vnus conceptus formalis, aut obiectiuus communis, cùm non sit præcisus à principali, & in alijs intrinsecè non reperiatur.

Dices: si analogum attributionis non distinguitur à principali analogato, vt ens à substantia, sanum ab animali: sicut ista propositio vera est, *accidens est ens*, ita etiam ista vera erit, accidens est substantia. Quod nullus concesserit.

Respondeo. Ens, & substantia, & his similia in hoc gradu analogiæ, important eundem gradum, vt modò dicebamus, sed diuerso modo conceptum, & significatum. Nam substantia significat rationem substantiæ, in seipsa absolutè spectatæ: ens verò significat eandem rationem, quatenus terminat habitudinem accidentis, aut fundat similitudinem, & proportionem cum ipso: & ita analogum distinguitur à principali analogato, sicut res vt similis alteri, aut collata ad aliam, distinguitur à seipsa, absolutè in se spectatâ. Quo fit vt ista propositio sit vera, *accidens est ens*; extrinsecâ scilicet denominatione: ista verò falsa, *accidens est substantia:* quia nomen substantiæ significat propriam illam rationem, vt absolutè conceptam.

39. Dicendum est secundò, analoga proportionalitatis propriæ non habere vnum conceptum perfectum, nec obiectiuum, nec formalem. Ratio est, quia vt diximus supra, analogia proportionalitatis propriæ fundatur immediatè in propriis rationibus analogatorum, quatenus porportione, & similitudine sibi mutuo respondent. Et ideo nomen analogum

huius generis non significat immediatè aliquam rationem communem omnibus analogatis, quia sic esset vniuocum: sed significat immediatè ipsa analogata secundùm proprias eorum rationes, vt proportionabiliter similes, & provt vnum fundat habitudinem, & proportionem ad suum esse, similem ei, quam fundat aliud, vt ostendimus in præcedenti sectionis parte.

Cùm ergo propriæ analogatorum differentiæ includantur in huiusmodi conuenientia proportionali, non potest ipsa esse simpliciter vna, sed solùm secundùm quid: & ideo conceptus formalis, eam repræsentans, non est vnus simpliciter, sed secundùm quid: quod erat probandum.

40. Obiicies: si analogum hâc analogiâ, significet immediatè analogata, ista propositio, *substantia est ens*, faciet hunc sensum, substantia est *substantia, & accidens*: quod patet esse falsum. Ergo debet significare rationem aliquam communem, abstrahentem, & præcisam à conceptu analogatorum: & consequenter habet vnum conceptum formalem, & obiectiuum.

Respondeo negando antecedens, sicut & consequentiam. In illa enim propositione, *substantia est ens*, prædicatur ratio substantiæ, vt est proportione similis accidentibus, de ipsa substantia, absolutè spectatâ: & in ista, *accidens est ens*, prædicatur propria accidentis ratio, vt proportionabiliter similis substantiæ, de ipso accidente, absolutè spectato. Quo fit, vt neque propositiones sint identicæ nugatoriæ: neque prædicetur ratio aliqua communis, præcisa, de singulis analogatis: neque vnum analogatum de alio, aut omnia de vno; sed propria cujusque ratio de quolibet, vt proportione respondens, seu similis alijs.

Et hoc sufficit, vt analogum dicatur esse quid superius, & communius analogatis, & ab eis abstrahere secundùm quid, de eisque formaliter prædicari: atque etiam vt sit medium in demonstratione, vt in ista, *omne ens est vnum: substantia est ens: ergo est vnum.* Quia ratio significata, intrinseca est omnibus, & vnicâ distributione coniungitur in vtraque permissa cum inferioribus, ob identitatem, & conuenientiam proportionalem, quod satis est ad necessitatem præmissarum. Nam, si ex eo quòd substantia est ens, sequitur quòd sit vnum.: rectè etiam proportionabiliter sequetur accidens esse vnum ex eo quòd sit ens, absque eo quòd detur vna ratio obiectiua communis. & ita de similibus. De quo latiùs in metaphysica.

SECTIO V.

De alijs anteprædicamentis.

41. ARISTOTELES capite 2. agit de complexis, & incomplexis, vt ostendat quæ reponi debeant in prædicamentis; duplicemque diuisionem affert, primam eorum quæ dicuntur; secundam eorum quæ sunt. Qui modus loquendi videtur indicare primam diuisionem esse præcipuè de vocibus, vt censet Bœtius, secundam verò de rebus. Alij putant vtramque esse primariò de rebus, vt per voces exprimuntur.

Prima itaque diuisio sic ferè se habet. Eorum quæ dicuntur, quædam cum complexione dicuntur, vt homo currit: quædam sine complexione, vt homo: itaque vox complexa censeri debet, cuius significatum multiplex est: simplex verò, cuius significatum non est multiplex, cuique primariò non respondent multi conceptus.

Possunt autem voces esse complexæ, seu coniunctæ tripliciter. Primò voce tantùm, quando plures voces significant vnam rem, vt *Marcus Tullius Cicero*, hoc enim idem est quod *hic homo*. Secundò non voce, sed significatione, quando vnica vox res multas significat, vt canis, & alia æquiuoca. Tertiò voce simul, & significatione, vt homo currit.

42. Secunda diuisio his propè verbis traditur. Eorum, quæ sunt; alia de subiecto dicuntur, & in subiecto nullo sunt: alia in subiecto sunt, de nullo verò dicuntur subiecto: alia de subiecto dicuntur, & sunt etiam in subiecto: alia denique nec in subiecto sunt, nec de vllo dicuntur subiecto. Pro cuius intelligentia.

Nota duplex esse subiectum pro re præsenti. Aliud dicitur subiectum inhæsionis; aliud subiectum attributionis. Illud est in quo aliquid existit ad modum accidentis: istud verò, de quo aliquid prædicatur, vel prædicatione essentiali, vt *Petrus est homo*, vel accidentali, vt *Petrus est albus*. Quando Aristoteles asserit, aut negat in illa diuisione, aliquid esse in subiecto, loquitur de subiecto inhæsionis: quando vero asserit, aut negat aliquid dici de subiecto, loquitur de subiecto essentiali attributionis. Itaque per ea, quæ dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto, intelligit substantias vniuersales, quæ non inhærent in subiecto vllo, sicut accidentia. Per ea, quæ sunt in subiecto, & de subiecto nullo dicuntur; intelligit accidentia particularia, vt hæc grammatica, quæ inhæret in anima, vt in subiecto, & de nullo subiecto attributionis dici potest. Per ea, quæ sunt in subiecto, & de subiecto dicuntur, intelligit accidentia vniuersalia, vt

est scientia, quæ de metaphysica, &c. dicitur. Per ea denique, quæ nec sunt in subiecto, nec de subiecto dicuntur, intelligit substantias particulares, vt est Petrus. Et ita primò diuisit ens in substantiam, & accidens: & deinde vtrumque diuisit in vniuersale, & particulare.

43. Post duas illas diuisiones, affert Aristoteles c. 3. duas regulas ad ordinanda prædicata in prædicamentis necessarias. prima est: quando aliquid prædicatur de aliquo, vt de subiecto; ea quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de subiecto. Vt quia homo prædicatur de Petro, vt de subiecto: de homine autem dicitur animal: animal quoque dicetur de Petro.

Germana autem huius regulæ interpretatio traditur à Bœtio, Simplicio, Soto, & alijs: nimirum eam intelligi debere de prædicato, seu attributo essentiali, & *in quid*: ita vt sensus sit: quando aliquid de aliquo subiecto dicitur in quæstione *quid est*? seu tanquam genus, vel species: omne attributum essentiale prædicati, dicitur essentialiter de subiecto.

Ratio est, quia Aristoteles tradit hanc regulam, vt ostendat quâ ratione de se inuicem prædicentur ea, quæ collocantur in recta linea, seu serie prædicamenti: in ea autem ponuntur tantùm genera, species, & individua, vt ostendemus infra.

Negandum tamen non est quin prædicta regula sit vera, etiam de prædicatis tertij prædicabilis, seu differentiæ essentialis. Sed talis interpretatio, quæ est Pauli veneti, non est conformis menti Aristotelis pro hoc loco.

Aliqui etiam eam extendunt ad duo posteriora prædicabilia: sed non rectè. Nam album dicitur de animali, & animal de coruo; de quo tamen album non dicitur. Similiter animal dicitur de homine, & genus de animali prædicatione quinti prædicabilis: & tamen genus non potest dici de homine. Potest tamen admitti hæc explicatio addendo duas conditiones: prima est ne varietur suppositio, vt fit in secunda instantia. Secunda est vt attributo possit addi signum vniuersale, *omnis*, & hæc deest in prima instantia. Neque enim omne animal est album.

44. Secunda regula est. Quando genera diuersa sunt, nec vllum ab altero continetur; eorum etiam differentiæ specie differunt, vt animalis, & scientiæ. Eorum autem generum, quorum vnum altero continetur, nihil prohibet eadem esse differentias, quia superiora de inferioribus prædicantur. Quare quotquot erunt prædicati differentiæ, totidem erunt & subiecti. Pro huius regulæ intelligentia.

Nota primò, differentias alias esse diuisiuas superiorũ generum, vt sensibile diuidit animatum; rationale diuidit animal: alias esse constitutiuas specierum, vt rationale constituit hominem, sensibile constituit animal. Hoc autem inter vtrasque interest, quòd constitutiuæ superiorum generum dicuntur de qualibet specie, contenta sub genere constituto: non

autem diuiſiuæ, niſi fortè diſiunctim: vt rationale, & irrationale, quæ diuidunt animal, non poſſunt prædicari coniunctim de homine, aut equo. &c.

Nota ſecundò, aliqua genera poſſe eſſe diuerſa tribus modis. Primò ſi ſint in diuerſis prædicamentis, vt animal in prædicamento ſubſtantiæ, & ſcientia in prædicamento qualitatis. Secundò, ſi ſint in eodem quidem prædicamento, ſed non vnum ſub altero, vt animal, & planta. Tertiò ſi non tantum ſint in eodem prædicamento, ſed etiam vnum ſub altero, vt animal, & viuens. Et hæc dicuntur ſubalternatim poſita. Imò à multis ſic etiam appellantur quæ diuerſa ſunt ſecundo modo. His præmiſſis.

45. Dicendum eſt primò, genera primo modo diuerſa, quæ ſcilicet in diuerſis prædicamentis continentur, habere diuerſas differentias eſſentiales, tum diuiſiuas, tum conſtitutiuas. Hæc eſt communis ſententia, quæ

Probatur primò ex Ariſtotele 7. metaph. c.12. vbi ait in aſſignanda deſinitione ſpeciei diuidendum eſſe genus per differentias proprias, non verò per extraneas: vt animal habens pedes non debet diuidi in plumiferum, & implume, quia hæ differentiæ ſunt extraneæ reſpectu pedum, ſiue animalis habentis pedes: ſed debet diuidi per animal habens pedes fiſſos, & habens non fiſſos, quia fiſſio eſt propria pedum differentia. Si autem duo genera in diuerſis exiſtentia prædicamentis, haberent eaſdem differentias, ipſæ eſſent extraneæ reſpectu vnius, vt conſtat: nam differentiæ qualitatis non eſſent propriæ ſubſtantiæ, &c.

Probatur ſecundò, quia ſi qualitas & ſubſtantia ſunt duo genera diuerſa, vt re verâ ſunt; ea, quæ ſub illis continentur, æquali iure diuerſa erunt, & ita non poterunt habere eaſdem differentias conſtitutiuas, aut diuiſiuas.

46. Dices: ſubſtantia, qualitas, relatio, actio, vbi, ſunt diuerſa prædicamenta: & tamen in eis reperiuntur genera, quæ eaſdem habent differentias, tum conſtitutiuas, tum diuiſiuas. Nam ſicut ſubſtantia alia eſt ſpiritalis, alia corporea: ita & qualitas, & actio, & relatio, & vbi. Item alia eſt qualitas naturalis, alia ſupernaturalis, & ſimiliter actio, & vbi. Ergo diuerſorum generum primo modo, eædem poſſunt eſſe differentiæ eſſentiales, & conſtitutiuæ, & diuiſiuæ.

Reſpondeo ex Simplicio, & Ammonio, huiuſmodi differentias non eſſe ejuſdem rationis, & naturæ, ſed ſimilitudine tantùm, & nomine conuenire. Quando enim proprias differentias aliquorum generum ignoramus, ſubſtituimus alias eiuſdem nominis ob quandam inter eas conuenientiam, & analogiam. Quo fit vt tales differentiæ ſæpe ſint accidentales: imò ſæpe nomina, quibus ſignificantur, ſunt æquiuoca, multiplicemque naturam important. Quæ doctrina reperitur in Ariſtotele 1. topic. c. 13. ſub finem, vbi regulam prædictam repetit, *Vix enim à voce differt*

differt, inquit, *quòd acuta sit: item magnitudo à magnitudine: ita fit vt acuti vocabulum sit in homonymis. diuersorum enim generum, quorum vnum ab altero non continetur, diuersæ sunt differentiæ.*

47. Dicendum est secundò, genera diuersa secundo modo, hoc est, quorum alterum sub altero non continetur, sed vtrumque sub tertio, vt animal, & planta sub viuente, posse habere easdem differentias diuisiuas, & constitutiuas: hoc tamen non esse necessarium, nec omnibus conuenire.

Prima pars probatur: nam in primis volatile, & terrestre sunt genera, quorum neutrum alterum complectitur: & tamen vtrumque diuiditur, & constituitur per bipes, & quadrupes: nam sub volatili est Griphus, qui teste simplicio est quadrupes.

Item quantitas diuiditur adæquatè in continuam, & discretam; & deinde quælibet in permanentem, & successiuam, tanquam in genera diuersa, non subalternata: & ita vtrumque easdem habet differentias. Similiter potentia diuiditur in cognoscitiuam, & appetitiuam; & vnaquæque in spiritalem, & corpoream. Propositio quoque in affirmatiuam, & negatiuam, & quælibet in veram, & falsam.

Confirmatur authoritate Aristotelis 6. topic. c. 3. satis ante finem, vbi sic ait. *Ex quo perspicuum est, speciem in duobus generibus esse, quorum vnum altero non contineatur: nisi fortè id non sit incommodum, vt eadem differentia duorum sit genorum quorum neutrum alterum contineat, sed adiungendum est, quorum etiam vtrumque eidem minimè subijcitur: nam terrenum animal, &c.* vbi affert exemplum quod dedimus de terrestri, & volatili: eandem doctrinam inculcat lib. 4. cap. 1. multò ante medium.

Probatur secunda pars: nam substantia corporea, & spiritalis sub eodem genere sita sunt, nec easdem habent differentias, aut constitutiuas, aut diuisiuas. Similiter linea & numerus subsunt quantitati, & diuersas habent differentias: nam par & impar non competunt lineæ, sed numero.

48. Sensus ergo huius regulæ hic erit. Quando duo genera ita diuersa sunt, vt nec vnum sub alio, nec vtrumque sub tertio contineatur, eorum differentiæ, tum diuisiuæ, tum constitutiuæ, sunt specie diuersæ: si verò alterum sub altero, aut vtrumque sub tertio contineatur, nihil prohibet easdem vtriusque esse differentias: & licet versio Argyropili, quam attulimus, non rectè quadret huic explicationi, quia vnum ab altero non continetur: nec item græca vox ὑπάλληλα, quæ vnum sub altero contentum significat. Quadrat tamen versio Boëtij, quæ sic habet, diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt specie differentiæ: subalternatorum verò generum nihil prohibet easdem esse differentias. Sabalternata verò, seu subalternatim posita dici possunt, non tantum ea quorum vnum sub altero continetur, sed etiam si vtrumque ponatur sub tertio, vt patet ex textibus citatis Aristotelis.

49. Obijcies primò, genera non sibi subalterna, sed tantùm eidem tertio suppositа, inter se diuersa sunt, & opposita, vt constat; ergo per aliquid distinguntur, & opponuntur: sed non per genus, in quo conueniunt: ergo per proprias, & essentiales differentias: quæ consequenter non possunt esse eædem.

Respondeo eandem speciem, siue genus subalternum posse constitui multis differentiis essentialibus, quarum singulæ alijs conueniant; sumptæ verò omnes simul, vni soli competant, vt dictum est lib. præcedenti, q. 3. n. 13. & ita fit vt vnum genus sufficienter distinguatur ab alio per huiusmodi combinationem differentiarum, quamuis aliquam habeat, quæ alteri conuenit. Hoc modo volatile, licet conueniat cum terrestri in differentia bipedis, aut quadrupedis; ab eo tamen differt per volatile, &c. quia non dicimus omnes prorsus differentias esse easdem, alioqui genera malè vocarentur diuersa.

Obijcies secundò: diuersa genera, quorum vnum alteri non subijcitur, sunt diuersæ potentiæ metaphysicæ, essentialiter distinctæ; ergo debent respicere actus essentialiter diuersos; huiusmodi autem actus sunt differentiæ essentiales: igitur non possunt easdem differentias essentiales sibi vendicare.

Respondeo illa genera in ratione potentiæ non esse diuersa, sed vnum quid: totam verò distinctionem, siue diuersitatem à differentijs procedere. Verbi gratiâ, volatile, & terrestre animal, non sunt diuersæ potentiæ in ratione animalis: sed vnica potentia animalis, in se spectata, dicit ordinem ad diuersos specie actus, & differentias; & per differentiam volatilis determinatur ad volucre; per differentiam terrestris ad terrestre: sicut potentia Physica materiæ primæ, quæ est in equo, & in homine, non est diuersa potentia in se spectata, sed vna, quæ dicit ordinem ad formam equi, & ad alias omnes; & per coniunctionem cum anima equi, fit propria equo, & sic de aliis. Vnde argumentum non probat talem vnam potentiam multiplicatam in duobus generibus, aut suppositis, specie differentibus, non posse actuari aliquibus ijsdem differentijs.

50. Obijcies tertiò: eadem species non potest esse sub diuersis generibus, quorum vnum sub altero non continetur, vt patet ex Aristotele 4. top. c. 1. paulò ante medium, his verbis; *cùm vna species duobus generibus subiecta est, tunc alterum ab altero continetur.* Igitur duo genera non subalternata non possunt easdem habere differentias essentiales. Probatur consequentia: vna quippe eademque differentia, vbicumque est, eandem semper speciem constituit: ergo si duo genera eandem habeant differentiam, non duo erunt, sed vnum genus, contra suppositionem.

Respondeo negando antecedens; & dico Aristotelem tantùm velle hoc sæpius contingere, non verò semper, quod patet ibidem, paulò post vbi ait: *Illud igitur videndum est an neutrum generi proposito con-*

ueniat quoniam si nec alterum altero contineatur, nec vtrum que eodem: certè id quod propositum est, esse genus nullo modo potest. & 6 top. c. 3. ait quod supra citauimus, *ex quo perspicuum est speciem in duobus generibus esse, quorum vnum altero non comprehendatur.* & paulo infra. *Illud etiam perspicuum est, non necessariò ex omni differentia suum concludi genus: quandoquidem esse duorum generum, quorum vnum altero non continetur, eadem potest.*

51. Si quis tamen postremæ huic sententiæ adhærere maluerit, sic ad allata argumenta poterit respondere: ad primum quidem de bipede, & sequentibus, has differentias materiales esse, & accidentales. Neque enim esse bipedem in animali, est principium essentiale, & formale, illius constitutiuum, sed solummodo materiale, & extra essentialem definitionem eius. Similiter diuisio quantitatis in permanentem, & successiuam, accidentalis est: in continuam verò & discretam, essentialis: sicut diuisio potentiæ in cognoscitiuam, & appetitiuam, essentialis est, quia sumitur ex obiecto, à quo potentiæ specificantur: in spiritalem verò, & materialem, est accidentalis, quia sumitur ex subiecto. Idem de propositione, nam veritas est proprietas eius, sicut & falsitas, vt ostendemus libro sequenti.

Ad authoritatem Aristotelis dicendum est ipsum loqui de differentiis accidentalibus: vel non asserendo, sed dubitando: & hoc patet ex ipso textu citato. Quæ omnia dicta sint absque præiudicio illius opinionis, quæ in quibusdam speciebus infimis negat differentias infimas simplices; quam etiam supra problematicè dictauimus.



QVAESTIO II.

De prædicamentis in communi.

SECTIO I.

Quid sit prædicamentum, & quæ conditiones entis prædicamentalis.

1. PORPHYRIVS cap. de specie aliquantò post initium, satis indicat quâ ratione constet prædicamentum, cùm dicit, in vnoquoque prædicamento esse genera summa, intermedia, species infimas, & indiuidua. Ex hoc enim facile est ipsum describere hoc modo. *Prædicamentum, est ordo seu dispositio naturalis, alicuius summi generis, & eorum, quæ sub ipso sunt*, vel, *est dispositio multorum prædicabilium sub vno summo genere*, eâ ratione, vt magis vniuersalia ponantur priori loco; posteriori verò minùs vniuersalia, inchoando à summo genere, & progrediendò vsque ad indiuidua.

Vnde, licet summa genera sæpiùs vocentur prædicamenta, quia primò, & principaliter de prima substantia prædicantur: tamen, quia non illa solùm, sed etiam quæ sub illis posita sunt, de prima dicuntur substantia, ideo magis propriè sumitur prædicamentum pro tota serie ex summo genere, intermediis speciebus, atque indiuiduis constitutâ; & ita differt à prædicabili, quod vnum solùm prædicatum dicit. Huiusmodi verò coordinatio superiorum & inferiorum, dicitur naturalis, quia non est purè arbitraria, sed vel est ex natura rei, si sit distinctio formalis Scoti inter illa: vel secundùm naturam rei, & cum fundamento in ipsa re, sit ab intellectu. Postulat enim natura rerum, vt à conceptibus vniuersalioribus, & simplicioribus ad minùs vniuersales, magisque compositos progrediamur, vt tollatur confusio, & rectiùs cognoscantur ipsa composita, priùs cognitis eorum partibus.

Cæterum talis dispositio, & coordinatio formaliter erit relatio superiorum ad inferiora & inferiorum ad superiora; in ratione prædicabilium,

& subijcibilium: neque aliter de ea philosophandum est, quàm de relatione generis ad speciem, speciei que ad genus, & similibus, de quo latè in libris præcedentibus.

2. Quod spectat ad conditiones, quas exigunt entia prædicamentalia, seu res, quæ in prædicamentis ordinari debent, præcipuæ numerantur septem, aut octo, his versibus comprehensæ.

Vox vna, & simplex, rebus concinna locandis:
Entia per se se, finita, realia, tota.

Prima itaque conditio est: vt vox, per quam ens prædicamentale exprimitur, sit vna; videlicet quoad significationem, itaut non significet plura diuersa: & sic excluduntur æquiuoca, & analoga, quæ plures habent significationes, pluraque diuersa important, modo explicato in sectione de analogis.

Secunda conditio est, vt vox sit simplex, & incomplexa; itavt ei primariò non respondeant in mente plures conceptus, quamuis alioquin vniuoci, vt est animal rationale. Licet enim hoc idem sit quod homo, & vna per se essentia: tamen ex modo significandi, duo diuersi conceptus primò vocibus illi respondent, alter, vt genus, alter vt differentia; alter per modum subsistentis, alter per modum adjacentis. & has duas conditiones in Aristotele reperies, vt ex dictis constat, vbi reiecit æquiuoca, & complexa retentis vniuocis, & incomplexis: tandemque capite quarto incomplexa diuisit in substantiam, quantitatem, qualitatem, & cætera prædicamenta.

3. Tertia conditio est, vt vox simplex & incomplexa, debito modo exprimatur, scilicet vel in concreto, vel in abstracto, secundùm quod rerum natura postulat. Existimo autem in prædicamento substantiæ debere res exprimi per nomina concreta; in alijs verò per abstracta. Ita tenet D. Thom. opusc. 42. c. 19. de ente, & essentia c. 7. sub finem, vbi sic ait, *nomina accidentium concretiuè dicta, non ponuntur in prædicamento, sicut species vel genera, vt album, vel musicum, nisi per reductionem; sed solùm secundùm quòd abstracta significantur. Vt albedo, & musica.* Idem tenet ibi Caiet. Sotus c. de quantitate, qu. 1. ad 2. alijque communiter contra recentiores aliquos, qui etiam in prædicamentis accidentium volunt res debere exprimi per nomina concreta.

Probatur ex Aristotele cap. de substantia, vbi ait substantias secundas, hoc est, vniuersales, esse genera, & species primarum, hoc est singularium; non possunt autem obtinere ratione generis, aut speciei, prædicati, vel subiecti, nisi sumantur in concreto. Non enim rectè dicitur, *Petrus est animalitas, aut humanitas:* bene autem, *Petrus est animal, Petrus est homo:* quia in abstracto sumpta habent rationem partium, pars autem, vt sic, non prædicatur de toto.

4. Probatur secunda pars primò ex Aristotele 3. top. c. 1. sub initium, vbi ait, iustitiam esse per se, & vi suâ in genere, non verò iustum: &

lib. 2. cap. 2. initio ait, coloratum non rectè assignari pro genere candoris.

Deinde prædicamentum, vt dixi, est series generum, specierum, & individuorum: concreta autem accidentium non sunt genera, vel species, sed solùm abstracta: nam album dicitur de cygno, niue, *in quale contingenter*, tanquam accidens: albedo verò de hac, & illa albedine dicitur essentialiter, & *in quid*, tanquam species.

Denique vna ex conditionibus entis prædicamentalis, vt iam dicemus, excludit à prædicamento entia per accidens, hoc est constituta ex rebus diuersorum prædicamentorum: concreta verò accidentium sic se habent, vt album ex albedine qualitate, & ex subiecto substantia: aut saltem sumuntur vt entia per accidens: quod addo, quia si dicantur tantùm significare formam, & connotare subiectum, de quo supra, sectione de paronymis, & q. de genere: ex modo tamen significandi sunt entia per accidens, duoque diuersa important. Vnde cum modus significandi maximè spectetur in logica, hæc non possunt in concreto reponi in categoria.

5. Dices: quæ ponuntur in prædicamento substantiæ, ideo debent sumi in concreto, quia subsistentia, seu modus suppositi, qui per nomen concretum inportatur, efficit vnum per se cum substantia, eamque vltimò complet: sed inhærentia ita se habet cum accidente: illud enim complet vltimò, & cum eo efficit vnum per se in eodem ordine, & genere.

Adde quòd, cùm prædicamenta distinguantur per diuersos modos prædicandi de prima substantia, vt dicemus sectione sequenti; & accidentia non possint prædicari de substantia, nisi in concreto, debent consequenter in concreto significari in suis prædicamentis, vti ea expressit Aristoteles in quatuor vltimis, nempe *situm esse*, *calceatum esse*, *in foro esse*, *heri fuisse*. Et verò si hæc in abstracto sumantur, includuntur in prioribus prædicamentis, nimirum locus, & tempus in prædicamento quantitatis: habitus seu vestis, in prædicamento substantiæ.

Respondeo, accidens in sua natura sufficienter esse completum absque inhærentia, quamuis sine illa non possit habere suum effectum formalem, quem subjecto communicat: substantia verò est incompleta sine subsistentia, quæ est terminus eius intrinsecus, eam vltimò perficiens, & faciens eam esse in seipsa.

Est & aliud discrimen, quod scilicet inhærentia permiscet accidens cum substantia, cui inhærere dicitur: subsistentia verò distinguit substantiam à cæteris: nam modus essendi in se, soli conuenit substantiæ. Vnde cùm prædicamenta ponantur ad rerum distinctionem, inhærentia accidentis, per concretum importata, inutilis est ad seriem prædicamentalem: subsistentia verò est ad eam necessaria.

6. Ad aliud dicendum est, modum prædicandi fundari in modo essendi, ex quo à priori & principaliter distingui debent prædicamenta, quamuis à posteriori, & secundùm nos clarius à modo prædicandi ducantur

Vnde cum accidentia sint in subſtantia in abſtracto non in concreto (neque enim album eſt in cygno, ſed albedo) conſequenter poni debent in prædicamentis ſuis per nomina abſtracta, atque adeo natura modi prædicandi de ſubſtantia, non vero ſeriei prædicamentalis neceſſitas ea poſtulat in concreto.

Præterea modus prædicandi de inferioribus conſtituit quod libet prædicamentum intrinſecè, quia neceſſariò exigit genera, ſpecies & indiuidua, nam ſi qualitas non prædicaretur alio modo de ſubſtantia, quàm relatio &c. non eſſet ratio diſtinguendi vnum ab alio, modus verò prædicandi de prima ſubſtantia diſtinguit extrinſecè tantum ipſa prædicamenta.

Ariſtoteles autem nominibus concretis vſus eſt in quatuor vltimis categorijs, vt naturam rerum quæ in illis collocantur, melius declararet, quæ licet in abſtracto ſumptæ ſub nominibus aſſignatis poſſint ad alia prædicamenta pertinere: ſub diuerſa tamen ratione accipiuntur quando ſua conſtituunt, vt conſtabit in propriis locis.

7. Quarta conditio eſt, vt quod ſtatuitur in prædicamento ſit ens reale. Cum enim Ariſtoteles diuiſit ens in decem prædicamenta, ſemper locutus eſt de ente reali vt patet 5. Metaph. c. 7. & lib. 6. c. 2. & alibi. Et verò entia rationis non poſſunt in eadem ſerie cum entibus realibus collocari, quia cum illis vniuocè non conueniũt, nec poſſunt de eis tamquam genera aut ſpecies enuntiari: ad hoc enim requiritur, vt ſub eodem nomine eadem ſit ratio ſignificata.

Non nego tamen quin aliquod entis rationis prædicamentum poſſit ſeorſim conſtitui, vt aſſerit Petrus niger ſecundâ parte ſui clypei q. 6. Sotus q. vltima de anteprædicam. in fine, quia in entibus rationis reperiuntur genus ſupremum & intermedia, ſpecies infimæ, & indiuidua, & ſic in ea ſententia, quæ ſtatuit vniuerſale eſſe ens rationis, ſupremum genus erit ens rationis logicum, ſequetur deinde vniuerſale prædicabile *in quid* & prædicabile *in quale*, tum ſpecies infimæ erunt genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens, indiuidua verò, hoc genus, hæc ſpecies, hoc prædicatum, &c.

Dices ens rationis non poteſt eſſe ſummum genus, quia includitur in differentiis entium rationis particularium, cùm enim hæc non ſint entia realia, debent eſſe entia rationis.

Reſponderi poteſt ens rationis ſumi poſſe duobus modis, primò vt diſtinguitur contra ens reale, & ſic continet omnia entia rationis, tum perfecta ſeu completa, tum incompleta, quomodo eſt tranſcendens & non genus. Secundò prout dicit naturam integram, quæ non eſt pars nec differentia alterius, & ita non includitur in differentijs quæ ſunt entia imperfecta, ideoque poteſt eſſe genus. Sed hæc quæſtio eſt minoris momenti, quam vt latius eam perſequi debeamus.

8. Quinta conditio eſt, vt ens illud reale quod ſeriem prædicamenta-

lem ſubit, ſit ens per ſe, hoc eſt vnius eſſentiæ, non vero ens per accidens. Eſt autem ens per accidens, quod componitur ex rebus diuerſorum prædicamentorum, vt album ex ſubſtantia & qualitate: aut ex rebus ejuſdem, ſed in ſuo ordine completis, vt aceruus lapidum: quilibet enim lapis ſeorſim eſt in ſe ſubſtantia completa. Ratio huius conditionis patet ex tertia præcedenti, quia non poſſet prædicari tanquam genus vel ſpecies de inferioribus. Deinde huiuſmodi entia poſſunt pro libito multiplicari in infinitum, ideoque non poteſt terminus prædicamentalis eis præfigi. Tertiò ex hoc confuſio potius quam diſtinctio in coordinatione categorica oriretur. Quartò ens per accidens non eſt ſimpliciter vnum ſed plura, ideoque non debet per modum vnius ſedem aliquam particularem occupare. Quintò vix cadit per ſe ſub ſcientiam, ergo neque per ſe debet conſiderari in prædicamento.

Sexta conditio eſt vt illud ens per ſe, ſit totum aliquod, & completum: quod intellige de his quæ in recta ſerie collocantur. Illud autem completum cenſeri debet, quod non concurrit ad compoſitionem alterius entis per ſe, vt Petrus, hæc albedo: aut ſi concurrit, prædicatur *in quid* de eo tanquam genus, aut ſpecies: licet enim genus ſit pars inferiorum, ſumitur tamen in concreto & vt totum reſpectu eorum, ſicut explicuimus ſectione quinta de genere: & quamuis differentiæ ſumantur etiam in concreto; quia tamen per nomina adiectiua prædicantur, non habent propriè rationem totius & entium per ſe ſtantium in inferioribus, ſicut genus; ſed formarum adiacentium generi tanquam ſubjecto, ideoque naturam partis & entis incompleti ſortiuntur potiùs, quàm genera.

9. Per hanc igitur conditionem excluduntur à recta ſerie prædicamenti partes omnes componentes, ſiue Phyſicæ vt materia, forma, caput, manus; ſiue metaphyſicæ: item vniones, modi, termini quantitatis, cæteraque imperfecta, & incompleta vt ſic: quod addo, quia ſunt aliqua entia, quæ aliquando modum, & ſtatum incompletorum ſubeunt, licet in ſe completa ſint, vt duæ guttæ aquæ ſeorſim ſumptæ, ſunt entia completa, & directè in categoria collocantur, ſi vero iungantur, ſtatum partium ſubeunt, & tunc non per ſe, ſed ſolum reductiue & totius beneficio collocantur.

Ratio huius conditionis eſt, quia partes ſufficienter ponuntur in prædicamento ratione ſui totius, & ſi in eo directè collocarentur, bis includerentur. Similiter conceptus ſummi generis cuiusvis prædicamenti *v. g.* ſubſtantia, ſi complecteretur ſubſtantiam completam, & incompletam, totum & partes totius, bis includeretur in prædicamento, ſemel ratione ipſius totius, & ſemel rationis partium eius, quod abſurdum cenſeri debet.

10. Vltima conditio eſt vt ſit finitum, quæ communiter intelligitur de finito ſecundùm eſſentiam id eſt quod habet eſſentiam limitatam, licet alioqui ſit illimitatum, & infinitum ſecundùm alias conditiones, vt ſecundum

vt secundùm extensionem, intensionem, durationem, & sic Deus solus per hanc conditionem reijcitur à prædicamento.

Infinitum autem secundùm quid, & in aliquo certo genere, vt si daretur linea infinitè extensa, calor infinitè intensus, numerus lapidum infinitus, communis sententia est ponendum esse in prædicamento, quia non excedit perfectionem illius determinati generis, sub quo ponitur, vt linea infinita non excedit perfectionem quantitatis, & sic de alijs: at ens infinitum secundùm essentiam, quia omnem perfectionem simpliciter includit, non potest ad aliquod certum genus adstringi, aut in aliquo speciali ordine disponi: sed de hoc agemus sectione quarta sequenti.

Dices: Aristoteles quinto metaph. c. 13. sic ait, *multitudo quantum quid, si numerabilis est, magnitudo verò si mensurabilis* Ergo ex Aristotele, multitudo innumerabilis, qualis esset numerus infinitus, non esset quantitas, atque adeò non poneretur in prædicamento. Idemque dici debet de magnitudine immensurabili, qualis esset linea infinitè extensa.

Præterea: essentia quantitatis consistit in extensione: ergo si est extensa infinitè, ejus essentia est infinita; & sic à prædicamento debet excludi, sicut Deus.

Denique: species numeri variantur per variationem cuiusque vnitatis: ergo si daretur numerus infinitus, secundùm speciem, hoc est, essentialiter esset infinitus. Ita argumentatur Ruuius, dicens numerum infinitum non posse poni in prædicamento, benè autem aliam quantitatem infinitam, quia ista esset tantùm infinita accidentaliter, seu integraliter.

11. Respondeo pro nunc ad primum, Aristotelem velle multitudinem esse quantum quid, id est certum, finitum, & determinatum quantum, dum potest mensurari, aut numerari: si autem mensurari non potest, non erit quantum quid, seu determinatum, sed non ideò non erit quantum, absolutè loquendo, neque extra prædicamentum. Vel dico numerum infinitum, vel extensionem infinitam posse numerari, & mensurari, non adæquatè, ita vt totum possit pertransiri, sed secundùm partes: & ita intellexit Aristoteles.

Respondeo ad secundum, quòd licet extensio dicatur essentia quantitatis, vel lineæ: tamen maior, aut minor extensio, est illi accidentalis, ideoque non facit ejus essentiam perfectiorem, vel minùs perfectam. Deinde illius essentia erit semper limitata sub genere quantitatis: at infinitum simpliciter secundùm essentiam, est infinitum in omni genere entis.

Eademque est solutio tertij, quia quæcumque species numeri coarctabitur ad quantitatem, & sic erit finitæ perfectionis. Adde quòd non potest ostendi speciem maioris numeri, esse perfectiorem specie numeri minoris: vnde quantumuis in infinitum augeatur numerus, non inferetur perfectior essentia.

SECTIO II.

Quot sint prædicamenta.

12. MAXIMA fuit apud antiquos philosophos de numero categoriarum controuersia, sed omissis pluribus hac de re sententijs, tres possunt assignari præcipuæ. Prima Platonis, qui aliquando vnum statuit prædicamentum, nempè ens. Eum secuti sunt aliqui recentiores, sed non Scotus, vt ei perperam affingunt Complutenses. Licet enim velit ens esse vniuocum ad omnia entia: negat tamen esse genus. Secunda est Zenocratis, teste Simplicio, qui omnia sub duobus complexus est, nempe sub accidente, & substantia: & eam etiam aliqui recentiores amplexati sunt.

Tertiam primus tenuit Architas Tarentinus, teste Iamblico apud Boëtium, licet Auerroes primum eius authorem Aristotelem esse dicat: nimirum decem esse prædicamenta, substantiam, quantitatem, qualitatem, &c. ita expresè in libro categoriarum c. 4. & primo topicorum c. 7. indeque famosa extitit diuisio ista in decem generalissima, seu prædicamenta, eique calculum suum dedere posteriores, ferè omnes Philosophi, tanquam probabiliori, aut saltem Philosophorum authoritate magis approbatæ: quod addo, quia in sex vltimis prædicamentis non ita facilè assignare licet species, & genera, rationesque eorum ab inuicem exactè distinguere. Vnde ipse Aristoteles 5. Phys. in fine capitis primi; & 5. metaph. c. 6. octo tantùm numerauit, omisso situ, & habitu: nec vllam adiecit particulam, quâ indicaret plura esse: sicut adiecit dum pauciora numerauit, vt 1. etich. c. 6. & 6. metaph. c. 2. Denique non potest euidenti ratione probari omnia non posse ad vnum, aut ad duo reuocari. Quare

13. Dico primò, probabile esse vnum esse solummodo prædicamentum, nempe ipsum ens, sub quo tamquam sub genere supremo omnia coordinentur. Huius conclusionis probatio pendet à duplici capite, videlicet an ens sit vniuocum, & hoc posito an sit genus. Scotistæ enim volunt esse vniuocum, & negant esse genus: sed nos Deo fauente vtrumque vt probabile ostendemus in metaphysica, maiorem enim postulat hæc quæstio discussionem, quàm locus iste ferat.

Breuiter autem probatur, quòd sit vniuocum, saltem respectu entium creatorum: quia de omnibus dicitur nomine, & ratione eâdem, quæ est vniuocorum definitio. Quòd autem sit dependens in accidente, & independens in substantia; in illo minus perfectum, in ista perfectiùs:

hoc ad particulares vtriusque rationes, & differentias referendum est; non autem in rationem communem: quia dum quis rationem entis apprehendit, non apprehendit dependentiam, vel independentiam, perfectitatem, vel inalietatem, &c. Vnde stat vniuocatio logica, licet analogia Physica in eo reperiatur ratione particularium conceptuum, ipsâ ratione communi posteriorum.

Quòd autem sit etiam genus, breuiter ostenditur, quia dicitur vniuocè & *in quid* de multis specie differentibus: quæ est generis definitio. Si enim quæritur quid sit substantia, quid sit accidens? rectè respondetur quòd sit ens.

14. Tantùm obijci potest, conceptum generis non debere includi in differentijs: ens autem includi in differentijs, quia alioquin essent nihil. Sed ad hoc responderi potest in primis, non esse necesse genus non includi in differentijs, vt probabiliter ostendimus sectione 5. de differentia.

Secundò, ens aliud esse completum, aliud incompletum: completum est, quod non est pars, nec differentia alterius; & istud debet statui pro summo genere: sic enim non includitur in differentijs, quæ sunt entia incompleta: sicut in simili dicitur de substantia incompleta, quæ tamquam verum genus diuiditur per corporeum & incorporeum. Nam differentia corporei est substantia, sed incompleta: & ita genus substantiæ non includitur in illa. Et hæc sit prima huius conclusionis probatio. Ad rationem enim prædicamenti requiritur tantùm quòd habeat conceptum aliquem supremum, vniuocè, & vt genus de omnibus inferioribus prædicabilem, quod enti conuenire ostensum est.

15. Probatur secundò authoritate Aristotelis 5. Metaph. c. 7. & præsertim 1. top. c. 7. vbi pro prima categoria non assignat substantiam, quatenùs communiter sumitur vt quid ab accidente distinctum, sed prout significat quidditatem, quæ non solùm substantiæ, sed etiam accidenti competit, *genera prædicamentorum*, inquit, *sunt numero decem, quid est, quantum, quale, ad aliquid, vbi* &c. & paulò post *manifestum est autem quoniam quodquid est, interdum substantiam significat, interdum quale, interdum aliam categoriam.* Vnde patet quod Aristoteles vnum prædicamentum constituit de omnibus prædicationibus essentialibus, quæ reperiuntur in substantia, quantitate, qualitate, &c. respectu inferiorum: quæque sunt prædicationes generis, vel speciei sub vno summo genere entis, seu quidditatis: deinde verò subdiuidit illud in substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, &c. Et sic vnicum sustineri potest prædicamentum.

Quando verò Aristoteles 8. metaph. c. vltimo dicit ens non esse genus: sumit ens latissimè, prout distinguitur contra nihil; non pro ente completo vel intelligit non esse genus prædicamentale, quod debeat poni in definitionibus, vt ipsemet ait: quia cùm dicatur de omnibus prædicamentis, non debet poni in definitione specierum, quæ in prædicamentis po-

nuntur: eoquòd tale genus debet distinguere speciem, saltem ab aliquibus rebus, vt constat ex 6. top. c. 2. ante medium.

Sed quia huiusmodi communis ratio entis potest probabiliter dici analoga, non vniuoca respectu substantiæ, & accidentis, ob inæqualem participationem, seu dependentiam essentialem accidentis à substantia, ideò.

16. Dico secundò, probabiliter etiam duo prædicamenta statui posse, alterum substantiæ, alterum accidentis in communi, quod deinde in nouem diuersa genera, quantitatem, qualitatem, relationem, &c. subdi uidetur.

Probatur, quia nulla efficax ratio assignatur ad probandum accidens in communi, non esse vniuocum, atque genus ad omnia accidentia: prædicatur enim nomine, & ratione de omnibus, neque de vno per ordinem ad aliud, aut dependenter ab alio.

Dices: ex Aristotele 1. post. c. 12. propositiones in quibus vnum prædicamentum negatur de alio, sunt immediatæ, seu non habent medium quo possint probari *à priori: ergo accidens non potest esse genus vniuocum ad omnia accidentia; alioquin ista propositio, qualitas non est substantia* posset sic à priori demonstrari: *nullum accidens est substantia sed qualitas est accidens: ergo non est substantia.*

Respondeo pro nunc, tales propositiones vocari ab Aristotele immediatas, non quòd earum extrema non conueniant in aliquo superiori vniuoco, & generico; sed quia sunt immediatæ in logica, ad quam non pertinet eas demonstrare à priori, sed ab ea supponuntur, vt per se notæ, ob receptam communiter ab omnibus Philosophis diuisionem entis in decem prædicamenta, tamquam in genera, essentialiter diuersa. Cœterùm nihil vetat tales propositiones demonstrari à metaphysica, cuius est agere de ente, & speciebus entis. Deinde possunt dici immediatæ, & indemonstrabiles quoad nos, quia medium, per quod demonstrari possint nempe accidens, non est nobis notius, quàm quoduis genus, ipsi supposítum, hoc est quantitas, qualitas, relatio &c.

17. Instabis: Aristoteles 8. metaph. c. vltimo circa finem, & lib. 10. c. 2. in fine, & alibi dicit ens statim esse substantiam, quantitatem, qualitatem &c. non expectans aliud, quo fiat talia; sed seipso esset alia absque medio: ergo etiam in metaphysica tales propositiones sunt immediatæ, & inter ens, & prædicamenta non datur accidens, quod possit esse genus ad illa.

Respondeo primò, posse etiam dici immediatas in metaphysica quoad nos, ob rationem iam dictam; quia non est nobis notius quòd quantitas sit accidens, quàm quòd sit quantitas, hoc est, magnitudo: neque quòd relatio sit accidens, quàm quod sit relatio, seu ratio respiciendi aliud; & sic de alijs.

Respondeo secundò, Aristotelem ibi tantùm velle ens descendere ad substantiam, quantitatem &c. per se ipsum absque medio distincto, quod

sit alia res ab ipso ente, & quouis prædicamento: non autem negat quin possit esse alius conceptus intermedius, cum ipso identificatus, quo desendat ad prædicamenta, qualis est esse per se, & esse in alio, & hoc ostendit eius comparatio: ait enim substantias separatas esse vnum seipsis, sicut ens seipso est substantia, &c. at substantiæ separatæ sunt vnum, ex genere, & differentia compositum, scilicet ex substantia, & incorporeo; ergo substantia erit composita ex ente, & differentia perfectatis: quantitas ex ente, & differentia accidentalitatis.

18. Dico tertiò, factâ abstractione ab vniuocatione, & genereitate entis, rectè assignari decem prædicamenta. Ratio est, quia, cum prædicamentum sit series, & coordinatio multorum prædicatorum sub vno summo genere, aliud est quærere quot sint prædicamenta, aliud quot sint summa genera. Vnde quamuis ens esset genus ad omnia entia, non ideo minùs essent decem prædicamenta, hoc est, decem classes, seu decem diuersæ series multorum prædicatorum sub vno summo apice, seu genere, nempe ente. Et quodlibet quidem prædicamentum habebit summum genus in suo ordine, & in propria prædicatorum suorum serie; itaut non habeat alia superiora intra se ipsum, licet habeat superius extra, & supra se. Hoc enim modo substantia v. g. erit summum genus prædicamenti substantiæ: ens verò erit genus, seu extra & supra seriem illius prædicamenti; & ita de prædicamentis accidentium: ens quippe non est substantia, nec accidens, sed ab vtroque abstrahit.

Vnde, si Aristoteles alicubi vocauit ista decem prædicamenta, summa genera, tantùm voluit esse; intra se, in suo ordine, & serie summa non autem simpliciter. Et ita probabiliter defenditur denarius prædicamentorum numerus absque præiudicio vniuocationis, & genereitatis ipsius entis.

19. Cæterùm ad huius numeri, siue diuisionis prædicamentorum congruentiam adstruendam, multæ rationes à varijs afferri solent. Ocham 1. p. Logicæ c. 42. & quodlib. 5. q. 22. illum numerum colligit ex diuersis interrogationibus, quas possumus facere de prima substantia, in ordine ad quam, ex omnium consensu, ipsa prædicamenta explicari, & concludi debent. Quærimus autem de prima substantia quid sit, & hoc est prædicamentum substantiæ: quanta sit, qualis sit, quò referatur, qui agat, quid patiatur, vbi sit, quomodo sit in loco, quando sit, & quomodo induta.

Neque aliter Aristoteles hunc numerum colligit in isto tractatu, c. 4. & lib. 5. metaph. c. 7. quàm ex diuersis prædicationibus, quæ ex varijs interrogationibus colliguntur. *Eorum quæ prædicantur*, inquit, *quædam ipsum quid est significant, quædam quale, quædam quantum*, &c.

Diuus Augustinus in suis categorijs, c. 8. illum numerum explicat per diuersos modos essendi in substantia, quæ alias nouem categorias sustinet. Ex his enim alia sunt in substantia, alia extra ipsam, alia extra &

Intra. Quantitas, qualitas, & ſitus ſunt in ipſa: ſtatim enim atque dicimus Petrum eſſe ſubſtantiam, aduertere neceſſe eſt ipſum eſſe magnum, aut paruum, nigrum, aut album, ſtantem, aut iacentem. Extra ſubſtantiam ſunt vbi, quando, habitus: nam locus, tempus, & veſtis ab illa ſeparata ſunt. Relatio denique, actio, & paſſio ſunt communia, & partim extra, partim intra: nam relationem quis non habet, niſi ad alterum: nec quis agit, niſi in aliud, nec patitur, niſi ab alio.

20. Diuus Thomas viam Diui Auguſtini ſecutus eſt: paulò aliter tamen diuiſionem prædictam digeſſit 5. metaph. lectione 9. & 3. Phyſ. lect. 5. litterâ 1. hoc diſcurſu. Quidquid ineſt, ſeu prædicatur de prima ſubſtantia, vel eſt idem cum ipſa, & prædicatur ſecundùm eſſentiam, vel ſecundùm accidens, ſi ſecundùm eſſentiam, vt *Petrus eſt homo*, conſtituitur prædicamentum ſubſtantiæ: ſi verò ſecundùm accidens, conſtituuntur nouem alia. Illud quippe, quod de prima ſubſtantia accidentaliter dicitur, eſt illi intrinſecum, vel extrinſecum; vel partim intrinſecum, partim extrinſecum. Si intrinſecum, conſtituentur tria priora: nam ſi illi conuenit abſolutè vt conſequens materiam, eſt quantitas: ſi vt conſequens formam, eſt qualitas: ſi ad aliud referat, eſt relatio.

Quòd ſi prædicatum fuerit quid extrinſecum: conſtituentur alia quatuor, vbi, quando, ſitus, habitus: habitus quidem ſi fuerit ornamentum ſubſtantiæ, vt veſtes: locus verò, ſeu vbi, ſi fuerit illius menſura ſecundùm quantitatem, abſolutè ſumptam; ſi verò ſecundùm quantitatem, certo quodam modo, erit ſitus, vt ſtare, ſedere. Quod ſi fuerit menſura ſecundùm tempus, erit quando, vt heri. Denique ſi ea, quæ prædicantur, partim ſint extrinſeca, partim intrinſeca, conſtituentur duo reliqua prædicamenta, actio nimirum, & paſſio, quæ partim ſunt in agente, partim in patiente; in illo quidem vt in principio; in iſto verò, vt in ſubjecto, ſeu termino.

21. Huiuſmodi tamen diſcurſus, & diuiſio non caret difficultate; nam actiones immanentes, omninò inhærent in ſubſtantia, à qua eliciuntur; ideoque non ſunt partim extrinſecæ. Item vbi, ſitus, & quando, ſeu duratio, dicuntur à multis eſſe modi interni. Similiter non ſatis oſtenditur quomodo quantitas ſequatur materiam, cum potius forma ſit quæ illam exigit; & major, vel minor ſit in corpore, ob diuerſitatem formarum, informantium materiam.

Ad hæc dicendum nunc eſt pro ſententia diui Thomæ, abſtrahendo à variis opinionibus, de quibus in proprijs locis, vltima prædicamenta, nimirum *actionem*, *paſsionem*, *vbi*, *quando*, & *ſitum*, non appellari formas extrinſecas, quaſi nullæ inhæreant in ſubſtantia, ſed quia vel in ſe, vel reſpectu noſtri inuoluunt ordinem ad extrinſeca, à quibus accipiunt quodammodo complemẽtum ſuæ denominationis. Nam *vbi*, & *ſitus* dicunt ordinem ad ſuperficiem ambientem; *quando* connotat externam temporis durationem; *actio* dicit reſpectum ad principium, à quo

procedit: & quia omnis actio non est immanens, ideò actioni in communi non repugnat extrinsecè denominare. Deinde agens, vt sic, non patitur & ideò vt agens, non denominatur intrinsecè per aliquid in se recepti, sed tantùm vt patiens: saluâ tamen opinione Scoti, ex quo actio recipitur in agente. *Passio* etiam denominat subiectum cum respectu ad agens extrinsecum, à quo patitur.

22. Dicitur autem quantitas sequi materiam, & qualitas formam, quia quantitas non est nisi in rebus materialibus, saltem in sublunaribus: qualitas verò sequitur formam secundùm se, siue sit in materia, siue non; vnde res diuersæ speciej, diuersas habent qualitates, vt explicat Sotus c. 4. in prædicam. q. 2.

Quando porrò Aristoteles, Diuus Thomas, & alij dicunt prædicamenta distingui ex diuersis modis prædicandi de prima substantia, loquuntur de distinctione secundaria, proxima, & notiori nobis: nam primariò distingui debent ex diuersis modis essendi, in quibus modi prædicandi fundantur: & isti modi essendi refunduntur in diuersitatem essentialem naturarum realium, quæ in prædicamentis coordinantur. Nisi enim quantitas haberet rationem formalem, diuersam à ratione formali qualitatis, non haberet diuersum modum essendi in prima substantia, nec consequenter prædicandi; atque adeo non faceret prædicamentum diuersum à prædicamento qualitatis. Quanta autem sit hujusmodi naturarum diuersitas, iam examinabimus.

SECTIO III.

Quomodo prædicamenta inter se distinguantur.

23. QVAESTIO ista debet intelligi de rebus ipsis, ex quibus prædicamenta contexuntur: quomodo videlicet inter se distingui debeant; circa quod triplex est sententia. Prima est Pauli Veneti c. 31. metaph. naturas ipsas reales prædicamentorum debere inter se distingui realiter, itavt vna eademque natura non possit in diuersis prædicamentis constitui.

Secunda sententia est, prædicamenta inter se distingui debere, si non omnia realiter tamquam rem & rem, saltem formaliter ex natura rei, & actu ante operationem intellectus. Ita Sotus q. 2. de relatione, Complutenses q. 5. & in libris Physicorum, q. 2. de actione, & passione, vbi multos alios citant.

Probatur vtraque hæc sententia, primò ex Aristotele 1. post. c. 12. vbi asserit prædicamenta non misceri inter se, nec in aliquo communicare. Si autem quodlibet non esset actu distinctum ab alio ex parte rei, miscerentur inter se, & communicarent in identitate naturæ. Et 7. topic. c. 1.

ad discernendum vtrum aliquid sit vnum numero cum alio, vel non, *Videndum est*, inquit, *an in vno genere categoriæ minùs vtrumque numeretur, vnumque qualitatem, alterum quantitatem, aliud relationem indicet.* Igitur quæ in diuersis categorijs ponuntur, non possunt esse idem numero; & ita distingui debent ex natura rei.

Respondetur ad hoc argumentum, Aristotelem tantùm velle prædicamenta non misceri inter se secundùm rationes formales, prout ab intellectu accipiuntur, & distinguntur. Nam verum est quòd relatio vt sic, non est qualitas, nec quantitas, &c. licet res illa, quæ est relatio, sit eadem, quæ est qualitas. Sicut ergo nulla quantitas est qualitas, ita nullum genus quantitatis, est species qualitatis; ideoque in nullo formaliter communicant.

Ad alium verò locum, dicitur dari distinctionem numericam rationis, qualis est inter hanc actionem, & hanc passionem; inter hanc albedinem, & hanc relationem similitudinis, quam in se habet: ideoque ea quæ genere categoriæ differunt, numero differre, sed aliquando solùm per intellectum.

24. Probatur secundò, quæ habent diuersas naturas, definitiones, & essentias, sunt à parte rei distincta: sed omnia prædicamenta diuersas habent naturas, & definitiones, ergo &c. maior constat, quia vnius eiusdemque rei non possunt esse plures definitiones, & essentiæ: sic enim idem à seipso diuersum esset. Minor etiam clara est, quia definitio substantiæ non est definitio quantitatis: neque essentia qualitatis est essentia relationis: vnde Aristoteles 1. post c. 12. ait propositiones, in quibus vna categoria negatur de alia, esse per se notas: ergo à parte rei actu quidditas qualitatis non est quidditas relationis, & sic à parte rei actu distincta sunt: quod idem valet in cæteris prædicamentis.

Respondeo negando maiorem. Nam etiam ex his authoribus animalitas, & rationalitas non distinguuntur ex natura rei in homine; & tamen diuersas habent essentias, & definitiones. Vnde eadem res est diuersa à seipsa secundùm diuersas considerationes cum fundamento in re: quo fit vt vnum prædicamentum non possit in sensu formali prædicari de altero: neque enim rectè dicitur, *actio est passio*, licet eadem res sit actio & passio: sicut non rectè dicitur, *animalitas est rationalitas*, quamuis solâ ratione ratiocinatâ dicantur distingui: quia nimirum vna ratio non est de quidditate alterius, prout stant sub diuersis conceptibus.

25. Probatur tertiò. Ens quòd in decem summa genera diuiditur, est reale ex communi consensu; & patet ex Aristotele 5. metaph. c. 7. ergo erunt decem entia realia; & consequenter à parte rei distincta, quia ens eo ipso quòd est ens, est vnum, & ideo ab alijs distinctum.

Respondeo non esse necessarium prædicamenta, quamuis sint decem entia realia, esse actualiter ex parte rei inter se distincta: nam in vna eademque re possunt multa genera per intellectum distingui, etiam non subordinata;

dinata; vnde eodem modo, quo distingũtur, eodem numerum denarium faciunt. Quia enim prædicamenta per intellectum, & artem dispositа sunt, per eũdem in conceptus, & rationes hoc modo distinctas distribuuntur.

Probatur quartò. Prædicamenta sine ordine ad intellectum sunt actu primò diuersa, hoc est in nullo superiori conuenientia, aliàs non darentur à parte rei decem suprema entium genera: ergo etiam sunt distincta actu præter operationem intellectus. Probatur consequentia, quia major est separatio in primò diuersis, quàm in realiter distinctis: siquidem hæc possunt vniuocè conuenire; illis verò nihil est commune, præter nomen. Ita complutenses q. 5. de relatione, §. 1.

26. Respondeo, antecedens non esse ita certum. Ostendimus enim sectione præcedenti, ens, & accidens, probabiliter dici genera, sub quibus prædicamenta statuantur, neque propterea non esse decem summa genera in suo ordine, vt explicui conclusione tertia. Deinde: licet concedatur esse primò diuersa, nec in aliquo superiori conceptu conuenire, non rectè inferunt complutenses dari ob id à parte rei decem summa genera: nam nec genus, nec aliud vniuersale est à parte rei ex ipsorum opinione. Datur quidem fundamentum decem supremorum generum ex parte rei, sed non decem suprema genera formaliter: & ita sufficit vt ab intellectu distinguantur.

Ad probationem verò illius consequentiæ quæro quid intelligant per majorem separationem? Si enim intelligant distinctionem entitatum, falsum est quòd sit major separatio inter primò diuersa, quàm inter realiter distincta: tum quia non datur major distinctio distinctione reali: tum quia secundùm ipsos non est necessaria distinctio realis inter primò diuersa, hoc est, inter prædicamenta, sed sufficit distinctio formalitatum, aut modorum in eadem re. Si verò intelligant diuersitatem in rationibus formalibus, prout substant conceptibus intellectus, vera est probatio, sed nihil concludit pro distinctione reali inter prædicamenta.

27. Probatur quintò: quia si prædicamenta solà ratione ratiocinatâ distinguantur, nulla est ratio cur decem summa genera admittantur, nec plura nec pauciora, quia per intellectum possunt plures modi essendi & prædicandi distingui, sicut & isti decem ad pauciores reduci; ergo debent à parte rei distingui.

Respondeo negando antecedens: sufficienter enim ostensum est sectione præcedenti, conclusione tertia, esse decem prædicamenta, nec posse commodiùs plura, aut pauciora distingui: quia modi omnes, qui ab istis decem, aliquâ ratione diuersi assignari possunt, facilè ad eos reuocantur; & si pauciores assignentur, aliqua inde confusio sequitur, vt patebit, dum de singulis in particulari agemus.

28. Tertia sententia asserit non esse necessariam distinctionem ex natura rei inter prædicamenta, sed sufficere distinctionem rationis ratiocinatæ. Ita durandus in 1. d. 30. q. 2. n. 20. Soncinas 5. metaph. q. 13. Iauellus

q. 16. & 22. Suares disput. 39. metaph. sect. 2. n. 21. Auersa q. 16. Logicæ sect. 4. & alij.

Probatur primò ex Aristotele in prædicamentis, c. de qualitate in fine vbi concedit posse idem ad diuersa prædicamenta pertinere, his verbis, *præterea si quid idem & quale, & ad aliquid sit, in vtrisque ipsum generibus collocari non erit absurdum.*

Respondeo, Aristotelem non loqui ex propria sententia, sed iuxta definitionem relatiuorum ab antiquis traditam: ex ea enim sequebatur idem esse posse in diuersis prædicamentis: at ipse talem definitionem non approbauit, nec consequenter responsionem ex illa deductam, ex propria mente tradidit.

Deinde loquitur ex hypothesi, si aliquid idem sit quale, & ad aliquid, in vtroque genere collocabitur: at vtrum suppositio vera sit, ipse non explicuit.

Denique tantùm vult scientiam ad qualitatem, & relationem pertinere, diuersâ ratione: ad illam essentialiter; ad istam accidentaliter per relationem prædicamentalem sibi adiunctam; ex quo non potest concludi identitas realis inter duo illa prædicamenta.

29. Probatur secundò ex 3. Physic. c. 3. vbi Aristoteles comparat actionem & passionem interuallo, quod idem est, siue vt accliue, siue vt decliue spectetur: sicut & via, quâ itur Thebis Athenas, & Athenis Thebas, eadem est, inquit. Similiter enim motus egrediens ab agente, & receptus in passo, est eadem entitas, quæ vt exit ab agente, dicitur actio, vt recipitur in subjecto, dicitur passio. At ex actione, & passione constituit Aristoteles duo prædicamenta: igitur opus non est, vt prædicamenta distinguantur ex parte rei.

Respondeo actionem, & passionem distingui, saltem ex natura rei, tamquam duas formalitates eiusdem entitatis: & hoc ostendit Aristoteles citato loco, dum sic ait de interuallo accliui, & decliui: *hæc enim vnum quidem sunt, ratio tamen non vna est: similiter in mouente, & moto.* Et infra textu 22. ait *neque doctio idem est quod disciplina, neque actio idem quod passio, sed motus cui hæc insunt: nam huius in hoc, & huius esse actum ab hoc, diuersum est ratione.* vbi per *diuersum ratione* intelligit formaliter ex natura rei diuersum ad minùs. Sed de hoc in Physicis.

SECTIO IV.

An Deus ponatur in prædicamento.

30. HÆc quæstio solet communiter agitari in tractatu de prædicamento substantiæ, quasi in hoc solo statui possit Deus, si in aliquo statui debeat. Nihilominùs, quia alicui videri possit, ipsum etiam poni in prædicamento relationis, quatenùs in eo veræ relationes reperiuntur: item ratione sapientiæ, intellectus, voluntatis, & aliorum attributorum; in prædicamento qualitatis, &c. ideò satius duxi huiusmodi quæstionem in vniuersum examinare, an Deus in aliquo prædicamento debeat collocari, & quo modo in eo collocari possit. Pro cuius intelligentia.

Aduertendum est aliquid posse constitui in prædicamento tribus modis, primò directè, secundò indirectè, tertiò reductiuè: addunt & alij quartum modum, scilicet participatiuè. Directè ponuntur genera, species, & individua: indirectè verò differentiæ, diuisiuæ, & constitutiuæ: quatenus sumuntur vt differentiæ: reductiuè autem ea, quæ sunt partes, aut modi rei, quæ directè ponitur: vt punctum reducitur ad prædicamentum quantitatis, cuius est modus, vnio, vel terminus. Similiter caput, brachium, materia, forma reducuntur ad prædicamentum substantæ, cuius sunt partes.

Participatiuè denique poni dicitur illud, quod non per se ponitur, sed per aliquid, quod est quædam illius participatio: & ita, cum creaturæ, quæ sunt quædam participationes Dei, quatenus omnis effectus aliquid de sua causa participat, directè in prædicamento collocentur, Deus dicitur in eo poni participatiuè, de quo non est dubium.

31. Certum etiam est ipsum non poni in prædicamento indirectè, quia non est differentia alicuius entis; nec item reductiuè tanquam partem, aut modum, aut aliquid imperfectum ad constitutionem alterius rei ordinatum, vt per se patet. Dicit tamen Diuus Thomas q. 7. de potentia, art. 3. ad 7. & in 1. sent. d. 8. q. 4. art. 2. ad 3. Deum esse per reductionem in prædicamento substantiæ vt principium illius: quo etiam modo potest dici esse in omnibus alijs, licet magis propriè in primo, quia substantia propinquior est Deo.

Nihilominùs 1. p. q. 3. a. 5. expressis terminis hoc negat. Vnde priori loco ita debet intelligi, vt Deus ponatur in prædicamento reductiuè, tanquam principium continens ipsum prædicamentum, illudque supereminens: in posteriori verò in eo non ponatur vt principium sub ipso, &

ab ipso contentum, sicut continetur punctum, principium lineæ; & vnitas, principium numeri, vt notat Cajet. ibi, & patet ex textu.

Solùm igitur controuersia est, an Deus ponatur directè in prædicamento. Affirmatiuam partem sustinent Gregorius Arim. Gabriel, & major in 1. d. 8. Robertus Olkot q. 6. Marsilius q. 10. & alij. Negatiuam verò sanctus Thomas 1. p. q. 3. art. 5. & ibi Cajet. & Iauellus: item q. 13. art. 5. & primo contra gent. c. 24. & 25. ibique Ferrar. Scotus in 1. d. 8. q. 3. numer. 16. Suares, Complut. & Thomistæ atque Scotistæ communiter. Vtraque sententia probabilis mihi videtur, & vt probabilis hic sustinenda.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Deum poni in prædicamento.

32. PRIMVM pro ista sententia argumentum petitur ex authoritate Aristotelis, & quorundam patrum. Aristoteles enim 12. metaph. c. 1. vbi diuisit ens in prædicamenta, nempe in substantiam, quantitatem, qualitatem &c. diuidit substantiam in mobilem, & in immobilem, & sub immobili ponit Deum c. 7. ejusdem libri. Item 1. Ethic. c. 6. ait bonum poni in omnibus categorijs, & pro exemplo in prædicamento substantiæ affert Deum, & mentem.

Accedit authoritas Diui Augustini 5. de Trinit. c. 8. 10. 11. & 12. Vbi ait duo prædicamenta, substantiæ nimirum, & relationis, dici propriè de Deo. Diuus quoque Damascenus lib. de decret. primar. institut. c. 7. ait summo genere substantiæ contineri Deum, Angelum, &c.

Respondeo in primis, Aristotelem in primo loco, dum loquitur de substantia immobili, seu de Deo, non ampliùs sumere substantiam pro ea, quæ est genus; sed pro substantia cum omni perfectione, & excludente omnem potentialitatem, quomodo est prædicatum transcendens omne genus. In alio verò loco attulit exemplum in ijs, quæ quoquo modo ponuntur in categoria: Deus autem ponitur in illa tum participatiuè, tum reductiuè, vt explicatum est numero præcedenti. Adde quòd non requiritur omnimoda veritas ad exempla. In alijs omnibus locis intelligit Aristoteles nomine Dei, intelligentias quas existimauit subtilia quædam habere corpora in genere animalis, & ab hominibus differre per immortale, vt patet 4. top. c. 2. & alibi.

33. Ad loca patrum respondeo, duo prædicamenta dici propriè de Deo, nimirùm substantiam, & relationem, non secundùm quòd limitata sunt ad genus, sed præcisè secundùm rationes suas formales, hoc

est, prout substantia dicit ens in se & non in alio, quomodo distinguitur contra accidens: & prout relatio dicit præcisè esse ad aliud: vt sic enim nullam includunt imperfectionem: at vero limitata ad genus, & ad categoriam, includunt imperfectionem, & potentialitatem, ideoque non possunt, vt sic, enunciari de Deo.

Vnde Damascenus in elementario, c. 8. ait genus generalissimum substantiæ continere supersubstantialiter increatam deitatem. Quo satis ostendit se sumere tunc substantiam transcendentaliter, & excellentissimo modo, prout transgreditur fines categoriæ, aut prout continet infra se categoriam, tanquam principium eius, sicut dictum est numero 31.

34. Secundum argumẽtum est quod habet Auicenna 2. metaph. c. 1. hoc modo. Inter ens in subjecto, & ens non in subjecto, hoc est inter accidens, & substantiam, non datur medium: sed Deus est ens non in subjecto, seu est substantia; & substantia est genus; ergo Deus est in genere substantiæ.

Respondeo non dari medium inter accidens, & substantiam in tota sua amplitudine sumptam, nimirùm secundùm rationem formalem existendi per se, quomodo competit Deo: at vt sic, duplex debet distingui substantia, alia est illimitata, infinita, & omni carens potentialitate: alia verò finita, potentialis, & per veras differentias contrahibilis. Prima non est in genere substantiæ sed illud transcendit, vt explicatum est in primo argumento. Quare ens primâ diuisione debet diuidi in infinitum, & finitum, & postea finitum in accidens, & substantiam categoricam.

Tertium argumentum. Omne quod prædicatur *in quid* de multis specie differentibus, est genus respectu illorum, vt patet ex definitione generis: sed spiritus prædicatur *in quid* de Deo, & Angelis, Ioan. 4. ergo spiritus est genus de prædicamento substantiæ, & ita in eo Deus contineri debet.

35. Respondeo tale prædicatum *in quid*. debere esse vniuocum: nihil autem esse commune Deo, & creaturis vniuocè secundùm Thomistas, sed ad summum analogicè: quia Deus est ens, & substantia per essentiam, creatura verò per dependentiam, & participationem à Deo: & ita omne prædicatum commune Deo, & creaturis, priùs, & antecedenter conuenit Deo, consequenter verò creaturis: & ideò non vniuocè, sed analogicè.

Ex Scotistis autem respondeo genus esse quid potentiale, & perfectibile per veras differentias, quæ variant essentiam rei, suntque extraneæ, seu extrinsecæ ipsi generi: nihil autem esse in Deo sic potentiale, quia quidquid in Deo est, si relationes fortè excipias, est formaliter infinitum, omnem perfectionem includens: itaut ratio infiniti sit modus, seu gradus intrinsecus omni prædicato dicto de Deo, non varians essentiam talis prædicati, sed illud perficiens intrinsecè in semetipso; sicut octauus gradus caloris perficit calorem, tanquam gradus intrinsecus, non tan-

quam propria differentia caloris; & ita non facit cum eo compositionem.

Respondeo tertiò, quòd licet concedatur aliquis conceptus communis Deo, & creaturis, qui intelligatur potentialis, & perfectibilis per alium, qui teneat locum differentiæ: iste tamen debet includere formaliter omnem perfectionem, alioqui Deus in ratione Dei conceptus, non intelligeretur omni ex parte perfectus. Ergo, si conceptus differentiæ includit omnem perfectionem, includit omnem alium conceptum, & consequenter perfectionem generis: ergo frustra ponuntur duo conceptus diuersi ad constituendum Deum, alter generis, alter differentiæ: & ita non potest dici quòd ponatur in prædicamento.

36. Quartum argumentum. Ideo maximè Deus dici debet non poni in prædicamento, quia est actus purus, & summè simplex, vt dicitur in capite *firmiter* de summa Trinitate: & ita excludit omnem compositionem; quæ autem collocantur in prædicamento, componuntur ex genere, & differentia: sed hæc ratio nulla est: ergo nihil impedit quin Deus in prædicamento reponatur.

Probatur minor. Nam in primis ex communi sententia distinctio rationis, quam intellectus facit inter attributa diuina, non repugnat summæ identitati, & vnitati eorum inter se, & cum essentia Dei: ergo etiam compositio rationis, qualis est inter genus, & differentiam, non repugnabit summæ eiusdem Dei simplicitati, & actualitati: quia sicut distinctio rationis, ita & rationis compositio, est tantum denominatio extrinseca, petita ex modo nostro concipiendi, ideoque nihil ponit in re.

Deinde: Theologi dicunt communiter personam diuinam constitui essentiâ, & relatione, distinctis ratione inter se: ergo necessariò inter eas admittenda est compositio rationis: & consequenter sicut ista non derogat simplicitati diuinæ, ita nec compositio ex genere, & differentia.

Tertiò: conceptus personæ est vniuocè communis tribus personis diuinis: nec vlla analogiæ ratio potest in hoc assignari. Item conceptus relationis vniuocè competit paternitati, filiationi, & spirationi passiuæ. Huiusmodi autem conceptus communis non potest esse alius, quam generícus, & specificus. Vnde sequitur compositionem ex genere, & differentia non repugnare Deo.

37. Respondeo primò, negando minorem: ad cuius probationem primam dico distinctionem rationis non repugnare Deo, imò arguere perfectionem in illo, quæ tanta est, vt cùm non possit vno conceptu à creatura adæquatè concipi, cogat eam id præstare conceptibus multis inadæquatis. At compositio arguit imperfectionem, quia supponit potentiam, cui actus, & differentia aduenit.

Respondeo secundò, negatâ pariter minori, & dicendo ad probationem illius primam, omnem huiusmodi distinctionem rationis non repugnare identitati attributorum diuinorum: neque compositionem ei respon-

dentem, diuinæ simplicitati, quia talis compositio non fit per additionem vnius conceptus ad alium diuersum, sicut in compositione generis, & differentiæ; sed per maiorem determinationem, siue expressionem vnius, eiusdemque conceptus simplicis obiectiui intra seipsum in ordine ad conceptus formales, sicut explicatum est q. de differentia, numero 34.

Vnde hæc compositio debet potiùs vocari constitutio, quàm compositio, quia ratio, quæ concipitur communis Deo, & creaturis, & ratio, quæ concipitur determinata, & propria Dei, non possunt concipi ita ab inuicem præcisæ, quin vna includatur essentialiter in altera ob infinitatem rationis determinatæ, & constitutiuæ Dei, vt in responsione ad tertium diximus: ideoque non sunt duæ rationes obiectiuæ, sed vnica simplex, quæ, dum confusè, & indeterminatè concipitur, intelligitur communis, superior, & abstractior; dum verò determinatè, distinctè, & expressè concipitur, intelligitur propria Dei, & à quauis aliâ diuersa.

38. Instabis: hæc responsio non valet in ea sententia, quam probabilem iudicauimus sectione 5. de differentia, nimirùm aliquas differentias includere essentialiter genus.

Respondeo, valet in hac materia; quia, cùm ratio determinata, ob infinitatem, & eminentiam suam, includat omnem perfectionem, non potest limitari ad aliquod prædicamentum particulare, sed omnia transgreditur, omniumque perfectiones, & rationes, vel formaliter, vel eminenter sub se concludit.

Ex quo patet solutio ad secundam probationem eiusdem minoris. Essentia enim continet eminenter omnem perfectionem relationis, ex qua, & essentiâ constituitur persona. Et similiter vbi persona determinatur ad personam diuinam; & relatio ad diuinam relationem, statim cessat omnis compositio ex genere, & differentia, tolliturque omnis limitatio, & potentialitas. Vnde soluta manet tertia probatio.

Adde quod persona ex propria, & formali ratione, quam importat, est tantùm prædicabilis de vno, licet possit per intellectum concipi tanquam communis multis, eo modo quo individuum est de vno solo prædicabile; & tamen præscinditur ab intellectu vt quid commune, sicut explicui q. 2. libri præcedentis, sectione 4.

39. Quintum argumentum. Ex Aristotele 10. Metaph. textu 7. in genere substantiæ est vna prima substantia, quæ est mensura cæterarum. Ait autem ibi comentator talem primam substantiam esse primum motorem, hoc est, Deum: ergo sicut in alijs generibus primum est aliquid illius generis, ita in substantia primum erit de genere substantiæ; & ita Deus erit in illo genere.

Respondeo, Deum esse mensuram extrinsecam, & heterogeneam, non solùm substantiæ, sed omnium aliorum generum, quatenus vnumquodque tantùm habet de esse, quantum ei appropinquat: solam autem intrinsecam, & proportionatam debere esse homogeneam, & de genere

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

illo, cuius est mensura. De prima loquitur commentator, seu Auerroes, non de secunda.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Deum non esse in prædicamento.

40. PRIMVM argumentum petitur ex authoritate Patrum: dicit enim Augustissimus 7. de Trinit. c. 5. Deum abusiuè dici substantiam; intelligendo nimirùm categoricam. Item Diuus Anselmus in monologio c. 26. ait *illa substantia nullo communi tractatu substantiarum includitur, à cuius essentiali communione omnis natura excluditur.* Cyrillus Alexand. lib. 11. Thesauri negat differentiam substantialem esse in Deo, quia *hæc*, inquit, *in compositis tantum reperitur; Deus autem simplicissimus est.* Idemque multi alij Patres, ferè omnes.

Respondeo Diuum Augustinum sumere substantiam pro ea, quæ accidentibus subsstat, quomodo non potest Deo competere. Neque enim bonitas, aut sapientia diuina sunt accidentia, quibus substantia diuina subsit: & hic sensus patet ibi in textu: & lib. 4. confess. c. 16. vbi sic ait, *cum etiam te Deus meus mirabiliter simplicem, atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans, quidquid esset omninò comprehensum sic intelligere conarer quasi & tu subiectus esses magnitudini tuæ, aut pulchritudini, vt illa essent in te quasi in subiecto sicut in corpore, cùm tua magnitudo, & tua pulchritudo tu ipse sis*, &c.

Eodem modo potest intelligi diuus Anselmus. Cyrillus autem negat in Deo compositionem ex genere, & differentia, quæ sit ex parte rei, qualem vult esse Scotus in creatis ob suam distinctionem formalem ex natura rei: non negat autem metaphysicam, siue logicam, quæ ab intellectu dependeat. Vno verbo fatendum est Patres satis communiter, excludere Deum à prædicamento rerum creatarum: sed opinio contraria non est improbabilis, cùm fulciatur authoritate aliorum Patrum, vt satis probabiliter ostensum est numero 32.

41. Secundum argumentum habet Scotus in 1. sent. d. 8. q. 3. in exemplaribus cauelli in hoc sensu. Nullum prædicatum, nullusque conceptus communis Deo, & creaturis, potest esse genus: ergo Deus non potest poni in aliquo prædicamento, sibi, & creaturis communi. Probatur antecedens. Nullum genus potest esse indifferens ad finitum, & infinitum: sed omne prædicatum commune Deo, & creaturæ, est indifferens ad finitum, & infinitum: ergo nullum prædicatum commune Deo, & creaturæ potest esse genus: & ita Deus non potest esse in genere prædicamentali.

Probatur

Probatur major: quia genus ſecundùm ſe, & naturâ ſuâ eſt quid potentiale, & perfectibile per differentiam, tanquam per proprium actum: ſicut materia eſt potentialis, & perfectibilis à forma, vt conſtat ex Ariſtotele 8. metaph. c. 5. & certè alioquin genus eſſet tota rei quidditas, & fruſtra illi adderetur differentia. Ergo nullum genus poteſt eſſe indifferens ad finitum, & infinitum, quia cum infinitum ſit ſummè perfectum, non eſt potentiale, & perfectibile ab alio: & ideò genus neceſſariò determinatum eſt ad finitum, illudque ſolùm ſub ſe claudit.

Quòd autem omne prædicatum, commune Deo, & creaturæ, ſit indifferens ad finitum, & infinitum, quæ eſt minor primi ſyllogiſmi, per ſe notum eſt, quia quidquid dicitur de Deo, ſi relationes fortè excipis, eſt formaliter infinitum: & quidquid dicitur de creatura, eſt formaliter finitum: ergo quod dicitur communiter de Deo, & creatura, debet abſtrahere ab vtroque: eſt enim hæc natura conceptus communis, & ſuperioris, vt abſtrahat ab inferioribus, & ad omnia ſit indifferens.

42. Reſpondeo, negando primum antecedens, ad cuius probationem, diſtingo majorem hoc modo, *nullum genus poteſt eſſe indifferens ad finitum, & infinitum*, ſi illud infinitum, omnimodè & omni ratione ſit infinitum, item non tantùm in ſe, & ſecundùm ſe, ſed etiam ſecundùm nos, & ratione noſtrâ, concedo: ſi verò ſit infinitum tantùm ſecundùm ſe, & non ratione noſtrâ, vel infinitum tantùm in aliqua ratione modo noſtro concipiendi, & non in omni ratione, nego. Quod enim infinitum eſt tantùm in vna ratione, poteſt eſſe potentiale ad aliam, & perfectibile per aliam.

Quare licet quidquid in Deo eſt, concedatur eſſe ex parte rei infinitum ſimpliciter, omnimodè, & omni ratione, quod vocari poteſt infinitum extenſiuè: tamen ſecundùm nos, & quatenùs ponitur à nobis diſtinctio rationis in Deo, ac proinde genus, & differentia: quidquid à nobis concipitur in Deo, non intelligitur omni ratione infinitum, ſed tantùm infinitum intenſiuè, hoc eſt in ſua ratione propria. Nam iuſtitia Dei infinita, non intelligitur infinita in ratione miſericordiæ, in ratione bonitatis, &c. & ideò vt ſic, intelligitur perfectibilis per additionem aliarum perfectionum. Ergo ratio perfectibilis, & potentialis modo noſtro intelligendi, quæ eſt ratio generis, non repugnat Deo.

43. Itaque dum intelligimus ens, ſubſtantiam, ſpiritum, aliumue conceptum communem Deo, & creaturæ, non intelligimus ipſum infinitum, ſed indeterminatum & indifferentem ratione noſtrâ ad finitum, & infinitum: additâ verò ratione infiniti, intelligimus talem conceptum determinari ad Deum, fierique illi proprium: neque abſurdum eſt, Deum hoc modo conſtitui ratione noſtrâ ex infinito, & indifferenti ad infinitum, & finitum.

Similiter non eſt abſurdum, quod communiter inferunt aduerſarij differentiam infiniti tunc includere perfectionem generis, & ita fruſtra

illi superaddi ad constituendum individuum: tum quia ex probabili sententia multæ differentiæ includunt essentialiter genus, vt explicatum est quæst. de differentia, sectione quinta: tum quia huiusmodi differentia non est infinita secundùm omnem modum ratione nostrâ, vt iam dixi; sed si talis differentia sit ratio intellectiui, erit infinita in ratione intellectiui, & non in alijs.

Ratio igitur infiniti vt sic, non dicit ens, aut substantiam, aut spiritum, sed potest cadere in sapientiam, in bonitatem &c. & sic ei rectè conjungitur substantia, aut spiritus, &c. ad constituendum Deum, & ad exprimendam conuenientiam inter ipsum, & creaturas: quod patet etiam ex aduersarijs, qui calorem infinitum, & quantitatem infinitam, si darentur, ponunt in prædicamento, quæ tamen essent infinita intensiuè, & in propria ratione.

44. Denique perfectio infinita intensiuè, comparata cum alia infinita intensiuè, potest suscipere magis, & minus secundùm nostrum modum intelligendi. Quamuis enim intelligamus perfectionem infinitam in voluntate Dei, maiorem intelligimus in intellectu, quia intellectus satis communiter censetur perfectior voluntate: & ita quamuis intelligamus perfectionem entis vt sic, in Deo infinitam, possumus intelligere majorem in ente substantiali. Similiter licet perfectio diuinæ personæ sit infinita: maior tamen ratione nostrâ intelligitur in tali persona, quæ includit conceptum communem personæ, & aliquid amplius: & ita ratio communis personæ diuinæ, perfectibilis est ratione nostrâ per particularem: quod sufficit ad genus logicum, vt patet.

Confirmatur hoc idem ex diuinis relationibus. Nam ex communi Thomistarum sententia, relatio dicit aliquam perfectionem formalem relatiuam in Deo: hæc autem perfectio non continetur formaliter, & essentialiter in essentia diuina, vt sic, seu vt est absoluta, & communis: non potuisset enim communicari filio secundùm totam suam essentialem rationem, si in ea formaliter, & essentialiter contineretur paternitas, vt notum est. Si ergo formalis perfectio, quam relatio modo nostro concipiendi addit essentiæ, non derogat perfectioni infinitæ, quam habet ipsa essentia secundùm se absque relatione formali: perfectio quoque modo nostro concipiendi addita conceptibus, & prædicatis diuinis infinitis, non derogabit eorundem infinitati, dum concipietur vna diuersa ab altera, aut vna alteri aliquid addere.

45. Instabis ex eodem Scoto ibidem. Illud per quod contrahitur prædicatum commune Deo, & creaturis, vt ens, substantia, spiritus, non potest esse vera differentia: ergo hujusmodi prædicatum commune, non potest esse genus respectu Dei, & creaturarum. Probatur antecedens. Nam finitum, & infinitum, per quæ contrahuntur talia prædicata ad Deum & creaturas, sunt tantùm modi, seu gradus intrinseci ipsius entis, & substantiæ, illa intrinsecè perficientes in sua propria ratione; sicut gra-

dus albedinis sunt ipsi intrinseci, eamque in propria ipsius ratione perficiunt: differentia vero est quid extrinsecum generi, varians rei essentiam, & rem essentialiter diuersam constituens. Igitur ex huiusmodi conceptibus contrahentibus non potest constitui species, alioquin albedo esset genus, & gradus intrinseci eius, essent differentiæ: & ita non potest dici quòd Deus constituatur ex genere, & differentia.

Respondeo, finitatem, & infinitatem variare rationem entis, substantiæ, spiritus, entiaque essentialiter diuersa constituere; & ita veras esse differentias, non verò tantùm modos, aut gradus, sicut in albedine.

46. Tertium argumentum, quod affert Auicenna 8. metaph. c. 4. & quo vtitur etiam Scotus loco citato, sic habet. Deus est ex se *necesse esse*, seu est ens necessarium, vt patet; ergo non includit in se genus. Probatur conseq. Quia si *necesse esse* includit in se rationem generis; vel conceptus generis est *necesse esse* ex se, vel non? si sic: ergo genus tunc includit differentiam, quæ est actus eius vltimus; sine illa quippe non potest esse *necesse esse*, quia *necesse esse*, est necessariò in actu vltimo: atque adeò non potest esse genus, quia sic non est commune, nec potentiale, nec indifferens, sed omninò determinatum. Si verò dicitur, genus non esse *necesse esse*, sequitur quòd *necesse esse*, nempe Deus, est constitutum ex eo, quod non est *necesse esse*, quod est contradictorium.

Respondeo, negando consequentiam: ad ejus probationem dico conceptum generis non esse ex se *necesse esse*, nec etiam *non necesse esse*; sed esse indeterminatum, & indifferens ad vtrumque: sicut sunt conceptus omnes communes, ad particulares: fit autem *necesse esse*, dum determinatur ad Deum; & *non necesse esse*, dum determinatur ad creaturam: sicut ens, quod ex Scoto commune est vniuocè Deo, & creaturæ, non est ex se *necesse esse*, quia creatura, cui competit esset *necesse esse*: nec etiam *non necesse esse*, quia sic *necesse esse*, hoc est, Deus, constitutum esset ex *non necesse esse*, vt non malè argumentum retorquet in Scotum Gregorius Arim. in 1. d. 8. q. 3.

Sicut ergo non est absurdum, Deum constitui ex ente, & ex ratione infiniti, vel independentis, ad quam ens est indifferens, & indeterminatum: ita non est absurdum eum constitui ex aliquo indifferenti, & indeterminato, ratione nostra, ad *necesse esse*, tanquam ex genere, & ex *necesse esse*, tanquam ex differentia.

Et dum dicitur genus esse quid potentiale, & ita non claudere sub se *necesse esse*: quia in *necesse esse* nihil est potentiale. Respondendum est, genus claudere sub se *necesse esse*, non expresè, nec tanquam aliquid sui, sed confusè, tanquam differentiam: sicut animal claudit rationale. Vnde sicut animal est indifferens, & indeterminatum ad rationale, & irrationale: ita quod est commune Deo, & creaturæ, est indifferens ad finitum, & infinitum; ad necesse esse, & non necesse esse: atque adeò, vt sic, est potentiale, & genus ratione nostrâ, quamuis ex parte rei non sit potentiale in Deo.

47. Quartum argumentum est in Diuo Thoma 1. p. q. 3. a. 5. in argumento *sed contra* Genus est prius secundùm intellectum eo, quod in genere continetur: sed nihil est prius Deo, nec secundùm rem, nec secundùm intellectum: ergo Deus non est in aliquo genere.

Respondeo, negando minorem. Illud enim est prius secundùm intellectum, à quo non valet subsistendi consequentia: at prædicata communia Deo, & creaturis, sic se habent: non valent enim hæ consequentiæ, *est ens, ergo est Deus: est substantia, vel spiritus ergo est Deus: est sapientia, ergo est diuina*. Neque hoc diffitetur ibi Caietanus in fine articuli. Quamuis re verâ nihil prius sit Deo, etiam secundùm intellectum, spectatis rationibus formalibus ex parte sui, & non solùm quoad nos, quo modo Caietanus intelligit sensum diui Thomæ: sed sola prioritas quoad nos, sufficit ad genus, saltem logicum.

Nec alio modo solui debet quod idem sanctus doctor habet 1. contra gentiles c. 32. ratione 4. nimirum illud, quod vniuocè prædicatur de pluribus, & majori ratione illud, quod prædicatur vt genus, vtroque illorum esse simplicius: nihil autem posse esse simplicius Deo, neque secundùm rem, neque secundùm intellectum; & consequenter nihil posse esse genus respectu illius.

Quamuis enim nihil sit Deo simplicius secundùm intellectum ex conditione ipsius Dei: est tamen aliquid simplicius secundùm intellectum ex conditione ipsius intellectus, qui non concipit semper res vt sunt ob debilitatem, & imperfectionem suam. Illud autem dicitur esse alio simplicius secundùm intellectum ex conditione ipsius rei, quando habet in se vnde conceptu simplici apprehendatur; aliud verò, vnde duplici conceptu apprehendi debeat. Ex conditione verò intellectus, quando ipse rem simplicem vnico conceptu conceptibilem, non potest ob suam imperfectionem, vnico intelligere conceptu. Et ita prædicata communia Deo, & creaturis, sunt quid simplicius secundùm intellectum, ex conditione ipsius intellectus.

48. Quintum argumentum. Si Deus poneretur directè in aliquo prædicamento, poneretur in eo, vel vt genus, vel vt species, vel vt indiuiduum. Nullum autem horum dici potest: quia genus debet habere plures species sub se; & species plura indiuidua. Non sunt autem plures Deorum species, aut indiuidua. Si autem dicatur poni vt indiuiduum, sequitur idem absurdum, quia indiuiduũ est alicuius speciei indiuiduum.

Respondeo, Deum poni in prædicamento tanquam indiuiduum, aut tanquam speciem Physicam entis, substantiæ, Spiritus, &c. Non est autem opus speciem Physicam habere actu, aut posse habere plura indiuidua, vt concedunt Thomistæ cum Diuo Thoma. 1. p. q. 13. a. 9. q. 50. art. 4. libro 2. contra gent. c. 93. asserentes omnes Angelos specie distinctos esse, & in quauis specie impossibilia esse plura indiuidua: & his non obstantibus volunt quamlibet huiusmodi speciem constare genere, &

differentiâ, & posse subire intentiones vniuersalis, & prædicabilis. De quo nos supra, sectione 3. de specie. Possumus ergo intelligere Deum constitui ex conceptu substantiæ, communi sibi, & creaturis, & ex conceptu infiniti, independentis, necessarij, &c. Vt ex genere, & differentia, tanquam speciem substantiæ, absque eo quòd intelligere debeamus, eum esse pluribus communicabilem. Item species vt species, dicit subijcibilitatem ad genus, neque opus est vt dicat prædicabilitatem de individuis, nisi sit species Logica, & vniuersalis.

SECTIO V.

An Christus ponatur in prædicamento.

49. FACTA abstractione à probabilitate præcedentis problematis, & posito quòd Deus non ponatur in prædicamento, adhuc controuersia est, an Christus homo dici possit in eo collocari. Negant aliqui, quos tacito nomine citat Raphaël de Auersa, q. de substantia, sect. 3.

Contraria tamen sententia communis est, & probatur, quia Christus dicitur vniuocè homo cum aliis hominibus, & est eiusdem speciei cum illis, juxta illud Apostoli Philippens. 2. *in similitudinem hominum factus:* quod citat D. Thomas 3. p. q. 2. a. 5. ergo est eiusdem etiam generis, nempe substantiæ: & ita in illo prædicamento collocatur.

Objicies primò. Christus ponitur in prædicamento: sed Christus est Deus; ergo Deus ponitur in prædicamento: quod in hac sententia falsum supponitur.

Respondeo, negando consequentiam ob variationem suppositionis in maiori, & in conclusione. Nam *poni in prædicamento*, cadit in maiori supra Christum, vt homo est: in conclusione verò supra deitatem.

Objicies secundò: Christus simpliciter significat hominem Deum: ergo si dicatur absolutè Christum poni in prædicamento, hoc æquè simpliciter cadet in Deum, ac in hominem.

Respondeo, res creatas poni in prædicamento, seu in genere, vel specie, ratione essentiæ, & naturæ; hæc enim est, quæ denominatur genus, vel species: non verò ratione eius, quod pertinet ad earum individuationem, & singularitatem, vt docet Diuus Thomas 3. p. q. 2. a. 3. ad 3. & ita Christus ratione naturæ humanæ est in specie, non verò ratione suppositi. Quare licet Christus, absolutè prolatus, vtrumque simpliciter dicat, hominem, & Deum: quando tamen adiungitur ipsum poni in prædicamento, appellatio, & suppositio cadit in naturam humanam,

à suppositò assumptam. Licet dici possit ipsum suppositum poni in prædicamento, non secundùm se, & absolutè, sed quatenus sustentat humanitatem Christi, vt ait Diuus Thomas in 3. d. 6. q. 1. a. 1. quæstiuncula. 1. ad 2.

50. Objicies tertiò quidquid ponitur in prædicamento, debet esse creatura, sed Christus non est creatura, vt tenet diuus Thomas 3. p. q. 16. art. 8. ergo non debet dici simpliciter in prædicamento collocari.

Respondeo diuum Thomam negare Christum esse creaturam, non quòd reuerà creatura non sit, cùm homo sit, & minor patre, vt ipse Christus loquitur Ioan. 14. sed quia non debemus communicare cum hæreticis, vt ait diuus Hieronymus, in nominibus. Inordinatè prolatis, ne eorum errori fauere videamur. Arriani autem dicebant Christum esse creaturam, etiam secundùm suppositum. Sicut ergo Christus ratione humanæ naturæ creatura est, ita ratione eiusdem ponitur in prædicamento.

Potest etiam dici quòd in vtraque propositione est disparitas: quia enim productio, seu creatio per se primò conuenit suppositò; terminatur enim ad singulare ex 1. Metaph. c. 1. secundariò autem, & quasi per accidens ad naturam, seu essentiam, quæ potius æterna dicitur: ideò ista propositio, *Christus est creatus*, vel *est creatura*, ponit imperfectionem in suppositò, ac proinde admitti non debet. Altera verò, nempe, *Christus ponitur in prædicamento*, ponit tantùm imperfectionem in natura humana, quia, vt iam diximus in responsione secundi, natura, & essentia per se primò ponitur in prædicamento: suppositum verò quasi per accidens. Et hæc sufficiant de prædicamentis in communi.

QVAESTIO III.

De prædicamento ſubſtantiæ.

1. POSTQVAM Ariſtoteles de Anteprædicamentis diſſeruit quatuor primis capitibus, aggreditur cap. 5. tractationem de ſingulis prædicamentis in particulari, quorum exordium non immeritò duxit à ſubſtantia, vtpote quæ prior eſt accidentibus definitione, cognitione, & tempore, vt dicitur 7. Metaph. c. 1. definitione quidem, quia in definitione accidentium communiter ponitur ſubſtantia: cognitione verò, quia ſi per ſubſtantiam definiantur accidentia, non poſſunt diſtinctè cognoſci, ſi priùs ſubſtantia non cognoſcatur: tempore denique, hoc eſt, duratione, quia in tota latitudine accidentium, nullum datur accidens abſque ſubſtantia; datur autem ſubſtantia abſque accidentibus, nempe Deus, qui præceſſit eorum exiſtentiam. In hac ergo quæſtione agemus cum Ariſtotele de ſubſtantia.

SECTIO I.

Quid ſit ſubſtantia.

SVBSTANTIÆ nomen multas habet acceptiones: aliquando idem ſignificat quod eſſentia, & natura cuiuſque rei, quæ per definitionem quidditatiuam explicatur: & ita ſumitur in definitione æquiuocorum, vniuocorum, &c. Vt quæſtione primâ, numero 6. dictum eſt. Secundò ſignificat quidquid non eſt accidens: quomodo ens in communi diuidi ſolet in ſubſtantiam, & accidens: vt ſic autem comprehendit, non ſolùm ſubſtantiam integram, & completam; ſed etiam partes eius, vt caput, animam, corpus; item differentias, vt rationale, hinnibile; imò etiam modos ſubſtantiales, vt eſt vnio inter materiam, & formam, ſi quæ ſit ab eis diſtincta, &c. Tertiò denique ſignificat ens integrum, & completum, cui conuenit per ſe exiſtere, & ſubſiſtere, neque pars eſt, aut differentia alterius, & quod ponitur in recta linea, ſeu ſerie huius prædicamenti, vt eſt animal, homo, Petrus. Et in hac tertia acceptione agitur hic de ſubſtantia.

2. Hanc autem vel à subſtando, vel à subſiſtendo, aut etiam ab vtroque dictam eſſe nemo non videt, & vocabulum ipſum ſatis indicat: subſtare verò idem eſt quod alijs ſubeſſe, tanquam ſubjectum, fundamentum, ſuſtentaculum: quod intelligi debet, non ſolùm de ſubiecto prædicationis, quia etiam accidentia inferiora, hoc modo ſubjacent ſuperioribus; ſed inſuper de ſubiecto inhæſionis, in quo vltimò accidentia ſuſtentantur, & fulciuntur. Hanc etymologiam ſatis indicat Ariſtoteles hoc capite, & 5. Metaph. c. 8. his verbis, *hæc autem omnia dicuntur ſubſtantia, quoniam non dicuntur de ſubiecto, ſed de eis cætera.* Vnde diuus Auguſt. c. 5. Categoriarum notauit ſubſtantiam græcè vocari ὑποκείμενον, hoc eſt ſubiectum, vel ſubiacens; & ita eam vocat Ariſtoteles 7. Metahp. c. 3. initio, & alibi.

Subſiſtere autem idem fere ſignificat quod ſubſtare: à philoſophis tamen, & theologis vſurpatur communiter pro eſſe per ſe, & in ſe per ſe ſtare, propriâque virtute exiſtere: vnde Iſidorus lib. 1. differentiarum, c. 4. ait, *ſubſtantia eſt id, quod non ab alio, ſed ſemper in ſe eſt*, id eſt, quod propriâ in ſe virtute ſubſiſtit. Et in eodem ſenſu D. Auguſtinus 7. de Trinit. c. 4. in fine ita loquitur, *ſicut ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia: ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus.*

Poſteriorem autem hanc rationem, potiorem, & principalem eſſe, atque ſubſtantiæ eſſentialem; aliam verò ſecundariam, & minùs principalem ſatis conſtat: tum quia eſſe per ſe, & in ſe, prius eſt, quàm eſſe ſubjectum, & fulcimentum aliorum: tum quia ideo ſubſtantia ſubſtat accidentibus, quia in ſe firma conſiſtit; non verò econtrà. Tertiò Deus eſt perfectiſſima ſubſtantia, & tamen nulli ſubeſt accidenti. Quartò ſi fieret ſubſtantia ſine accidentibus, quod à Deo fieri poſſe, nihil vetat, condiſtingueretur ab accidente, & per ſe ſtaret, vt patet. Quintò Ariſtoteles in fine hujus capitis ponit inter proprietates ſubſtantiæ, eſſe ſuſceptiuum contrariorum, hoc eſt accidentium: ergo ſubſtare accidentibus, non eſt primaria & eſſentialis ratio ſubſtantiæ. Denique ſubſtantia eſt prior accidentibus definitione 7. metaph. c. 1. ergo non definitur eſſentialiter per habitudinem ad accidentia: & ita ſubſtare accidentibus non poteſt eſſe ratio eſſentialis, & quidditatiua ſubſtantiæ.

3. Sequitur ergo quòd per ſe ſtare, & exiſtere, eſt proprius, & eſſentialis modus eſſendi ſubſtantiæ: vnde rectè ipſa definitur *ens per ſe ſubſiſtens*, aut vt ait Damaſcenus c. 23. ſuæ Logicæ, *res per ſe exiſtens non indigens altero ad conſiſtentiam.* Et ideò modus iſte *per ſe ſtandi*, vocatur *perſeitas*; ſicut modus eſſendi accidentis vocatur *inalietas* ſeu *accidentalitas.* Aliter tamen conuenit ſtare per ſe ſubſtantiæ completæ, aliter incompletæ, quia completa ſtat per ſe abſolutè, independenter à quocunque alio: quod indicatur per iſtas particulas definitionis *non indigens altero ad conſiſtentiam.* Incompletæ verò, quamuis ſtent per ſe, prout *per ſe*, eſt modus oppoſitus modo eſſendi accidentis, ſcilicet in

alio

alio, tanquam in subjecto sustentante, & inhæsionis: dependent tamen ab alio, vel tanquam pars à toto, vt manus à corpore: aut vt modi ab essentia, quam terminant & afficiunt: aut vt à comparte, & concausa suæ existentiæ, sicut materia à forma, & forma à materia. Hæc enim non possunt naturaliter existere separata, aut non ita connaturaliter, quod addo propter animam rationalem.

4. Quid porro sit iste modus essendi per se, constituens substantiam in sua propria ratione essentiali, controuertitur. Soncinas 5. metaph. q. 14. existimat *esse per se*, non dicere aliquid positiuum in substantia, sed tantùm negationem essendi in alio. Sed communis sententia contraria est, quæ

Probatur primò ex Aristotele, qui hoc capite ponit inter proprietates substantiæ, non esse in subiecto: ergo supponit hanc negationem non esse primariam, & quidditatiuam rationem substantiæ.

Probatur secundò, quia omnis negatio supponit affirmationem, & fundatur in aliquo positiuo: ideo enim homo non est equus, quia est homo, seu rationalis, & sic de alijs: ergo similiter negatio essendi in alio, supponit in substantia perfectionem essendi in se ipsa, alioqui definitio ejus conueniret alijs; conuenit enim chimæræ non esse in subjecto.

Probatur tertiò, quia esse in alio, quod communiter ponitur ratio constitutiua accidentis, est quid positiuum; ergo & ratio constitutiua substantiæ, alioquin accidens esset perfectius substantiâ. Non enim dici potest, quòd esse in alio, sit negatio essendi per se: quia, cùm esse per se, & esse in alio, sint oppositа: tunc esse per se, esset negatio negationis essendi per se: & esse in alio, esset negatio negationis essendi in alio, quod est ridiculum.

Probatur quartò. Substantia, quatenus substantia, est verum ens reale, distinctum, & diuersum ab accidente, atque entium omnium perfectissimum; ergo vt sic non potest constitui in sua essentia per solam negationem.

Probatur sextò. Esse à se, quæ est ratio constitutiua Dei, est quid positiuum, & reale in Deo: ergo proportionaliter, esse per se, debet esse quid reale, & positiuum in substantia.

5. Obijcies: vel *perseitas*, seu modus ille essendi per se, includit in se rationem formalem entis, vel non? si non: ergo non est aliquid positiuum, & sic habetur intentum: si includit: ergo talis modus includit totum conceptum substantiæ. Nam substantia constituitur ex ente, & ex tali modo, qui est ens. Vnde in definitione substantiæ, dum dicitur *ens per se subsistens*, committitur nugatio, quia ens bis repetitur.

Respondeo primò, perseitatem addere aliquid positiuum conceptui communi entis: hoc tamen non ita fit, quasi perseitas sit aliquid ex natura rei distinctum à tali communi ratione entis, aut quòd sit vnus conceptus diuersus, qui addatur alteri diuerso, sicut fit vt plurimùm in com-

positione generis, & differentiæ: sed dicitur addi enti, tanquam conceptus clarus confuso, & determinatus indeterminato. Quando enim concipitur ratio entis in communi, cognoscitur confusè ratio essendi, non cognitâ clarè ratione substantiæ, quæ deinde per conceptum proprium, & determinatum exprimitur, vt explicatum est sectione 5. de differentia, numero 34. & ita non committitur nugatio, quia idem non ponitur bis eodem modo, vt ibidem numero 36. annotauimus.

6. Respondeo secundò ad mentem Scoti in 1. d. 8. q. 3. numero 26. quòd perfeitas substantiæ distincta est formaliter ex natura rei, ab ente cui additur, licet non formaliter simpliciter, sed tantum sicut modus, & gradus intrinsecus, perficiens ipsum ens in propria entis ratione, quemadmodum gradus albedinis, ipsam albedinem. Et ita additur aliquid positiuum ipsi enti, quod non est adæquatè illud ens, cui additur, sed gradus, & modus eius intrinsecus.

Respondeo tertiò, hanc additionem esse vnius conceptus diuersi ad alium diuersum, siue ex natura rei, siue solâ ratione ratiocinatâ. Et ita negandum est *perfeitatem* includere totum conceptum substantiæ, quia est tantùm pars totius substantiæ, quæ componitur ex tatione communi entis, & ex ratione particulari talis entis

Quando verò vrgetur, illa ratio particularis est ens, ergo ens additur enti, & ita committitur nugatio. Respondendum est illam rationem particularem esse ens, sed ens qualificatiuum, modificatiuum, determinatiuum, quod additur enti quidditatiuo, & determinabili, respectu cujus non est ens, sed quid entis, sed differentia, sed talitas entis. Sicut enim substantia distincta contra accidens, diuiditur in substantiam & substantiale: ita ens distinctum contra nihil, diuiditur in ens, & *entale*, de quo ens non dicitur *in quid*, sicut substantia non dicitur *in quid* de suis modis, & differentijs. Sed in metaphysica de istis fusè disseremus.

7. Ad completam tandem, & integram rationem substantiæ admittitur satis communiter à Theologis alius modus essendi, qui vocatur subsistentia, per quem natura substantialis, formaliter per se subsistit, vltimò in se completur, & terminatur, redditurque incommunicabilis alteri subsistenti: compositum autem ex tali natura, & tali modo. vocatur suppositum, & definitur in 3. sentent. d. 2. & in tertia parte. *Substantia completa incommunicabilis*, quâ ratione sola singularia suppositа dicuntur subsistere; & ideo modus ille subsistentiæ actualis, non est de essentia substantiæ, sed tantùm radicaliter sumptus, pro principio scilicet exigente illum: sicut esse in alio actualiter, non est de essentia accidentis, sed tantùm posse esse, seu exigere esse in alio, quod communiter vocatur inhærentia aptitudinalis, de quo aliàs.

Hunc autem modum subsistentiæ formalis non cognoscimus per principia Philosophiæ, sed colligimus ex mysterio Incarnationis. Scimus enim in Christo esse duas naturas, diuinam, & humanam; & tamen in

eo non est subsistentia creata naturæ humanæ, sed loco eius est subsistentia, seu persona increata verbi. Quid autem sit modus iste subsistentiæ in rebus creatis, dicemus in Metaphysica.

SECTIO II.

De diuisione substantiæ.

8. ARISTOTELES Initio dicti capitis quinti, substantiam diuidit in primam & secundam: primam verò definit, *quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, vt quidam homo, quidam equus.* Per quæ non intelligit indiuidua vaga, sed substantias singulares, & determinatas, quasi diceret *Socrates Bucephalus.* Substantiæ quippe singulares, in subjecto non sunt, quia per se subsistunt, & ita differunt ab accidentibus: neque dicuntur de subjecto, quia non habent inferiora sub se: quomodo differunt à secundis substantijs, quæ dicuntur de primis, vt homo de Petro, Paulo. Talis autem definitio primæ substantiæ, est impropria, sicut definitio indiuidui: de quo vide q. de specie. Istæ autem negationes debent sumi contrariè, & non vt puræ negationes, ita vt sensus sit, prima substantia est, cui repugnat esse in subjecto, vel dici de subjecto.

Substantias secundas definit in plurali hoc modo, *substantiæ secundæ sunt genera, & species, in quibus primæ continentur*, actu nimirum confuso, vt explicatum est q. de genere, numero 28. Additum autem est expressè, *in quibus primæ continentur*, quia in prædicamentis accidentium sunt genera, & species, sed non sunt secundæ substantiæ, quia sub illis non continentur primæ, vt propria scilicet inferiora, & secundùm essentiam. Vnde patet per secundas substantias intelligi substantias vniuersales, quæ debent esse genera, vel species primarum.

Ideo autem substantias singulares vocauit primas; vniuersales verò secundas, quia, vt ait Boëtius, singulares priùs nomine substantiæ vocatæ fuerunt, eoquod sint magis affines sensibus: vel quia, vt vult Albertus, singulares primò subsistunt, & magis quàm secundæ: quatenus secundæ non nisi in primis, & per primas subsistunt; actuali nimirum subsistentiâ, vt explicui in fine præcedentis sectionis. Vel, vt docet Diuus Thomas opusc. 48. cap. de substantia, quia priùs per se existunt, cùm vniuersales, non nisi in primis, & per primas existant. Intendit enim Aristoteles tacitè destruere ideas Platonis, qui ponebat substantias vniuersales, separatas à singularibus, incoruptibiles, & æternas, ac proinde primò, & maximè substantias. Vel denique, vt vult Tataretus, quia

illis primò conuenit subijci respectu accidentium: ideo enim homo est albus, quia Petrus est albus: ideo homo est risibilis in actu exercito, seu quoad realem existentiam risibilitatis, quia Petrus est risibilis.

9. Est autem hic controuersia, vtrum ista diuisio substantiæ in primam, & secundam, sit diuisio propriè dicta. Ammonius quippe existimat eam esse tantùm enumerationem eorum, quæ in categoria continentur, ratione ordinis, quem habent in illa; quasi diceretur omnium quæ sunt in categoria substantiæ, primò occurrunt substantiæ singulares, seu primæ: deinde vniuersales, seu secundæ: non aliter, quàm si scholasticos alicujus gymnasij aliquis ita enumeraret, vt diceret alios esse primi ordinis, alios secundi, &c. & hæc opinio rem totam dilucide expedit.

Probatur autem, quia si hæc esset propria diuisio, deberet diuidi aliquis conceptus objectiuus, communis vtrique membro diuidenti, primæ nimirùm, & secundæ substantiæ: quod esse non potest, eoquòd substantia prima est singularis, & inferior, secunda verò est vniuersalis, & superior, inferius autem includit in se totum conceptum superioris, illique propriam differentiam superaddit, & ita non potest habere cum illo conuenientiam, nisi in illo ipso conceptu; vt Petrus non habet conuenientiam cum homine, nisi in conceptu hominis, quæ conuenientia est potius identitas, cum qua non stat diuisio; & ita non potest aliquis conceptus communis diuidi in primam, & secundam substantiam.

10. Alij tamen communiter eam vt propriam diuisionem recipiunt, quia, cùm sub eodem nomine substantiæ numeretur prima, & secunda, idem est ac si diceretur, substantia duplex est; prima scilicet, & secunda. Vnde ad rationem factam respondetur substantiam spectatam secundùm suam essentiam hic diuidi, quæ vt intelligitur in communi, & vt multis communicabilis, dicitur secunda substantia: quatenus verò consideratur vt quid singulare, dicitur prima: quæ duæ conditiones, & formalitates sunt ratione diuersæ, & ita sufficiunt ad duo diuisionis membra.

Deinde: licet concedatur superius, & inferius non posse conuenire in aliquo conceptu secundùm gradum essentialem, genericum, vel specificum; possunt tamen conuenire in illo secundùm aliquod accidentarium, & secundùm denominationem sumptam ab aliqua proprietate, quæ prius conueniat substantiæ singulari, & redundet in substantiam vniuersalem, vt est subsistere actuali subsistentiâ, & substare accidentibus. Sed prima responsio videtur melior, quia subsistere, & substare idem est in substantia singulari, & vniuersali: ideoque est potius identitas in illa proprietate inter primam, & secundam substantiam, quàm conuenientia: & ita remanet difficultas, quæ ad primam solutionem reuocat.

11. Quæres primò, quomodo sumi debeat substantia, quæ hic diuiditur, an scilicet primò, vel secundò intentionaliter? Respondeo tres esse sententias hac de re præcipuas, quæ sunt omnes probabiles: & quamuis res sit parui momenti, pigeat q; in ea immorari, loquar tamen cum multis.

Prima opinio est Tatareti hoc capite, art. 1. § *sciendum est tertiò.* Substantiam sumi secundò intentionaliter, quatenus scilicet est prædicamentalis, seu vt ponibilis in prædicamento: itaut prima substantia idem sit quod ponibilis in infimo loco, tanquam basis, & fundamentum totius lineæ prædicamentalis: secunda verò idem quod ponibilis in loco superiori. Vel prima idem sit quod subjectum, aut subijcibilis: secunda verò idem quod prædicatum, aut prædicabilis, vt vult Sotus. vel denique prima idem quod singularis, indiuidua, particularis: secunda verò idem quod vniuersalis, vt aiunt Louanienses. Quæ omnia important secundas intentiones.

Ratio est, quia Logica non considerat substantiam nisi in ordine ad secundas intentiones, vt explicatum est in procemio hujus tractatus, & in procemio vniuersalium. Item, quia ista diuisio non potest esse Physica, & realis, eoquòd prima, & secunda substantia sunt idem in entitate substantiæ; debet ergo esse rationis, aut penes secundas intentiones. Denique prima, & secunda substantia non sunt membra diuidentia, vt substantia sunt, sed vt sunt prima, & secunda: at vt sic, nihil addunt reale, vt patet.

12. Dices: Aristoteles ait primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam: quod non potest verificari in ordine ad secundas intentiones, quia prima non est magis prædicamentalis, aut ponibilis in prædicamento, quàm secunda: nec magis subiectum, aut subijcibilis, quàm secunda sit prædicatū, aut prædicabilis &c. Adde quòd cōparatio debet fieri in aliqua ratione communi: tales autem intentiones prædicati, subjecti, superioris, inferioris &c. sunt diuersæ. Denique Aristoteles non explicuit conuenientiam inter primam, & secundam substantiam, per intentiones rationis, sed per realem rationem subsistendi, & substandi accidentibus, indicando primam per *non esse in subiecto*, vtrique substantiæ communem: alteram verò dum ait omnia esse in primis, aut dici de primis substantijs: ideoque illis non existentibus, impossibile esse aliquid aliorum esse.

Respondeo non esse opus omnia, quæ Aristoteles tribuit substantiæ, verificari de illa penes intentiones secundas. Quod patet de similibus. quando enim vniuersale diuiditur in genus, speciem &c. diuisio fit penes secundas intentiones: & tamen multa eis tribuuntur, quæ eis non competunt penes secundas intentiones. Nam animal dicitur genus secundò intentionaliter spectatum: esse verò partem essentialem hominis, non cadit in secundam intentionem, sed in primam. Quare, licet esse magis vel minùs substantiam, conueniat substantiæ secundùm primam intentionem: multa tamen illi tribuit Aristoteles, quæ secundas intentiones concernunt, vt cùm dixit primam non dici de subjecto, bene autem secundam: item primas substantias esse sub secundis, & secundas esse genera, & species primarum, &c.

13. Secunda sententia est Iauelli 5. metaph. q. 17. Suares disp. 33. me-

tap. ſ. 2. n. 10. & aliorum, hic diuidi ſubſtantiam non ſecundùm rationem eſſentialem ſubſtantiæ, ſed ſecundùm rationem ſubſiſtendi per ſe, & ſubſtandi alijs, quatenus hæc dicũt proprietates, & conſequẽter quatenus ſignificant ſubſiſtentiam actualem & ſuſtentationem actualem accidẽtium.

Ratio eſt primò, quia dum aliquid diuiditur, oportet vt membra diuidentia participent rationem diuiſi: & ita diuiſio in primam, & ſecundam ſubſtantiam, fieri debet ſecundùm aliquam formam realem, quam vtraque participet, quatenus eſt ſubſtantia, & ſecundùm quam ambæ inter ſe comparantur: hæc autem forma eſt ratio ſubſiſtendi, & ſubſtandi, vt patet ex toto hoc capite, vbi dicitur commune eſſe primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ non eſſe in ſubjecto; quod ad rationem ſubſiſtendi pertinet: item omnia eſſe in prima ſubſtantia, aut dici de illa, quod ſpectat ad rationem ſubſtandi: quæ ratio conuenit quoque ſecundæ ſubſtantiæ: nam Ariſtoteles ait ſpecies eſſe magis ſubſtantias, quàm genera, quia pluribus ſubſtant.

Secundò: per iſtam ſententiam optimè explicatur quomodo prima ſubſtantia dicatur magis ſubſtantia, quam ſecunda; quia nimirum prima exiſtit, & ſubſiſtit primò, & per ſe, independenter à quouis alio: ſecundæ verò non exiſtunt, neque ſubſiſtunt, niſi in prima: neque ſubſtant accidentibus, niſi merito primæ. Si enim color non ſit in aliquo ſingulari corpore, non erit omninò in corpore: vnde rectè dixeris ideo hominem eſſe album, quia Petrus eſt albus, non contra. Quod etiam valet in accidente proprio, quantùm ad realem exiſtentiam, ſeu actualem ſuſtentationem. Ideo enim riſibilitas realiter exiſtit in homine, quia exiſtit in Petro: licet quoad neceſſariam connexionem, quæ eſt inter proprietates, & eſſentiam, riſibilitas prius conueniat homini, quàm Petro: ſicut & ſubſiſtentia, quatenus eſt ratio conſtitutiua ſubſtantiæ.

14. Tertia ſententia eſt, hic diuidi ſubſtantiam, ſecundùm rationem ſuam eſſentialem conſideratam: ita vt diuiſum non ſit ſubſtantia in communi, hoc eſt, vniuerſalis: nec ſubſtantia in particulari, hoc eſt, ſingularis: ſed ipſa ſubſtantialis natura, abſtrahens à ſingulari, & vniuerſali, conſiderata ſecundùm nudam eſſentiam, ſeu cum ſola vnitate formali, cui nec ſingularis, nec vniuerſalis vnitas repugnat. Dicetur autem ſecunda, ſi intelligatur vt communis, ſeu communicabilis multis; prima verò, ſi intelligatur vt vltimò contracta, & incommunicabilis.

Hâc ratione diuiſio ſubſtantiæ fit ſecundùm duplicem ſtatum, ſeu duplicem modum eſſendi ipſius, quorum vterque poteſt dici rationis, ſicut vniuerſalitas, & ſingularitas poſſunt vocari ſecundæ intentiones: vel vterque realis, ſi detur vniuerſale ex parte rei. Vel alter rationis ſcilicet ſubſiſtere vniuerſaliter; quatenus id, quod ſecunda ſubſtantia addit ſupra rationem ſubſtantiæ, eſt vniuerſalitas formalis generis, vel ſpeciei, tributa ſubſtantiæ ab intellectu: alter verò realis, quatenus prima ſubſtantia addit ſupra ſubſtantiam, modum realem ſubſiſtendi, determinatum ad aliquod ſingulare individuum.

Et hoc modo sufficienter distinguntur membra diuisionis: quia, licet prima, & secunda substantia sint idem realiter, & secunda dicatur de prima materialiter, vt *Petrus est substantia:* tamen non est verum, quod prima, vt prima, sit secunda, vt sic, & in sensu formali.

15. Ratio hujus sententiæ est, quia Aristoteles agit hic de substantia secundùm quòd ponitur in recta serie categoriæ: in ea autem ponitur ipsa substantiæ essentia, & quidditas, non verò aliqua secunda intentio, aut aliqua proprietas substantiæ: ergo hic diuiditur substantia secundùm essentiam suam spectata; non vero secundò intentionaliter, aut prout dicit formalem aliquam proprietatem.

Ex his liquidò constat tres istas sententias multùm habere probabilitatis: quæ autem menti Aristotelis sit conformior, non facilè iudicaueris. Existimo, vnam ex omnibus posse componi, dicendo hic diuidi substantiam, quæ directè ponitur, & ordinatur in prædicamento, sumptam formaliter secundùm rationem quidditatiuam, & essentialem substantiæ; quæ primò, & magis præcipuè explicari debet per rationem subsistendi; secundariò verò per rationem subsandi: item primò per rationes subsistendi, & subsandi, radicaliter sumptas, seu secundùm connexionem essentialem prædicatorum, & vt aiunt, in actu signato: secundariò verò per easdem rationes spectatas in actu exercito, hoc est, secundùm existentiam, & actuale exercitium existendi. Quo modo conciliantur ferè omnes sententiæ, & rectè aperitur mens Aristotelis, qui vtramque substantiam spectauit his omnibus modis, & non tantùm primò intentionaliter, sed etiam penès secundas intentiones, vt constat ex dictis.

16. Quæres secundò, qualis sit ista diuisio? an vniuoca, an generis in species, an subjecti in accidentia, an accidentis in subjecta? pro resolutione responderi debet conformiter ad tres supra explicatas opiniones.

Respondeo ergo secundùm primam opinionem, istam diuisionem esse vniuocam, & generis in species: quia vtraque substantia, est æqualiter substantia prædicamentalis; nec prima est magis subjectum, quàm secunda prædicatum, aut illa potius singularis, quàm ista vniuersalis, vt dictum est numero 12. & ita substantia prædicamentalis potest dici genus ad substantiam prædicabilem, & subijcibilem; vniuersalem, & particularem; primam, & secundam.

Iuxta secundam verò opinionem communiter respondetur, diuisionem esse analogam, & accidentis in subjecta: quia subsistere, & substare priùs conuenit primæ, quàm secundæ, vt explicatum est numero 13. quod inducit analogiam, attributionis scilicet, quia ille proprietates absolutè conueniunt primæ substantiæ, & ex illa deriuantur in secundam: & quia actualiter subsistere, & substare considerantur vt accidentia, attributa vtrique substantiæ, tanquam subjecto, quod afficiunt, ideo dicitur diuisio esse accidentis in subjecta.

17. Nihilominùs forma, ſecundùm quam fit diuiſio, nempe ratio ſubſiſtendi, & ſubſtandi: æqualiter participatur à prima, & ſecunda ſubſtantia, imò eſt omnino eadem; cum idem modus, quo Petrus ſubſiſtit, reddat ſubſiſtentem hominem, ſeu naturam humanam in Petro, eamque intrinſecè afficiat, & denominet: & conſequenter nulla hic videtur interuenire analogia: alioquin propriæ paſſiones analogicè conuenirent ſpeciebus, & indiuiduis, quia riſibilitas, verbi gratia, prius afficit in actu exercito Petrum, quàm hominem. Imò animal non conuenit homini in actu exercito, niſi mediantibus indiuiduis humanis, ac proinde non diceretur vniuocè de homine, & de Petro, quod videtur abſurdum.

Etenim eundem ordinem concipimus inter naturam communem, & indiuidua, quantum ad connexionem eſſentialem paſſionum, & aliorum attributorum, quæ per ſe primò dicuntur conuenire naturæ communi, & deinde ſingulari: ideo enim Petrus eſt riſibilis, quia homo eſt riſibilis: ideo eſt animal, quia homo eſt animal: & tamen nullus dixerit illa prædicata conuenire analogicè indiuiduis, & naturæ communi.

Adde quòd ordo ille, quo ſubſiſtere, & ſubſtare priùs conuenire dicitur primæ ſubſtantiæ, quàm ſecundæ, eſt tantùm ordo rationis, quia prima, & ſecunda ſubſtantia non diſtinguntur in ratione ſubſtantiæ, niſi per intellectum: talis autem ordo non ſufficit ad inducendam analogiam, præſertim in re præſenti, vbi ſecunda ſubſtantia non dicitur ſubſtantia per habitudinem ad primam, ſed abſolutè, quia per ſe eſt, & à ſubjecto non pendet: vnde ſicut eſt vniuocè ſubſtantia cum prima, in eademque recta linea ponitur; ita ſubſiſtere, & ſubſtare ei vniuocè conuenit cum prima.

Neque obſtat quòd prima dicatur ab Ariſtotele magis ſubſtantia, quàm ſecunda, quia hoc tantùm dicitur in ordine ad noſtrum modum intelligendi: vel quia magis, ſeu pluribus ſubſtat, quia non tantùm ſubſtat accidentibus, ſicut ſecunda; ſed etiam prædicatis ſuperioribus, & eſſentialibus. Nam ſpecies ex Ariſtotele ſunt hoc modo magis ſubſtantiæ, quàm genera, nec propterea reperitur analogia inter illa.

18. Reſpondendum eſt denique iuxta tertiam ſententiam: diuiſionem iſtam eſſe ſubjecti in accidentia. Singularitas enim, & vniuerſalitas ſunt veluti accidentia, naturæ ſubſtantiali ſuperuenientia. Diuiſio autem erit vniuoca, ſi hæc accidentia ſumantur ambo primò intentionaliter, poſito vniuerſali ex parte rei; aut ſecundò intentionaliter: analoga verò ſi vnum ſumatur primò intentionaliter, & aliud ſecundò intentionaliter. Licet enim ratio ſubſtantiæ conueniat vtrique vniuocè prout ſpectantur materialiter, & ſecundùm rem: tamen prout vna afficitur primâ intentione, & altera ſecundâ, non poſſunt niſi analogicè conuenire.

SECTIO

SECTIO III.

De serie prædicamenti substantiæ.

19. PORPHYRIVS capite de specie circa principium, vt doctrinam, quam de generibus, & speciebus tradiderat, euidentiùs explicaret, proposuit seriem prædicamentalem, digestam per genera summa, species subalternas, & infimas, adducto in exẽplum prædicamento substantiæ: quæ quidem series, quia schemate quodã per varias lineas, & quasi ramulos distincto, repræsentari solet, arbor porphyriana communiter appellatur, & dicto capite de specie traditur: satius tamen eam hunc in locum, vt proprium, remittendam duxi.

In ea autem tres lineæ distinguntur, vna media, & duæ laterales. In media, quæ recta dici solet, & ab Ammonio nuncupatur profunditas prædicamenti, collocantur sub summo genere naturæ completæ, & integræ, (quæ dicuntur poni directè in prædicamento) progrediendo ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia, vsque ad indiuiduum, quod dicitur radix, & fundamentum prædicamenti.

In alijs duabus lineis lateralibus, quas idem Ammonius vocat prædicamenti latitudinem, collocantur differentiæ oppositæ, quarum aliæ positiuæ sunt, & propriæ, diuidentes superiora genera, & constituentes species, vel subalternas, vel infimas. Aliæ verò sunt impropriæ, scilicet negatiuæ, easque ponimus loco positiuarum, quas ignoramus. Dicuntur autem omnes poni in prædicamento indirectè: reductiuè autem ponuntur modi, & partes Physicæ ejus rei, quæ in eo per se, & directè ponitur, vt est punctum in prædicamento quantitatis; vnio, materia, forma, in prædicameuto substantiæ, vt tactum est q. 2. numero 30.

20. Habes hic igitur schema seriei prædicamenti substantiæ, in quo omisimus ens, vt problemati de ejus genereitate non fiat præjudicium. Deinde reposuimus ea tantùm genera, quæ Porphyrius, & alij satis communiter reposuerunt, ea tantùm, quæ notiora sunt, afferentes. Diuus Thomas autem opusculo 42. & alij quidam addunt inter corpus, & viuens; *generabile*, & *mixtum*: quia corpus diuiditur per alterabile, & inalterabile: alterabile constituit generabile, quod diuiditur per compositum, & simplex: differentia autem compositi constituit mixtum: quod deinde diuiditur per animatum, & inanimatum.

Alij etiam aliter diuidunt, & substantiam immediatè distribuunt in corruptibilem, & in incorruptibilem: alij in viuentem, & non viuentem, comprehendendo angelos in genere substantiæ tum incorruptibilis, tum

viuentis. Alij denique alijs, & diuersis modis, de quo aliqua tetigimus q. de differentia, à numerò 13. sed modus hic assignatus facilior est.

21. Est autem controuersia, quænam substantia statui debeat pro summo genere: quia Albertus magnus, Ægidius, & alij quidam aiunt substantiam corpoream esse genus supremum, excludentes Angelos, siue intelligentias à prædicamento, eo quòd Aristoteles 9. metaph. c. 10. & l. 12. c. 6. 7. & 8. dicit eos esse substantias simplices, actus puros, immobiles, sempiternos. Actus autem purus caret potentialitate, atque adeò genere.

Auerroes autem statuit pro genere supremo substantiam corruptibilem: & ita præter intelligentias, excludit cœlos à prædicamento. Ita habet capite de specie, & 10. metaph. commento 26. quem aliqui secuti sunt: quia Aristoteles 10. metaph. c. vlt. ait corruptibile & incorruptibile differre genere, hoc est prædicamento. Verùm Aristoteles vel intelligit differre tantùm genere subalterno, & conuenire in supremo conceptu substantiæ: vel loquitur de genere Physico, hoc est, materiâ, quam fortè vult diuersam esse in sublunaribus, & in cœlis, de quo in libris de Cœlo.

Deinde quidquid hic docet de substantia, conuenit æque cœlis, ac alijs substantijs. Quinto item metaph. textu 15. & lib. 7. c. 2. inter species substantiæ numerat cœlos, astra, dæmones. Denique tum cœli, tum Angeli conueniunt cum cæteris substantijs in ratione per se existendi, seu subsistendi, quæ est propria ratio substantiæ: & ita est verè genus ad omnes substantias creatas.

Quando verò Angelos vocat actus puros, hoc intelligit respectu potentiæ ad non essendum: quia cum careant materiâ, quæ est principium corruptionis, sunt actus simplices, per se subsistentes, & naturaliter immobiles quoad esse substantiale, hoc est, incorruptibiles: sed non ideò carent compositione ex genere, & differentia; subjecto, & accidente; naturâ, & suppositò; essentia, & existentia. De quo alibi.

SECTIO IV.

De proprietatibus substantiæ.

22. PROPRIETATES substantiæ sex enumerat Aristoteles in tertia hujus capitis parte. Prima exprimitur per negationem, scilicet, *non esse in subiecto*, & fundatur in differentia, siue in modo positiuo essendi per se, quem explicuimus sectione 1. potest autem facilè intelligi ex modo oppositò, nempe *esse in subiecto*, quem ex-

plicat Aristoteles cap. 2. antepræd. dicens, *illud esse in subiecto, quod est in alio, non tanquam pars, nec potest separatum ab eo, in quo est, consistere.* Qua ratione definit accidens per modum essendi in alio, sicut in hoc capite definit substantiam per modum essendi per se, vt notat D. Thomas in 4. d. 12. q. 1. art. 1. quæstiunculâ 1.

Quando dicitur accidens esse in aliquo, debet intelligi proprius modus essendi in eo, nempe formaliter, & per veram conjunctionem, & dependentiam ab illo. Hic autem modus vocatur communiter esse in alio per inhærentiam: & illud in quo est, vocatur subjectum inhæsionis. Per Ly. *aliquo*, intellige subjectum immediatum, cui inest accidens. Dum dicitur non esse pars, debet intelligi quòd non sit pars, neque respectu subiecti immediati; neque respectu alterius entis *per se*. Denique dum dicitur non posse separatum consistere, debet intelligi de potentia creata, & naturali, quia diuinitùs extra subjectum consistit, vt patet in sancta Eucharistia.

23. Per primam conditionem reijciuntur diuersi modi improprij essendi in alio, quos affert Aristoteles 4. Physic. c. 3. Primus est, quo totum dicitur esse in suis partibus, quia non est extra illas: nam sic etiam diceretur esse in se ipso, quod est valde improprium. Secundus est quo species dicitur esse in genere: sed melius diceretur esse sub genere tanquam inferius sub superiori. Tertius quo effectus dicitur esse in causa. Verum non est in ea formaliter, sed virtualiter. Quartus, quo res dicitur esse in fine, vt auarus in diuitijs, quod patet impropriè dici.

Per secundam conditionem ostenditur accidens posse esse extra subjectum mediatum, & denominationis: quomodo intellectus & voluntas manent in anima, homine demortuo; cœteraque accidentia in cadauere ex probabili sententia, quia immediatè inhærent in materia.

Per tertiam excluduntur omnes partes integrantes Physicæ, vt caput, manus, quæ sunt in toto vt partes eius. Item omnes formæ substantiales materiales, quæ, licet non sint partes materiæ, cui insunt; nec possint existere naturaliter extra illam: sunt tamen partes entis per se, ex illis & materia constituti. Accidens enim debet esse alterius rationis, quàm subjectum, alioquin non esset accidens: & consequenter non potest ex vtroque fieri vnum per se. Denique excluduntur omnes differentiæ substantiales, quæ sunt partes essentiales compositi metaphysici.

Per vltimas definitionis particulas excluduntur ea quæ sunt in loco, & tempore, quia possunt ab illo, vel illo loco; ab illo vel illo tempore separata existere, quamuis per primam conditionem sufficienrer excludantur, quia non sunt in loco, & tempore per vnionem, sed tantùm ab eis extrinsecè mensurantur.

Dices: odor, qui est verum accidens, existit extra suum subjectum, vt patet in attrectatione pomi, cujus odor remanet in manu.

Respondet Ammonius, accidens migrare de subjecto in subjectum,

& Aristotelem velle tantùm ipsum non posse esse sine aliquo subjecto. Alexander vult odorem esse productiuum sui similis, & ita odorem pomi producere alium numero diuersum in manu. Probabilius est subtiliores pomi partes euolare, & manui adhærere: vnde pomum flaccescit, & rugas contrahit.

24. Secunda proprietas est, quòd secunda substantia prædicetur vniuocè de subjecto. Prædicatur enim nomine, & ratione, hoc est definitione. Veræ quippe sunt istæ propositiones, *Petrus est homo*, *Petrus est animal rationale*, quæ est hominis definitio. Debet autem intelligi de prædicatione essentiali, alioquin conueniret accidentibus. Nam esse album, & esse disgregatiuum visus, quæ est definitio albedinis, vniuocè dicitur de niue, cygno, calce; non tamen formaliter vt definitio, & *in quid*; sed vt accidens commune. Vide sectionem de vniuocis, numero 12. in fine.

Tertia proprietas est quòd prima substantia significet *hoc aliquid*; secunda verò *quale quid*. hæc proprietas cadit in nomina, quia eorum proprium est significare: applicatur autem passiuè rebus ipsis hoc modo, significari vt *hoc aliquid*, est proprietas primæ substantiæ: significari vt *quale quid*, est proprietas secundæ substantiæ. Vel, vt loquitur Tataretus, actus signatus sumitur pro actu exercito, ita vt sensus sit, prima substantia significat *hoc aliquid*, id est prima substantia est *hoc aliquid*.

Quomodo autem debeat hæc proprietas intelligi, non idem est omnium sensus. Porphyrius ait secundas substantias componi ex genere, & differentia: genus autem prædicari *in quid*, differentiam *in quale*, & consequenter quod ex vtroque componitur, debere prædicari *in quale quid*. Sed hoc non rectè dicitur, alioquin species prædicaretur *in quale quid*. Deinde differẽtia non est sic cõpositæ, & tamen prædicatur *in quale quid*. Denique genus supremum non est etiam hoc modo compositum ex Porphyrio, vnde non potest sic prædicari, aut significari.

25. Caietanus hic cum alijs dicit secundam substantiam includere naturam realem, quæ significat *quid*, & secundam intentionem vniuersalitatis, quæ est qualitas, seu accidens rationis: & ita rectè significare *quale quid*. Verum prima substantia includit etiam naturam realem, & secundam intentionem, quâ dicitur indiuidualis, singularis, & prima: & tamen non significat *quale quid*.

Tataretus hic ait primas substantias significare *hoc aliquid*, quia illud quod per eas significatur, est determinatum, seu singulare indiuiduum, & vnum numero, quod est *hoc aliquid*. Secundas verò significare *quale quid*, id est, aliquid pluribus commune, & determinabile.

Diuus Thomas 7. metaph. lect. 13. ait primas substantias significare *hoc aliquid*, quia in propositione tenent locum subjecti, & materiæ, per se stantis: secundæ verò tenent locum prædicati, & formæ: forma autem dicitur qualitas materiæ, quia illi adjacet, & quasi ab ea sustenta-

tur: vnde secundæ substantiæ rectè dicuntur significare *quale quid.*

Duæ istæ postremæ explicationes legitimæ sunt, mentique Aristotelis conformes, quia rationem reddens, cur prima, & secunda substantia hunc habeant significandi modum, ita loquitur pro prima, *indiuiduum enim est, vnumque numero quod significatur.* Pro secunda vero sic ait, *non est enim vnum subiectum, vt substantia prima; sed de multis homo, animalque dicuntur.*

26. Quarta proprietas est, nihil esse substantiæ contrarium. *Sunt autem contraria*, vt fusiùs explicabimus in postprædicamentis, *quæ sub eodem genere maximè distantia, se ab eodem subiecto expellunt.* Quomodo calor, & frigus expellunt se mutuò ab aqua. Nihil ergo propriè contrarium est substantiæ; non alia substantia, quia substantia non est in subjecto, nempe inhæsionis, vt dictum est numero 22. neque etiam contrarium est illi accidens; tum ob eandem rationem; tum quia contraria se mutuò perimunt: substantia autem est subjectum commune omnium accidentium, illa sustentans, & conseruans: vnde si illi essent contraria, sibimet nocerent.

Dixi *propriè contrarium*: quia si largè sumatur pro *opposito*, tunc poterit aliquid esse contrarium substantiæ multipliciter: primò quidem priuatiuè, vt ipsi igni, priuatio eius in ligno: deinde contradictoriè, vt homo, non homo: tum relatiuè, vt inter Platonem, & Aristotelem, quatenus similes sunt in natura: denique disparatè, vt inter rationale, & hinnibile.

Verum est tamen reperiri contrarietatem radicalem, & virtualem inter formas substantiales, vt inter aquam, & ignem, quatenus contrarias postulant qualitates, quæ sibi formaliter opponuntur, seque mutuò expellunt à subjecto, ex quo formarum substantialium expulsio consequitur.

27. Quinta proprietas est suscipere magis & minus. Quid autem hoc sit, fusè explicabimus, fauente Deo, in libris de generatione: sufficiat nunc dicere ex Scoto in 1. d. 17. q. 5. suscipere magis, & minus nihil esse aliud, quam esse majus vel minus, non majoritate molis, sed majoritate perfectionis naturalis: adeo vt illud dicatur magis tale, in quo est major, seu completior ratio perfectionis naturæ, quam dicitur participare secundùm magis.

Verbi gratia paries dicitur suscipere magis, & minus, ratione albedinis, quia modò est magis albus, modò minùs, secundùm quod albedo, quâ afficitur, est magis, vel minùs intensa, seu magis, vel minùs perfecta perfectione naturali.

In hoc ergo sensu substantia non suscipit magis, & minùs: nec enim vnus homo dicitur nunc magis homo, quàm antea, quia non intenditur, aut remittitur ipsa ratio substantiæ per motum, & successione temporis. An autem vna perfectiores habeat gradus quàm altera in eadem specie,

ita vt omnes, & totos simul in prima productione receperit, discutiemus in libris de anima.

28. Sexta proprietas substantiæ est, esse susceptiuum contrariorum: ita vt vna eademque substantia modò habeat vnum contrarium, modò aliud, vt aqua modò frigus, modò calorem. Ait autem Aristoteles hoc esse maximè proprium substantiæ, id est, vt multi censent, soli substantiæ, licet non omni, quia non competit Deo, neque formis substantialibus materialibus, in quibus, vt aiunt, non recipiuntur accidentia, sed in materia. Communior tamen interpretum opinio est hoc esse proprium quarto modo, ita vt omni, soli, & semper conueniat, excluso Deo. Quod vt verum sit, per contraria intellige non sola propria, quæ logica vocantur; sed etiam Physica, quæ licet simul esse non possint, opus non est vt ad corruptionem disponant, aut alias propriorum contrariorum conditiones habeant.

Hoc modo cœli, & astra recipiunt contraria, vt motus sursum, & deorsum; ad ortum, & occasum: augmentum, & decrementum lucis. Similiter Angeli recipiunt bonitatem, & malitiam moralem; veritatem, & errorem. Et ita de alijs substantijs. Neque hæc proprietas soli primæ substantiæ competit, vt videtur indicare Aristoteles, dum ait, *proprium esse substantiæ, vt vna numero cùm sit contrariorum sit receptiua.* Sensus enim est, proprium esse substantiæ, seruatâ eadem vnitate numericâ, recipere posse contraria; quod secundæ etiam substantiæ competit. Nam homo v. g. existens vnum numero in Petro, modò calorem, modò frigus recipit.

29. Obijcies: oratio, seu enunciatio est accidens; & tamen recipit contraria, nempe veritatem, & falsitatem. Si enim quis dicat, *Petrus currit*, vera erit currente Petro; & eo cessante à cursu, erit falsa. Similiter quantitas in venerabili Eucharistia recipit calorem, & frigus, aliaque contraria: ergo hæc proprietas non soli substantiæ competit.

Respondet ad primam Aristoteles hic, orationem non recipere in se veritatem, aut falsitatem intrinsecè, quia immutata manens transit de vera in falsam per solam mutationem obiecti. At verò substantia recipit intrinsecè contraria. Dicunt multi non esse eandem numero orationem: de quo aliàs. Sequens responsio huic argumento faciet satis.

Respondeo ad secundum, quantitatem non esse subjectum primum, & principale, quod vocatur subjectum *quod*: sed proximum, immediatum, & minùs principale, quod vocatur subjectum *quo*. Cùm enim sola substantia per se existat, & subsistat: sola consequenter est per se, & naturâ suâ subjectum, & fulcimentum principale accidentium, à nullo alio dependens. At quantitas, & quodlibet aliud accidens vltimò dependet à substantia, cùm tota collectio accidentium sit in alio, & non in se, vt patet ex definitione num. 22. & consequenter suapte naturâ est tantum subjectum *quo* licet per miraculum in sacra Eucharistia quantitas subeat vicem subjecti *quod*.

30. Potest autem dupliciter intelligi vnum accidens esse subjectum *quo* alterius: primò ita vt primum non recipiat alterum inhæsiuè in se; sed tantum sit ratio inhærendi, seu conditio, aut dispositio prærequisita, vt huiusmodi secundum accidens possit inhærere substantiæ: quomodo diaphaneitas dicitur necessaria, vt lumen recipi possit in aëre: secundò ita vt primum accidens sit verè subjectum *quo* alterius, recipiens illud in se, & terminans eius vnionem, & inhæsionem ad seipsum: quamuis non ideo dicatur subjectum *quod*, quia non est basis causalitatis materialis, quæ vltimò in substantiam refunditur. Siue alioquin secundum accidens soli primo inhæreat, siue primo simul & ipsi substantiæ. Quod in Physicis examinandum remitto.

QVAESTIO IV.

De Prædicamento quantitatis.

SECTIO I.

Quid sit Quantitas.

1. QVANTITATIS nomen latè sumitur pro perfectione, & virtute cujusque rei, quomodo reperitur tum in rebus corporeis, tum incorporeis: & in hoc sensu dixit D. Augustinus 6. de Trinit. c. 8. *in his, quæ non mole, sed virtute magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.* Vnde dicitur Deus magnus & excelsus. Strictius autem sumitur pro quantitate corporibus propria, & vocatur quantitas molis, seu dimensionis, hoc est magnitudo, & extensio rerum. Quas acceptiones affert D. Thomas. 1. p. q. 42. art. 1. ad 1.

Quantitas hoc secundo modo sumpta pertinet ad hunc locum; & describi potest his verbis. *Quantitas est quæ diuidi potest in partes distinctas secundùm situm, secundùm successionem, & secundùm ordinem.* Prima pars complectitur lineam, superficiem, corpus, & locum. Illa namque habent partes extra partes, distinctas secundùm situm. Secunda complectitur tempus, & orationem, quæ partes habent alias alijs succe-

dentes. Tertia denique complectitur numerum, qui partes habet distinctas secundùm ordinem: nam binarius prior est ternario, & extra illum, & prima vnitas antecedit secundam, tertiam, &c. An verò hæc omnia sint propriæ species quantitatis, examinabimus in Physicis.

2. Aristoteles quantitatem definit 5. metaph. c. 13. in concreto hoc modo *quantum dicitur quod est diuisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque, aut singula vnum quid, & hoc aliquid apta sunt esse.* Hoc est, diuisibile est in partes integrantes similes, & eiusdem rationis, ita vt quælibet separata à toto, sit vnum aliquod totum. Quia est diuisibile, excluduntur res simplices, & carentes partibus. Dum dicitur *in ea, quæ insunt*, intellige actu, & non tantùm virtute, sicut elementa in mixto: quæ quamuis essent actu in eo; non essent tamen partes integrantes sicut sunt partes ipsius quantitatis, sed essentiales. Denique quia hujusmodi partes separatæ, vnum totum sunt, excluditur compositum Physicum ex materia, & forma, quæ etiam dum separatæ existunt, sunt semper intrinsecè partes, & non aliquod totum.

Hæc definitio clarius tradi potest hoc modo, *quantitas est accidens, quo subiectum redditur diuisibile.* Non potest enim assignari aliquid aliud, cui hoc munus competat. Vtrum autem hæc sit essentialis, an descriptiua, in Physica discutiemus.

3. Obijcies: hæc definitio non conuenit quantitati discretæ, nempe numero, quia eius partes non sunt vnitæ, sed necessariò semper diuisæ; & ita non possunt dici diuisibiles.

Deinde quantitas in cælo non est diuisibilis, nec facit subiectum diuisibile. Denique motus, & tempus non habent partes suas simul, ita vt vna possit ab altera diuidi, & separari.

Respondeo ad primum, negando antecedens: quilibet enim numerus est diuisibilis, vt denarius in duos quinarios, & in decem vnitates, quæ sunt eius partes. Hoc docet Aristoteles citato c. 13. his verbis, *dicitur autem multitudo, quæ potentiâ diuisibilis est in non continua: magnitudo verò, quæ in continua.*

Respondeo ad secundum, quantitatem esse diuisibilem secundùm se, & reddere ex parte sua subiectum diuisibile: si autem corpus aliquod propter incorruptibilitatem, aliamue conditionem non possit secari, aut diuidi à causa naturali, hoc est per accidens respectu quantitatis: sicut dum est adeò exigua, vt nequeat diuidi aut alterari: nam si esset coniuncta cum alijs, facilè in quouis sui puncto secaretur.

Similiter partes temporis, & motus, licet non existant totæ simul; inuicem tamen sibi succedunt, & conjunguntur; & ita potest vna ab alia separari.

SECTIO

SECTIO II.

De diuisione quantitatis.

4. DIVIDITVR quantitas ab Aristotele initio huius capitis in continuam, & discretam. Continuam esse ait, *cuius partes communi termino copulantur.* Est autem communis terminus, qui est ita terminus vnius partis, vt etiam sit terminus alterius, & æqualiter pertineat ad vtramque: & consequenter debet esse aliquid indiuisibile sub ea ratione, quâ est terminus: quia si secundùm aliquid sui esset terminus vnius partis, & secũdùm aliud esset terminus alterius, iam non esset communis, & insuper non esset vltimum terminans, vt patet.

Vnde communiter assignatur punctum pro termino communi partium lineæ, quæ dicitur componi ex partibus, per puncta vnitis. Pro termino verò superficiei assignatur linea; superficies enim componitur partibus per lineas vnitis. Pro termino denique corporis assignatur superficies, quia corpus constat partibus vnitis per superficies. Si tamen admitti debeant huiusmodi termini indiuisibiles; de quo in Physica.

Quantitatis continuæ species quinque numerantur, linea, superficies, corpus, locus, tempus. Linea definitur *longitudo latitudinis, & profunditatis expers*: superficies, *latitudo, sine profunditate.* Corpus, *quantitas trinæ dimensionis*; scilicet longa, lata, profunda. Locus dicitur *superficies corporis ambientis, immobiliter continens.* Tempus denique, *numerus motus secundùm prius, & posterius.*

5. Quantitas discreta est, cuius partes non copulantur communi termino, vt si quinque, & quinque dicantur partes numeri denarij, nullo vniuntur termino communi, sed sunt sejuncta. Similiter tria, & septem, quæ sunt quoque denarij partes, non copulantur inter se; sed discreta, seiunctaque sunt.

Species hujus quantitatis duas numerat Aristoteles, numerum scilicet, & orationem. Numerus definitur *quantitas mensurabilis per vnitatem.* Omnes quippe numeri per vnitatem aliquoties repetitam & formantur, & mensurantur. Oratio autem, vocalis nempe, quantitas dicitur, quia mensuratur syllabâ longâ, & breui, inquit Aristoteles. Est verò quantitas discreta, quia eius partes per se disiunctæ sunt, seorsimque proferuntur, nec vllâ vnione communi cohærent inter se.

6. Diuiditur secundò quantitas continua satis communiter in permanentem, & successiuam. Permanens est, *cuius omnes partes simul existunt*, vt quantitas manus, scamni. Successiua est, *cuius partes non sunt*

simul, sed sibi inuicem succedunt; ita vt quando vna est, non sint aliæ; sed vel præteritæ sint, vel futuræ: vt sunt partes temporis.

Quantitatis permanentis species sunt quatuor, linea, superficies, corpus, & locus: successiuæ autem vna est species, nimirum tempus, cui multi addunt aliam, nempe motum.

Diuiditur tertiò ab Aristotele quantitas in eam, cuius partes situm, positionemque habent; & in eam, cuius partes non habent positionem. Tria autem requiruntur, vt partes alicujus quantitatis habeant positionem: primum est, vt illæ partes sint coniunctæ aliqua vnione. Secundum vt sint permanentes. Tertium vt sint alicubi, hoc est, in aliqua parte magnitudinis: ita vt possint indicari quasi vna alteri adiaceat.

7. Sicut enim ordo, & dispositio partium corporis in loco dicitur situs, spectans ad prædicamentum situs: ita dispositio partium in ipso toto corpore, secundùm quam possunt coaptari, & respondere partibus loci, dicitur situs, & positio partium, spectans ad hoc prædicamentum quantitatis. Seu vt alij dicũt, situs formaliter sumptus pro actuali dispositione partium in loco, pertinet ad prædicamentum situs: radicaliter verò sumptus pro aptitudine, quam habent partes illæ vt sic disponantur, pertinet ad istud prædicamentum.

Alij denique arbitrantur adæquatam, & maximè propriam passionem huiusce quantitatis coalescere ex vbi, & situ, hoc est, ex præsentia locali, & ex modo talis præsentiæ, posito in tali, vel tali situ, vt est sedere, stare &c. Et ita diuisio esset accidentalis, & subjecti in accidentia. Sic tenet Auersa.

Hoc itaque modo quatuor erunt species quantitatis, positionem partium habentis, scilicet linea, superficies, corpus, & locus. Hæc enim habent partes sibi cohærentes, permanentes, & situm in magnitudine habentes. Quantitatis autem non habentis positionem partium, tres sunt species, tempus, numerus, & oratio. Tempus quidem, quia, licet partes habeat copulatas communi termino, qui *nunc*, *instans*, seu *momentum* dicitur; non sunt tamen permanentes. Numerus verò, quia non habet partes vnitas. Oratio denique, quia triplici illa conditione caret; non habet enim partes connexas, nec permanentes, nec alicubi sitas.

8. Postquam Aristoteles diuisit hoc modo quantitatem in suas species, ait eas esse propriè, & per se quantas; cætera verò per accidens. Quæ verba quandam ingerunt difficultatem ex eo quòd genus dicitur de suis speciebus substantiuè, & essentialiter, non autem denominatiuè: hic autem linea denominatur quanta, corpus magnum, numerus multus &c. quæ sunt paronyma.

Ad hoc respondeti potest primò iuxta versionem Boëtij, quæ sic habet, *propriè enim quantitates hæ solæ dicuntur: aliæ verò omnia secundùm accidens quanta sunt*. Nihilominus communis modus loquendi viget apud Philosophos, vt linea dicatur longa, &c.

Aliqui dicunt in his propoſitionibus quantitatem non prædicari de ſuis ſpeciebus, ſed de ſuo ſubiecto; ita vt dum dicitur linea longa, ſenſus cadat in ſubſtantiam, quæ eſt ſubjectum lineæ: & ita prædicationem eſſe denominatiuam. Verum in ſacra Euchariſtia, in qua non eſt ſubſtantia panis, rectè dicitur parua, vel magna hoſtia &c.

Alij concedunt tales propoſitiones eſſe eſſentiales quoad ſenſum, licet quoad verba ſint denominatiuæ: & hoc eſſe peculiare quantitati, vt ſub forma denominatiua prædicetur eſſentialiter. Attamen Ariſtoteles 2. top. c. 2. initio expreſsè ait nullam prædicationem generis de ſpeciebus rectè fieri per denominatiua; & illum non rectè loqui, qui candorem vocat colore tinctum, ſeu coloratum: quia vtitur paronymo, non verò genere. Et certè cum genus prædicetur *in quid*, debet exprimi nomine ſubſtantiuo, vt patet ex q. de genere, numero 3.

9. Dicendum itaque eſt tales prædicationes eſſe accidentales, nec in eis prædicari rationem eſſentialem quantitatis de ſuis ſpeciebus; ſed tantummodo proprietates, & paſſiones illius, quæ ſunt eſſe diuiſibilem, eſſe menſurabilem, eſſe tantam, ſeu tantâ mole, tantâ longitudine præditam. Quia igitur quantitas non tantùm eſt menſura ſubſtantiæ, ſed etiam ſui ipſius, quatenus vna quantitas per aliam menſurari poteſt: nec tantùm reddit ſubjectum diuiſibile, ſed etiam ipſa diuiſibilis eſt: nec ſolùm extendit ſubiectum, ſed ipſa eſt extenſa; ideo, dum dicitur, *numerus eſt quantus, linea eſt quanta*: idem eſt ac ſi diceretur, *numerus eſt diuiſibilis eſt menſurabilis, eſt tantus, vel tantus.* In hoc enim ſenſu dicimus lineam longam, lineam breuem. Vnde Ariſtoteles 5. metaph. c. 13. paucum, & multum; longum, & breue; paruum, & magnum numerat inter paſſiones quantitatis, eiſque nomen ipſum quantitatis attribuit.

Cùm ergo quantitatis ſpecies ſint per ſe, & independenter ab alio diuiſibiles, extenſibiles, menſurabiles, rectè dicuntur quanta per ſe, modo explicato: cætera verò per accidens, ſeu per aliud, quia non niſi beneficio quantitatis extenduntur &c. ſimileſque poſſunt fieri prædicationes in alijs prædicamentis, vt dum dicitur qualitas corporea, ſpiritalis; calor intenſus, remiſſus &c. vnde ſi quantitas prædicetur ſecundùm rationem ſuam eſſentialem, non debet dici, *quantitas eſt quanta*, ſed *eſt quantitas*; *linea eſt longitudo*, non verò *longa*, & ita de alijs.

SECTIO III.

De proprietatibus quantitatis.

10. IN alia capitis parte recenſet Ariſtoteles tres quantitatis proprietates, prima eſt non habere contrarium: neque enim vna quantitas aliam expellit ab eodem ſubjecto: neque extra prædicamentum quantitatis inuenitur aliqua forma, quæ ſit illi propriè contraria.

Duo tamen contra hoc ſibi opponit Ariſtoteles. Primum eſt, paruum, & magnum; paucum, & multum, eſſe ſibi contraria; & tamen ſunt quantitates. Secundum eſt: locus ſupremus, qui eſt in cælo; & infimus, qui eſt in medio mundi: ſunt quantitates, vt patet ex hoc capite; & tamen ſunt contrarij: maxime enim diſtant, vt dicitur in definitione contrariorum.

Ad primum reſpondet, hæc non eſſe quantitates, ſed relationes: nam quantitas eſt ens abſolutum: nihil autem dicitur paruum, vel magnum, niſi comparatione aliorum. Deinde quamuis hæc dicantur eſſe quantitates; non eſt tamen aliquid eis contrarium, alioquin idem ſimul contraria reciperet, & ſibi ipſi aduerſaretur: nam adoleſcens eſt magnus reſpectu pygmei, & ſimul paruus reſpectu gigantis. Tertiò magnum, & paruum in quantitate non magis opponuntur, quàm intenſum, & remiſſum in qualitate: ergo ſicut calor in octauo gradu, & calor in quarto non ſunt contraria, ita nec parua, & magna quantitas. Idemque dic de paucis, & multo.

Ad ſecundum ſufficit eadem ſolutio, quia ſupremum non dicitur niſi reſpectu ad infimum. Per diſtantiam autem, quæ in definitione contrariorum ponitur, intelligitur formalis, non localis, licet vocetur diſtantia per analogiam ad localem.

11. Secunda proprietas eſt non ſuſcipere magis & minus. Neque enim vnus numerus eſt magis numerus, quàm alius, nec vna linea magis linea, quàm alia, licet ſit major, ſeu magis extenſa. Vnde aliud eſt ſuſcipere majus, & minus; aliud ſuſcipere magis, & minus. Illud enim idem eſt ac ſuſcipere majorem, vel minorem extenſionem: iſtud verò eſt in entitate ſua perfici plus, minus: quod fit admittendo plures, vel pauciores partes perfectionales eiuſdem formæ, in eadem parte ſubiecti ſe ſe penetrantes, vt explicat Tataretus, & alij Scotiſtæ. De quo tamen alibi.

Tertia quantitatis proprietas eſt, quòd ab ea res dicantur æquales, vel inæquales. Et hoc maximè proprium eſſe ait Ariſtoteles, hoc eſt, proprium quarto modo iuxta communem interpretum ſententiam. Quod vt verum ſit, debet primò fieri comparatio inter quantitates ejuſdem ſpe-

cies, vt inter duas lineas, duos numeros &c. non verò lineæ cum superficie, superficies cum corpore, &c. quia hæc non habent inter se propriam commensurationem, & proportionem.

Secundò ista æqualitas non debet censeri idem cum, identitate specifica nec inæqualitas idem cum specifica diuersitate quantitatum: sic enim duæ species eiusdem generis essent semper inæquales, quia vna aliam excedit in perfectione, vt probabilior habet opinio: & duæ lineæ essent semper æquales, licet vna esset aliâ longior: & denique in omnibus prædicamentis esset similis æqualitas, vel inæqualitas. Debet ergo attendi adæquatio, vel inadæquatio partium integrantium, per se extensarum, ratione cuius possint ad inuicem comparari, & commensurari: in ea enim fundatur propria æqualitas, vel inæqualitas, de qua hic sermo est.

Tertiò hæc proprietas debet sumi quoad aptitudinem, & potentiam, non quoad actum: vnde si vnica in mundo esset quantitas, semper apta esset vt alteri commensuraretur, licet de facto nulli alteri esset æqualis, vel inæqualis.

12. Obijcies: possibilis est quantitas infinita, ex probabili opinione: at nulla potest esse proportio, aut commensuratio eius cum alia quantitate: ergo illi non potest competere æqualitas, aut inæqualitas.

Deinde proprietates debent priùs conuenire naturæ communi, quàm indiuiduis: at ista non sic se habet. Nam quantitas summum genus non habet aliquid, cum quo per se comparetur, aut cui æquale, vel inæquale dicatur. Species item diuersæ non possunt inter se comparari, vt iam dicebamus. Si ergo æqualitas, & inæqualitas non conueniant generi, neque speciebus, non possunt conuenire indiuiduis.

Denique multa alia dicuntur æqualia, vel inæqualia, vt duo pondera, duo calores eiusdem gradus: ergo hæc proprietas non conuenit soli quantitati.

Respondeo ad primum, quantitatem infinitam posse comparari cum alia infinita, & dici illi æqualem, vel inæqualem: vt si infiniti homines haberent vnusquisque in manu lapidem vnum, numerus lapidum æqualis esset numero hominum, & inæqualis numero digitorum.

Respondeo ad secundum, concedendo summum genus quantitatis, eiusque species non comparari per se proximè cum alijs in actu exercito: neque ad alia per se proximè referri relatione æqualitatis, vel inæqualitatis: sed hoc præstare per sua indiuidua, per quæ tales relationes exercent, ab eisque denominantur: & ita huiusmodi proprietas dicitur eis competere tantùm in actu signato, hoc est, tanquam causæ, & fundamento, propter quod vnaquæque particularis quantitas est æqualis, vel inæqualis. Lege sectionem vltimam de relatione in principio.

Respondeo ad tertium, quòd sicut nomen quantitatis tribuitur per metaphoram, aut analogiam multis alijs rebus, quæ sunt extra hoc prædicamentum, vt notauimus numero 1. ita æquale, & inæquale per meta-

phoram, & imitationem ad multa alia extendi solet.

13. Multas alias quantitatis proprietates, seu affectiones numerat Aristoteles alijs in locis, vt esse mensuram, esse finitum, vel infinitum, longum, breue, profundum, graue, leue, asperum, lene, densum rarum &c. quæ non patiuntur difficultatem, aut alibi debent explicari. Multa autem ex his sunt qualitates, multa relationes, sed non propterea non sunt passiones quantitatis; quia ad hoc sufficit, vt per se ex illa consequantur. Nec absurdum est illa, quæ directè in vno prædicamento constituuntur tanquam species, aut genera, esse passiones alterius.

Series hujus prædicamenti facilè constitui potest ex dictis. Quantitas molis est summum genus: sub eo ponuntur duo genera non sibi subalterna, nempe quantitas continua, & discreta: sub discreta duæ sunt species, numerus & oratio: sub numero species infinitæ, vt binarius, ternarius. Sub continua sunt quinque species, linea, superficies, corpus, locus, tempus; indiuidua, hic locus, hæc linea &c.

QVAESTIO V.

De Prædicamento relationis.

SECTIO I.

De existentia relationis.

1. RELATIO, vt nomen ipsum præ se fert, nihil est aliud, nisi forma quædam, quâ vnum ad aliud refertur; seu ordo, quo vnum ordinatur ad aliud: vel respectus, quo vnum respicit aliud: vel denique habitudo, secundùm quam aliqua inter se comparantur, & aliquo modo se habent inter se: vnde Aristoteles relatiua vocat *ad aliquid*, & huic prædicamento titulus est *de ad aliquid*; quia nimirum rectè ita exprimitur effectus formalis relationis, qui est ordinare vnum ad aliud.

Relationes autem reales negasse plurimos antiquos scribit D. Thomas 1. p. q. 13. a. 7, Auicenna 3. metaph. c. 10. Auerroes lib. 12. com. 19. Simplicius hoc capite com. 1. Ammonius com. 31. alijque multi. Verùm for-

tè non negarunt absolutè relationes reales ; sed tantùm voluerunt eas esse transcendentes, vagarique per multa prædicamenta ; non verò constituere peculiare aliquod genus. Ita tenuit Zeno, & Stoïci, vt refert Soto hic post Albertum magnum, & alios :

Hanc sententiam amplexus est Aureolus apud Capreolum in 1. d. 30. q. 1. dicens relationem esse tantùm objectiuè in intellectu : realem tamen dici, quia est in re secundùm potentiam proximam : ita vt intellectus necessitetur, & cogatur non ab extrinseco, sed à re ipsa, & ex intimis fundamenti, eam reducere in actum, & concipere, quasi in ipso fundamento reperiretur, quomodo differt à relatione rationis, quam intellectus effingit sponte, vt relationem *dextri* in columna : hæc enim non habet fundamentũ in columna sed in animali, & ita columna non potest dici realiter dextra; sed solùm quia intellectus eam apprehendit vt terminum respectus, quo dextra dicitur ipsi animali : nihilominus.

2. Dicendùm est primò dari relationes reales, & ab intellectu independentes. Est communis sententia, quæ probatur primò, quia, vt docet fides catholica, in Deo sunt veræ relationes reales, Patris ad filium, Filij ad pàtrem, & Spiritus-sancti ad vtrumque, quibus ipsæ diuinæ personæ distinguntur ab inuicem, & ad se referuntur.

Probatur secundò. Res omnis creata importat necessariò ordinem dependentiæ à Deo creante. Similiter entia incompleta, vt materia prima refertur ad formas, vt potentia ad proprios actus, & vt imperfectum ad proprias perfectiones : vnde dicitur ab Aristotele eas appetere sicut turpe appetit pulchrum. Et idem dici debet de forma respectu materiæ : de accidente respectu substantiæ, sine qua subsistere non potest. Imò talis ordo nomine ipso accidentis exprimitur : dicitur enim accidens, quod alicui accidit, seu alicuius accidens. Multa denique alia important respectus reales, vt potentiæ actiuæ ad suos actus ; actio ipsa ad suum terminum : actus vitales ad sua obiecta : vnio ad extrema vnibilia, & sic de alijs.

Cujus ratio est, quia hæc, & similia sunt naturaliter instituta propter aliud, vt potentia propter actus, materia propter formam &c. Cùm ergo res quælibet accipiat ab authore naturæ, entitatem proportionatam, & accomodatam primario suo fini, & institutioni ; oportet vt hæc, & similia intrinsecè includant habitudinem ad res illas, ad quas ordinantur, vt rectè ait Caietanus 1. p. q. 77. a. 3. §. *ad euidentiam.*

3. Dicendum est secundò admittendas esse relationes reales speciales, quæ constituant peculiare prædicamentum ab alijs diuersum, vnde prædicamentales nuncupentur. Ita philosophi, & Theologi communiter D. Thomas q. 7. de potentia, art. 9. primâ parte, q. 13. a. 7. & q. 28. a. 1. & alibi. Scotus in 2. d. 1. q. 4. Gregorius, Capreolus, Soncinas & c.

Probatur primò authoritate Aristotelis, qui peculiare prædicamentum constituit pro relatione, tum hic in Logica ; tum in 5. metaph. c. 7. tum 1. topic. c. 7. & alibi. Nec potest dici quòd intelligendus sit de relatio-

nibus rationis: nam 6. metaph. c. 2. diuidit ens in ens verum, quod est in anima; & in ens, quod distinguitur in prædicamenta, inter quæ numerat relationem quæ consequenter debet esse ens extra animam.

Probatur secundò ratione Diui Thomæ q. citatâ de potentia, quia sicut bonum exercitus consistit in ordine partium eius: ita bonum vniuersi consistit, non solùm in perfectione absoluta, inhærente rebus ipsis, sed etiam in ordine vnius rei ad aliam, vt patet ex Aristotele 12. metaph. c. 10. hic autem ordo est relatio realis, alioqui perfectio entis realis penderet ab ente rationis; & est relatio ad speciale prædicamētum pertinens, quia non est de intrinseca ratione alicuius rei absolutæ, propter quod reduci debeat ad prædicamentum ipsius: imò non apparet ad quod aliud reuocari possit.

Probatur tertiò: in Deo dantur reales relationes patris ad filium, & vtriusque ad spiritum-sanctum, vt iam dicebamus: ergo & in creatis admitti debent. Sicut enim pater æternus refertur realiter ad filium, quia ipsum genuit, & est principium illius: ita homo referri debet realiter ad filium suum, quia est eius principium productiuum: & ita de similibus.

4. Dices: relationes diuinæ sunt substantiales: in creatis autem debent esse accidentales; ergo istæ non possunt ex illis inferri.

Deinde Deus est extra omne prædicamentum; & si poneretur in prædicamento substantiæ, relationes eius ad idem prædicamentum pertinerent: quia cum sint subsistentiæ, seu personalitates naturæ diuinæ, intimè includuntur in conceptu adæquato substantiæ personalis. Igitur tantùm inde colligi possunt relationes transcendentales, intimè inclusæ in entibus relatis; non verò relationes prædicamentales.

Respondeo ad primum, relationes diuinas esse substantiales, quia non potest aliquod accidens esse in Deo: at res creatæ possunt recipere accidentia: vnde magis ex eo confirmatur nostra sententia: quia si cum ratione essendi per se, & in se, quæ est propria substantiæ, potest coniungi ratio essendi ad aliud: multò magis poterit coniungi cum ratione essendi in alio, quæ est propria accidentis.

Ad aliud dico proprium hoc esse diuinarum relationum, vt constituant personas diuinas: relationes autem creatæ, vt paternitas, filiatio, supponunt personas creatas, iam constitutas: ideoque non est opus, vt includantur in conceptu substantiæ personalis. Ergo cùm pater æternus habeat relationem realem paternitatis ad filium, quia ipsum generat; rectè infertur in creatis patrem habere relationem realem paternitatis ad filium, quia ipsum genuit: relationem, inquam, naturæ, & generationi creatæ proportionatam, hoc est, accidentalem, & extra conceptum rei absolutæ, ac proinde prædicamentalem, non transcendentalem.

5. Probatur quartò: quia nullo intellectu cogitante, vnum album est alteri albo simile, & nigro dissimile; vna quantitas palmaris alteri palmari æqualis, & minor bipalmari: & vnus homo pater alterius ex parte rei.

rei. Hæ autem denominationes non dicunt res absolutas, vt sic, sed habitudines rerum absolutarum inter se: ergo præter res absolutas dantur relationes reales, ab intellectu independentes: relationes, inquam, ad speciale genus pertinentes. Hanc enim quantitatem, esse alteri quantitati æqualem, est omninò accidentale, & extra conceptum quantitatis: hunc hominem denominari patrem istius, est omninò accidentale subsantiæ humanæ: ergo illa denominatio, & relatio æqualitatis non potest pertinere ad prædicamentum quantitatis; nec ista ad prædicamentum substantiæ, aut aliud quoduis: ergo ad speciale prædicamentum relationis.

Probatur quintò specialiter ex Iauello contra Aureolum. Quando intellectus necessitatur ad intelligendum dominum in ordine ad seruum; vel talis ordo, & habitudo præcedit in ipsa re, eius intellectionem, vel non? si præcedit, ergo est realis, & independens ab intellectu: si non præcedit: ergo potest intellectus, quantum est ex natura ipsius rei, intelligere ipsum dominum absque habitudine ad seruum: & ita falsum est ipsum necessitari ex intimis ipsius fundamenti ad concipiendam talem habitudinem.

4. Obijcies primò: relatio nihil ponit in re, quæ dicitur referri: ergo relatio non potest esse aliquid reale. Consequentia est euidens: quia nihil ponit in termino, vt constat, neque per se est, cùm non sit substantia: ergo si nihil ponit in re, quæ refertur, nihil relinquitur, ex quo dici possit aliquid reale. Antecedens verò ostenditur, quia totum esse relationis est *esse ad aliud* ex Aristotele: sed *ad*, vt *ad*, abstrahit ab *esse in*, ergo nihil ponit in re.

Deinde *ad*, vt *ad*, conuenit relationibus relationis secundùm totam suam formalem rationem: non potest ergo, vt sic, esse aliquid reale.

Respondeo negando antecedens: ad probationem eius dico, *ad*, vt *ad*, esse aliquid reale, si coarctetur ad istud prædicamentum: atque etiam vt sic, ponere aliquid in re: quod probatur, quia per hanc specialem rationem accidens reale contrahitur, & constituitur in esse talis accidentis, scilicet relatiui, à cæteris accidentibus distincti; non potest autem ens reale contrahi, aut constitui per aliquid rationis, neque accidens per aliquid alterius generis: ergo *ad*, vt *ad*, est quid reale, & quid accidentis: ergo vt sic, est in subiecto, & consequenter ponit aliquid in re.

Præterea communis ratio accidentis, & ratio propria talis accidentis identificantur ex parte rei: ergo relatio non potest informare subiectum & inhærere in illo secundùm rationem communem, quæ dicitur *esse in*, quin simul inhæreat illi secundùm rationem propriam, quæ dicitur *esse ad*.

Tertiò non potest intrinsecè tribuere suum effectum formalem subiecto, nisi ipsi inhæreat, illudque intrinsecè afficiat, vt per se notum est: ergo cùm per *esse ad*, constituat subiectum in esse relatiui, necessariò debet illi inesse secundùm *esse ad*.

Denique illud *esse ad*, non est per se stans, seu non est substantia: ergo, cùm sit aliquid reale, vt ostensum est, debet esse accidens, & consequenter inhærere; atque adeò ponere aliquid in re; non quidem absolutum, & in ordine ad ipsum subjectum; sed respectiuum, & in ordine ad aliud, vt rectè docet D. Thomas in 1. d. 25. q. 1. a. 4. ad 3.

Si tamen sumatur *esse ad* latissimè, prout excurrit extra hoc prædicamentum, tunc comprehendit relationes rationis, & vt sic, non dicit quid reale, sed ad summum abstrahit à reali, & rationis; non ita tamen vt vniuocè competat relationi reali, & rationis, sed tantùm æquiuocè, aut analogicè: quia, sicut relatio rationis non est vera relatio, sed ficta: ita illius *esse ad*, non est propriè *esse ad*, sed fingitur, & concipitur *esse ad*.

7. Obijcies secundò: relationes, quæ dicuntur primi generis, quæque in vnitate fundantur, vt identitas, æqualitas, similitudo, non sunt reales, sed solùm in intellectu: ergo nec vllæ aliæ, quia de alijs non est potior ratio. Probatur antecedens, quia illæ relationes non sunt reales, quarum fundamentum reale non est: vnitas autem illa, quæ est, verbi gratia, inter duo alba eiusdem speciei, quæque est fundamentum similitudinis inter illa, dependet ab intellectu: vt dicitur in tractatu de vniuersalibus.

Respondeo in primis vnitatem huiusmodi specificam, aut genericam, esse realem, & ab intellectu independentem, vt probabiliter ostensum est q. 4. lib. 2. numero 8. Deinde licet dicatur dependere ab intellectu formaliter sumpta; fundamentaliter tamen ab eo non pendet; & in eo sita est quòd extrema relatiua, vt duæ albedines, eandem naturam habeant, numero tamen diuersam: eandem, inquam, genere, vel specie fundamentaliter: ita vt intellectus habeat occasionem sufficientem ex ipsa re, concipiendi multa vt vnum, seu vnico conceptu per cognitionem præcisiuam. Et in hac vnitate fundamentali, virtualiter distincta à numerica, fundantur relationes huius primi modi: atque adeò reales sunt, sicut fundamentum earum est reale, pro quo vide quæst. 3. libri secundi, num. 26. & 30.

Vnde non mihi probatur quod aliqui asserunt vnitatem, in qua istæ relationes fundantur, non esse realem positiuè, sed tantùm negatiuè, quatenus est negatio diuersitatis, seu prout vna res non se habet aliter ac alia in aliqua forma. Quomodo enim potest relatio realis fundari in fundamento non reali, & quod nihil ponit in re? fundatur ergo in re positiua, quæ subjacet tali negationi. Et hoc idem valet in relatione dissimilitudinis, inæqualitatis &c. Licet enim albedo habeat carentiam nigredinis, & contra; dissimilitudo tamen non fundatur in illa carentia, sed in essentia vtriusque formæ, quatenus vnitas formalis vnius est essentialiter distincta ab vnitate formali alterius. Item in relatione inæqualitatis, quamuis vna quantitas careat aliquâ parte extensionis alterius; relatio tamen non fun-

datur in illa negatione, sed in ipsa quantitate, quatenus vna tanta est, & alia similiter tanta.

8. Obijcies tertiò: ordo vnius ad aliud inuenitur in multis prædicamentis, vt patet ex Aristotele, qui hoc capite numerat inter relationes sensum, & scientiam; habitus & dispositiones, positionem &c. nam positio spectat ad prædicamentum situs: alia verò ad qualitatem: ergo relatio non constituit speciale prædicamentum.

Deinde prius, posterius, simul, oppositio &c, sunt relationes: at hæc ponuntur ab Aristotele in postprædicamentis: ergo &c.

Denique relatio non potest poni per se in prædicamento: in tantum enim poni potest, in quantum se habet ad aliud: at ipsa per se non se habet ad aliud, sed solùm ratione sui concreti: non enim æqualitas refertur, sed æquale: neque similitudo, sed simile: neque paternitas, sed pater. Accidentia autem non ponuntur in prædicamentis, nisi in abstracto, vt declaratum est supra q. 2. numero 4. ergo relatio non potest per se in aliquo speciali prædicamento collocari.

Respondeo ad primum, relationem transcendentalem in multis reperiri prædicamentis, non verò prædicamentalem. Aristoteles autem supra dicta relatiua in hac categoria numerauit iuxta antiquorum opinionem, & definitionem relatiuorum, ab eis traditam, de qua mox agemus; non verò ex propria sententia.

Respondeo ad secundum, postprædicamenta assignata, non esse perfectas relationes, sed tantùm modos quosdam rerum, & imperfectas, atque incompletas entitates: at relatio est quid completum, & ita statui debet pro illa speciale genus, & prædicamentum.

Respondeo ad tertium, relationem in abstracto sumptam se habere per se, & ratione sui ad aliud, v. *quod*; quando scilicet ad aliam comparatur, vt paternitas ad paternitatem; sunt enim similes, seu eiusdem rationis: se habere item vt *quo*, in quantum est ratio, seu forma, quâ vnum relatiuum refertur ad aliud: & ita ratione sui statui debet in prædicamento.

SECTIO II.

De definitione relationis.

9. AD explicandam naturam relationis, duas affert definitiones Aristoteles; alteram ex mente Philosphorum antiquorum; alteram ex propria sententia: quibus explicatis facilè innotescet quid sit relatio. Eas autem tradit de relatis in plurali, & in concreto: in plurali quidem, vt clariùs ostendat relationem exerceri inter duo: vult tamen Boëtius hic plurale sumi pro singulari: in concreto verò, quia ex 7. metaph. c. 1. accidentia in concreto apparent magis entia, & ita sunt nobis notiora, vt obseruat D. Thomas opusc. 48. tract. 5. c. 1.

Prima igitur definitio hæc est, *ea dicuntur ad aliquid, quæ hoc ipsum quod sunt, aliorum esse, aut quomodocunque aliter ad aliud dicuntur.* Verbi gratia duplum quidquid ipsum est, alterius esse dicitur, quia non est duplum, nisi respectu simpli. Item majus secundùm quòd maius est, totum debet, seu tribuit alteri, nempe minori. Verba autem illa, *aliorum esse dicuntur*, nihil aliud significant, nisi aliqua relata conferri cum alio in genitiuo casu, vt pater est filij pater; dominus est serui dominus. Ista verò, *aut quomodocunque aliter*, significant, *aut in alio quouis casu*: vt simile est alicui simile; maius est minore majus; magnum est magnum ad paruum. Aut etiam sine casu, vt emere, vendere. Ita enim exponit Simplicius verba illa, *aut quomodocunque aliter.* Vnde sensus definitionis est, *relata* sunt, quæ aut in genitiuo casu, aut in alio quocunque, aut etiam sine casu cum alio conferuntur: siue eorum esse sit reuera ad aliud se habere, siue in ordine ad aliud explicetur.

10. Secundam definitionem tradit sub finem capitis hoc modo, *ea sunt ad aliquid, quibus ipsum esse est ad aliud quodammodo se habere:* vel vt communiter assignatur, *relata sunt, quorum totum esse est ad aliud se habere.* Sensus autem est ea esse relata, quorum natura, essentia, & formalis ratio est respicere aliud, seu ad aliud se habere: & hæc formalis ratio est ipse respectus, seu relatio; quæ proinde in abstracto definitur hoc modo: *relatio est ens, vel accidens, cuius totum esse est ad aliud, vel se habere ad aliud, seu respicere aliud*; nempe vt *quod*, vel vt *quo*, sicut explicatum est numero 8. in fine. Ex sententia verò Scotistarum, vt relatio huius prædicamenti differat ab ea, per quam constitui volunt sex vltima prædicamenta, quamque vocant extrinsecùs aduenientem, oportet isti definitioni pauca addere hoc modo, *relatio est acci-*

dens intrinsecùs aduenies, cuius totum esse est ad aliud se habere. Vide sectionem quartam sequentem.

Ex his patet discrimen inter vtramque definitionem consistere in *dici ad aliquid*, & *esse ad aliquid*. Licet enim omnia relatiua dicantur ad aliquid: multa tamen sic dicuntur, & per respectum ad aliud explicantur, quæ vel non sunt verè relatiua, vel extra hoc prædicamentum vagantur, vt caput dicitur capitati caput, vel alicuius caput: & manus alicuius manus: sensus alicuius sensibilis sensus: & scientia alicuius scibilis scientia. Quæ omnia vel sunt substantiæ, vel qualitates, non verò relationes. Vnde prior definitio reijci debet, quia latius patet, quam oporteat, vt sectione sequenti clarius apparebit. Posterior verò legitima est, pro cujus intelligentia.

11. Notandum est omni accidenti conuenire vt sit, vel esse possit in subiecto: & ideò ratio accidentis in communi vocatur *esse in*. Quando autem aliquod accidens recipitur in subjecto, tribuit illi peculiare aliquod esse, quod dicitur effectus formalis ipsius accidentis. Verbi gratia albedo existens in pariete, dat illi *esse album*, quod paries habere non potest sine albedine, ideoque dare *esse album*, est effectus formalis albedinis: sicut dare *esse extensum*, est effectus formalis quantitatis; & *esse calidum*, est effectus formalis caloris. Vnde effectus formalis communiter est ipsa forma subjecto communicata.

Si ergo talis forma afficiat, seu perficiat subjectum, in quo est, in ordine ab ipsummet subiectum, dicetur forma, seu accidens absolutum, vt est sanitas respectu animalis; eâ enim intrinsecè perficitur, & in ordine ad se; non verò in ordine ad aliud. At verò si accidens perficiat subjectum, in quo est, non in ordine ad ipsum subjectum, sed in ordine ad aliquid aliud: adeò vt tatio propria, seu effectus formalis ipsius sit referre, & ordinare suum subjectum ad aliquid extrinsecum, dicetur accidens relatiuum, cujusmodi est paternitas, referens patrem ad filium.

12. accidens ergo relatiuum, siue sit verum accidens, siue concipiatur tantùm ad modum accidentis, habebit suum *esse in*, commune omni accidenti: at in eo non consistit formalis eius effectus, sed in *esse ad*, hoc est in munere, & in officio referendi, & ordinandi suum subjectum ad aliquid aliud: ideoque soli relationi conuenit vt totum esse illius sit ad aliud: quo loquendi modo non excluduntur alij conceptus concomitantes, & transcendentales, vt conceptus entis, conceptus accidentis, & inhærentis: sed excluditur tantummodo esse absolutum: ita vt esse relationis, vt sic, non sistat in subiecto, quod informat & afficit: sed tota illius affectio consistit in referendo, & ordinando tale subiectum ad aliud, hoc est, consistit in puro respectu.

Multa quidem sunt alia accidentia, quæ inuoluunt ordinem ad aliquid extrinsecum, vt patebit in decursu: sed præter hoc, dant proprium aliquod esse absolutum subiecto, in quo sunt, exercendo aliquod officium,

ad quod per se ordinata, & instituta sunt: ideoque eorum ratio formalis non est purus respectus, nec consequenter totum eorum esse est ad aliud, sicut contingit in relatione prædicamentali. Vnde hoc modo sufficienter explicata manet præcedens definitio, atque natura relationis prædicamentalis in communi.

SECTIO III.

De multiplici relationis diuisione.

13. PRIMA relationis diuisio generalis est in relationem realem, & rationis. Realis est, quâ vnum ad aliud refertur à parte rei & independenter ab intellectu, vt est relatio patris ad filium. Relatio verò rationis dependet ab intellectu, & tantum est quando concipitur. De qua fusè q. 6. procemiali.

Est autem controuersia, vtrum relatio rationis per se reponatur in hoc prædicamento: affirmare videtur Caietanus 1. p. q. 13. a. 7. & q. 28. a. 1. dicens definitionem ab Aristotele traditam vtrique conuenire relationi, quia data est secundum esse proprium, nempe *ad*, quod abstrahit ab esse reali, & rationis: nam debet definiri secundùm quòd est genus diuersum ab alijs: non est autem diuersum in ratione entis, aut accidentis, & inhærentis, neque vt est quid reale, quia hæc omnia communia sunt: ergo vt abstrahit ab esse reali, & rationis, & prout præcisè dicit esse commune vtrique. Idem ait Soncinnas 5. metaph. q. 26. nec diffitetur Ferrariensis 4. cont. gent. c. 14. eisque fauere videtur diuus Thomas q. 28. citata, his verbis, *solum in his quæ dicuntur ad aliquid inueniuntur aliqua secundùm rationem tantùm, & non secundùm rem: quæ non est in alijs generibus.* Et quodl. 9. a. 1. ait *quamuis ad aliquid ex ratione sui generis non habeat quòd ponat aliquid: non tamen etiam habet ex ipsa generis ratione quòd nihil ponat.* Quibus ostendit relationem secundùm suam rationem formalem, hujus prædicamenti constitutiuam, seu secundùm *esse ad* abstrahere ab ente reali, & rationis; & consequenter relationem rationis in eo reponi.

14. Nihilominùs vera est contraria sententia quæ probatur primò ex Aristotele, cuius authoritatem attulimus num. 103. ipse enim diuisit ens reale, quod opponitur enti in anima, siue enti rationis, in decem prædicamenta: & consequenter ens rationis ab illis omnibus excluſit.

Secundò: ratio entis non conuenit vniuocè enti reali, & rationis vt fatentur authores oppositi, quia inter ens verum, & fictum non potest esse

vera similitudo, & conuenientia, in qua fundatur vnitas, & vniuocatio conceptus: ergo neque potest esse ratio vniuocè communis relationi reali, & rationis: quia sicut relatio rationis non est verum ens, sed fictum; ita non est vera relatio, sed ficta: atque adeo non potest directè, & per se poni in prædicamento relationis realis.

Et quamuis aduersarij hoc concedant, sumendo relationem realem secundùm integrum conceptum, & prout inuoluit *esse in*, quia sic includit rationem veri entis, & accidentis: æque tamen verum est de proprio illius conceptu, qui dicitur *esse ad*, quia illud *esse ad*, prout constituit relationem realem, non potest non esse reale: & prout constituit relationem rationis, non potest non esse rationis, & fictum. Ergo sicut non est vera conuenientia inter ens reale, & rationis: ita non est vera conuenientia inter *esse ad* relationis realis; & *esse ad* relationis rationis; nec consequenter aliquis conceptus vniuocè, & genericè communis.

15. Ad authoritatem diui Thomæ respondetur ipsum hic sumere nomen *generis* latissimè pro quodam analogo, omnem relationem complectente, siue prædicamentalem, siue non: hâc enim ratione communiter dici solet *genus entis*, *genus accidentis*: quamuis hæc genera non sint ex communi sententia: & simili modo sumit genus, dum illud applicat alijs entibus, quantitati, qualitati &c. secundùm rationem formalem quantitatis & qualitatis; siue hæc sint vera genera, siue non. In genere ergo relationis inueniuntur aliqua secundùm rationem tantùm, scilicet relationes rationis, quæ dicuntur simpliciter relationes, & quibus simpliciter conuenit *esse ad aliud*: ita vt particula, *rationis*, addita, non sit conditio diminuens, vt loquitur Caietanus, sicut in alijs generibus: rosa enim secundùm rationem, non est rosa: at relatio in ratione, est simpliciter relatio.

Ratio discriminis petitur ex natura ipsius relationis, & ex parte intellectus, formantis entia rationis. Ex natura quidem relationis, quia cùm proprium illius esse sit *esse ad*, non significatur vt inhærens, aut vt ens existens in subjecto, sed tantùm vt ad aliud se habens; ideoque nihil includit, vt sic, quo impediatur conuenientia, & proportio cum relatione rationis, sufficiens vt dicatur simpliciter relatio. Alia verò genera, vt quantitas, qualitas, non solùm secundùm communem rationem entis, aut accidentis ponũt aliquid in rerum natura; sed etiam secundùm propriã, & specialem suam rationem, quæ posita est in modo quodam taliter essendi in subjecto, vt explicat diuus Thomas q. 28. citatâ a. 2. & Cajetanus art. 1.

Ex parte verò intellectus idem oritur discrimen, quia ipse comparando vnum ad aliud, ad quod naturâ suâ non refertur, dicitur propriè facere relationem rationis: fingendo autem aliquid ad modum quantitatis, &c. non dicitur propriè facere quantitatem rationis: & ita sub nomine quantitatis in genere, & analogicè sumpto non continentur absolutè, & sim-

pliciter entia rationis; sicut in genere relationis continentur relationes rationis. Hæc pro littera Diui Thomæ. Nec aliud volunt Thomistæ citati.

16. Diuiditur secundò relatio in relationem secundùm esse, & in relationem secundùm dici. Per illam intelligunt aliqui, vt Fonseca 5. metap. c. 15. q. 1. sect. 4. Vasques. 1. p. disp. 173. numero 13. relationem realem, etiam non prædicamentalem: per istam verò intelligunt relationem rationis, quæ solo nomine, aut modo nostro intelligendi, non autem reipsâ ad aliud se habet. Ab his parum discrepat Suares disput. 47. metaph. sect. 3. num. 8. dicens relationem secundùm dici, eam esse, quæ de quouis ente absoluto dicitur, quando non concipitur, aut explicatur à nobis, nisi per modum habitudinis ad aliud; quomodo omnipotentiam Dei vocamus relatiuam secundùm dici, quia non possumus eam concipere, aut explicare, nisi per modum habentis respectum ad id, ad quod est potentia; absque eo quòd tamen fingamus in illa relationem rationis ad illud. Hæc explicatio conformis est vocabulis ipsis, sed non menti Aristotelis. Nam in primis post traditam primam definitionem, quæ comprehendit relatiua secundùm dici, vt explicatum est num. 10. dat exemplum in habitu, in scientia, in sensu, quæ realem habitudinem habent ad actus, & obiecta, non verò solius rationis. Deinde verò vt excluderet à prædicamento relationes omnes, ad ipsum non pertinentes, & primâ definitione contentas, tradidit secundam definitionem, quæ comprehendit relationes secundùm esse, vt patet ex eodem numero: ego per relationes secundùm esse, non intellexit, nisi prædicamentales.

Addunt aliqui Thomistæ, multas relationes rationis esse relationes secundum esse, quia totum esse earum est ad aliud se habere: alias verò secundùm dici, quia finguntur per modum cuiusdam absoluti, inuoluentis ordinem ad aliud, vt entia rationis negatiua, & priuatiua, quæ concipiuntur habere ordinem aliquem ad formas, quarum sunt negationes, & priuationes, & sic habent solum dici relationis, non verò esse. Et ideo ista diuisio non potest coincidere cum prima.

17. Thomistæ satis communiter per relatiua secundùm esse, intelligunt ea, quorum ratio formalis est respectus ad aliud: per relatiua verò secundùm dici, intelligunt res ipsas absolutas, quæ sunt fundamentum, aut subiectum relationis, per quam secundariò, & ex consequenti referuntur, aut referri dicuntur. Et ita sentit non obscurè diuus Thomas 1. p. q. 13. a. 7. ad 1. vbi ait *relatiua quædam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relatiuas, vt Dominus seruus, pater, & filius, & huiusmodi: & hæc dicuntur relatiua secundùm esse. Quædam verò sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut mouens, & motum: caput & capitatum, & alia huiusmodi, quæ dicuntur relatiua secundum dici.* Igitur nomina relatiuorum secundùm esse, directè, & primario significant relationes; & indirectè seu secundariò denotant absolutum: relatiuorum autem secundùm dici, de formali,

formali, & directè significant absolutum, & secundariò relationem denotant, ex hac sententia.

18. Cæterum, vt, quod sentio, aperiam, dicendum existimo conformiter ad textum Aristotelis, relatiua secundùm dici comprehendere omnia relatiua, quæcũque illa sint, siue realia siue rationis, siue transcẽdentalia, siue categorica: relatiua verò secundùm esse, comprehendere sola categorica, quorum totum esse est ad aliud, vt explicuimus sectione præcedenti in fine.

Hoc totum patet, tum per exempla, quæ attulit Aristoteles pro prima definitione, quorum alia sunt verè categorica relatiua, vt duplum, majus: alia transcendentalia, vt habitus, sensus, scientia, positio: alia rationis, aut quæ in solo explicandi, & concipiendi modo relata videntur, vt partes substantiarum integrantes, manus alicuius manus, caput capitati caput, &c. tum etiam patet textu expresso ante finem capitis his verbis, *Prior autem definitio sequitur quidem ea quæ sunt ad aliquid, omnia: tamen non idem est, id quod sunt, aliorum esse, & id quod sunt, aliorum esse dici.* vbi videns priorem definitionem plura continere relatiua, quàm quæ ad hoc prædicamentum pertineant, aliam tradidit ex propria sententia, quæ consequenter sola categorica comprehenderet.

Itaque loquendo pressiùs de his relatis in forma diuisionis, ne vnum membrum, totum diuisum exæquet: relata secundum esse, sola erunt categorica: cætera verò omnia erunt relata secundùm dici, quæ quocunque modo concipiuntur, aut explicantur per ordinem, & respectum ad aliud: siue respectus ille sit realis, siue rationis, vt patet exemplis, jam ex Aristotele allatis.

19. Tertia relationis diuisio est in prædicamentalem, & transcendentalem, prædicamentalis est relatio secundùm esse, quam sufficienter iam explicuimus, quæque in solo relationis prædicamento collocatur. Transcendentalis est quæ categoriam relationis transcendit, nec aliquo speciali clauditur prædicamento, sed per multa vagatur. Hanc autem diuisionem eandem esse cum præcedenti communis habet opinio, ita vt relatio secundùm dici, & transcendentalis conuertantur; sicut relatio secundùm esse & categorica. Quod quidem verum est, modò transcendentalis amplè sumatur pro omni ea, quæ non ponitur in hoc prædicamento, siue realis sit, siue non. Si autem sumatur pro sola reali, tunc relatio secundùm dici, latiùs patebit transcendentali, vt patet ex dictis numero præcedenti.

Multa autem traduntur discrimina inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem: præcipua hic habes. Primum est quòd prædicamentalis sit forma quædam integra in suo ordine, accidentalis ipsi relatiuo, quod per eam proximè refertur, non aliud dans esse subiecto suo, quàm respicere aliud, nec habens aliud munus in rerum natura, vt est paternitas, similitudo, &c. relatio verò transcendentalis, dicitur essentialis rei, quam proximè actuat; nec ad eam compara-

tur vt integra, & completa forma, ſed vt differentia eſſentialis,& metaphyſica, eam intrinſecè conſtituens: nec eius munus eſt tantum referre ad aliud. Quæ omnia patent inductione. Nam paternitas, æqualitas, ſimiltudo, adueniunt huic homini, huic albo, in ſuo eſſe iam conſtitutis, & conſequenter tanquam formæ phyſicæ, accidentaliter ſe habentes ad ſua ſubiecta: nec ad aliquid deſeruiunt, niſi ad referendum ad aliud.

At relatio tranſcendentalis, quam ſcientia verbi gratiâ, habet ad obiectum ſcibile, quamuis non ſit de eſſentia ſcientis, ſed illum accidentaliter referat ad terminum, quem ipſa ſuo modo reſpicit; eſt tamen eſſentialis ipſi ſcientiæ, quam immediatè afficit, ideoque ad illam non comparatur vt forma integra Phyſica, ſed vt differentia eſſentialis metaphyſica: neque ſolo munere referendi contenta eſt, ſed conſtituit naturam, quæ debet aliquid operari, aut aliquo alio modo ſe habere circa obiectum, quod reſpicit. Inde autem colligitur ratio cur relationes iſtæ non conſtituant peculiare aliquod prædicamentum, ſicut aliæ: quia ſcilicet cum eſſentiales ſint rebus, debent reduci ad prædicamenta earum: ſecùs aliæ.

Scotiſtæ tamen negant reſpectum eſſe de eſſentia abſoluti: ideoque tales relationes tranſcendentales volunt eſſe aliquid formaliter ex natura rei diſtinctum ab eſſentia tanquam proprietates, cum ea tamen realiter identificatum; in qua identitate Poncius ſtatuit diſcrimen earum à prædicamentalibus. Vide quæ de hoc tetigimus q. de genere, numero 16.

20. Secundum diſcrimen aſſignatur à Caietano cap. 7.de ente,& eſſentia, q. 15. & ſatis communiter admittitur, nimirum relationem prædicamentalem reſpicere terminum gratis, hoc eſt, ſub ratione puri termini, ita vt nullum aliud munus circa illum] exerceat, niſi reſpiciendi tantùm: tranſcendentalem vero non reſpicere ſub ſola,& præciſa ratione termini, ſed ſub aliqua alia, vt ſubiecti, obiecti, cauſæ, finis, effectus, efficientis, &c. hoc oſtenditur inductione: paternitas enim v. g. nihil aliud præſtat circa filium, niſi illum purè reſpicere vt terminum, & ſic de alijs. Et quamuis termini huiuſmodi relationum, in ratione radicali terminandi poſſint includere rationes ſpeciales cauſæ, effectus, obiecti, &c. non reſpiciuntur tamen ab ipſis ſub talibus rationibus, ſed præcisè vt ſunt termini.

At verò relationes tranſcendentales aliter ſe habent: nam materia reſpicit formam, vt perfectionem, & actum, à quo compleatur: forma materiam, vt ſubiectum, cauſamque materialem, aut vt connaturaliter exiſtat, finemque obtineat, qui eſt conſtituere compoſitum: ſcientia reſpicit ſcibile vt obiectum: & ſic de alijs.

21. Tertium diſcrimen eſt quòd relatio prædicamentalis non intenditur à natura per ſe, nec per ſe directè fit ex vi alicuius actionis; ſed ex poſitione fundamenti, & termini reſultat, vt patet ex Ariſtotele 5. phyſ. c. 2. tex. 18. vbi ait ad relationem non dari per ſe motum: relatio autem tranſcendentalis intenditur per ſe à natura, & proprio agentis influxu produ-

citur: quia, cùm intentio agentis feratur ad totam formam, debet ferri ad differentiam illius constitutiuam: & ita accidens, materia, vnio, &c. fiunt per actiones ad illa terminatas.

Quartum sequitur ex præcedenti: quòd nimirum relatio prædicamentalis exigat terminum realem, & realiter existentem: transcendentalis verò neutram conditionem necessariò postulat. Ratio est, quia si relatio prædicamentalis per accidens consurgit posito fundamento, & termino, debet vtrumque realiter poni, vt ex vtriusque commensuratione, & proportione, realiter consurgat: de quo infra dum agemus de termino. Transcendentalis verò, cùm per se fiat ab agente, non pendet ab existentia termini, ad quem terminatur: maximè quando terminus habet rationem obiecti: tunc enim sufficit vt terminus habeat esse obiectiuum, vt in scientia entis rationis: aut esse essentiæ, quia ad rationem obiecti non requiritur semper actualis existentia. Verum est tamen multas relationes transcendentales exigere actualem, & realem existentiam extremorum, vt patet in vnione, in actione, & passione, quæ ex hac sententia dicuntur relationes transcendentales.

22. Quarta relationis diuisio est in mutuam, & non mutuam. Mutua est quando in vtroque extremo reperitur relatio, quâ se vicissim respiciunt vt inter patrem, & filium. Non mutua est, quando in vno tantùm extremo reperitur relatio ad aliud, vt inter creaturas, & Deum: ipsæ enim Deum vt authorem, & conditorem suum respiciunt: Deus autem non refertur ad creaturas relatione reali ex probabiliori sententia: de quo infra.

Quinta diuisio est in relata eiusdem denominationis, vt inter simile, & simile; æquale & æquale: & hæc aliter vocantur relata æquiparantiæ. Ea verò quæ non sunt eiusdem denominationis, vt pater, & filius; dominus, & seruus, dicuntur relata disquiparantiæ: quæ diuiduntur in relata maioris comparationis, seu præcedentiæ, seu superimpositionis; & in relata minoris comparationis: priora sunt quæ maiorem habent dignitatem, quàm correlata, vt pater respectu filij: posteriora verò quæ minorem dignitatem habent, vt seruus respectu domini.

Vltima diuisio est in relationem intrinsecùs aduenientem, & in relationem extrinsecùs aduenientem. Quia verò sæpissimè fit mentio in Scoto de ista relatione, & in ea constituit ipse sex vltima prædicamenta: ideo specialiter aliqua nobis hic de illa dicenda sunt.

SECTIO IV.

De relatione extrinsecùs adueniente.

23. SCOTVS in 3. sent. d. 1. q. 1. numero 14. & in 4. d. 13. q. 1. numero 9. & quodlibeto 11. num. 4. admittit duplex relationum genus pro re præsenti: alias vocat intrinsecùs aduenientes: alias verò extrinsecùs aduenientes.

Relatio intrinsecùs aduenies est, quæ statim posito fundamento, ratione fundandi, & termino, necessariò consurgit absque aliqua actione propria, ad ipsam terminatâ, vt paternitas posito patre, & filio: & sic vocatur, quia ab intrinseco consequitur ex termino, fundamento, & ratione fundandi. Et hæc constituit tertium hoc prædicamentum.

Relatio extrinsecùs aduenies est, quæ positis extremis, non statim consurgit, sed nouo indiget influxu: adeò vt quouis absoluto posito in alterutro extremorum, aut etiam in vtroque, non consurgat necessario sed contingenter: imò opus non sit quando aduenit, vt aliquid absolutum aduenìat de nouo in extremis, ad eorum entitatem absolutam pertinens. Huiusmodi est vnio inter materiam, & formam: hæc enim esse possunt secundùm totum suum esse absolutum absque vnione: vnde vt inter se coniungantur, necessarius est nouus influxus. Item posito loco in Gallia, & corpore in Hispania non consequitur relatio loci ad locatum, nisi ambo coniungantur: & posito igne, & ligno non est necesse statim sequi actionem, cùm possit impediri multis modis.

24. Cùm ergo huiusmodi relatio non sequatur intimè ex fundamento, & termino, necesse est vt aliundè, seu extrinsecùs aduenìat. Et ita rectè potest definiri hoc modo, *relatio extrinsecùs aduenies est respectus realis, distinctus realiter ab extremis, non præsupponens aliquid in ipsis, ad quod necessario sequatur, nisi fortè actionem ipsius productiuam.* Dicitur *realiter distinctus*, vt differat à transcendentali, qualis est creaturæ ad Deum, materiæ ad formam, potentiæ ad obiectum. Sequentes particulæ distingunt eam à relatione intrinsecùs adueniente. Additur denique *nisi fortè actionem ipsius productiuam*: quia aliquando potest præsupponere in altero extremo aut in ambobus actionem, per quam producatur. Sic enim *vbi*, præsupponit in eo qui se mouet localiter, actionem à qua producitur, aut saltem in eo, à quo poneretur in ipso loco: quod addo propter eos, qui actionem volunt recipi in agente. Et huius generis relationes constituũt sex vltima prædicamenta ex mente Scoti, vt diximus.

Ex quibus sequitur, quòd quando Aristoteles ait non dari motum ad relationem, loquitur de relationibus intrinsecus aduenientibus, non verò de aduenientibus extrinsecùs: cuius ratio est quia primæ resultant ex noua

entitate absoluta, in altero extremo posita, vt similitudo ex pariete recenter dealbato : & ideo sufficit vt entitas illa producatur, vel ponatur in extremis : istæ verò non consurgunt necessariò ex entitate absoluta, de nouo producta in altero extremo ; & ideo possunt esse primus terminus motus, vel mutationis, vt docet Scotus in 4. d. 6. q. 10. n. 4.

25. Huiusmodi autem relationes dari probatur ex dictis, quia vnio non est relatio intrinsecùs aduenies, & non est aliquid absolutum : ergo est relatio extrinsecus aduenies.

Secundò : ex Aristotele 5. Metaph. c. 20. situs dicit ordinem partium in loco : sed hic ordo non est relatio intrinsecùs aduenies, ex opposita sententia : ergo est relatio extrinsecùs aduenies. Idem potest probari de actione, passione, vbi &c.

Ad hæc facilis est responsio : ad primum enim dicitur, vnionem esse modum aliquem substantialem, aut accidentalem, secundùm quòd est inter substantias, aut accidentia, habentem relationem transcendentalem ad extrema vnibilia, sibi identificatam.

Ad secundum dico, situm, si sit aliquid intrinsecum, distinctum à corpore, præsupponere ordinationem materialem partium in loco, & inde resultare, non verò quòd sit formaliter relatio. Idemque dicendum est de vbi, & cœteris. Obiectiones autem contra istam opinionem sunt satis efficaces, quas, vt sustineri possit, soluere hic oportet.

26. Obijcies ergo primò : multæ relationes prædicamentales non consurgunt positis extremis, nisi nouus addatur influxus, aut aliud quippiam, vt relatio propinquitatis inter Petrum, & Paulum, quorum alter Parisijs, alter Tolosæ existit : oportet enim vt per motum ad se accedant. Item relatio magistri ad discipulum, exigit præter extrema, vt ponatur doctio, & disciplina : & relatio intellectus ad obiectum cognoscibile, exigit cognitionem antequàm pullulet. Ergo discrimen assignatum non sufficit ad inducendum genus illud relationum extrinsecùs aduenientium.

Respondeo ; huiusmodi relationes exigere actionem pro ratione fundandi : dictum autem est numero 23. relationes prædicamentales necessariò pullulare positis extremis vnà cum ratione fundandi : & ideò nihil concluditur contra prædicta.

Instabis : vnio, & vbi, necessariò sequuntur posito fundamento, termino, & ratione fundandi. Nam ipsum vbi resultat necessariò ex circunscriptione corporis ambientis ; & ex actione vnitiua resultat vnio inter extrema : ergo hæc non possunt dici relationes extrinsecùs aduenientes.

27. Respondeo primò me dixisse in definitione relationis extrinsecùs aduenientis, ipsam nihil præsupponere in extremis, ad quod necessariò sequatur, nisi fortè actionem productiuam illius relationis ; & ita vnio sequitur ex actione vnitiua : & vbi, ex motu locali, vel ex actione locante ; non autem ex aliquo priori : vnde nihil impedit quò minùs hæc dici possint relationes extrinsecùs aduenientes

Respondeo secundò, actionem illam, ex qua sequuntur prædictæ relationes, non pertinere ad entitatem absolutam fundamenti, vel termini: & ideo semper remanere discrimen, quòd posito fundamento, & termino cum omni entitate absoluta eorum, tales relationes non sequuntur necessariò, sed contingenter; secùs relationes intrinsecùs adueniente, vt explicatum est numero 23.

Instabis secundò, non posse saltem negari quin duratio, seu ratio formalis prædicamenti *quando*, sequatur, aut ponatur necessariò, productâ re ipsâ durante, absque vlla actione terminatâ ad illam durationem: ergo hæc non est relatio extrinsecùs, sed intrinsecùs adueniens, non minùs quàm similitudo, aut æqualitas.

Respondeo negando antecedens. Vt enim dicatur duratio non sequi necessariò posito fundamento, sufficit vt fundamentum possit esse absque illo, vel illo tempore in particulari, quamuis non posset esse, quin esset in aliquo tempore: vnde quælibet duratio in particulari est relatio extrinsecùs adueniens. Idemque dicendum est de illo, vel illo vbi, seu loco.

28. Obijcies secundò: actio, & passio non sunt simul naturâ: ergo non sunt relationes: quia hæc proprietas assignatur ab Aristotele pro relatis.

Præterea quatuor vltima prædicamenta ex propria sua ratione dicunt *esse in*, non verò *esse ad*, ergo non possunt dici relationes. Probatur antecedens: nam *vbi* facit rem esse in loco: *quando* in tempore: *situs* disponit partes in loco: *habitus* resultat ex eo quòd vestis sit in corpore. Idemque valet pro actione, & passione: nam passio dicit esse in passo, & actio esse ab agente, non verò ad aliud.

Respondeo ad primum, hanc proprietatem conuenire relationibus huius tertij prædicamenti, non verò alijs: quamuis valeat subsistendi consequentia ab actione ad passionem, & contrà, loquendo de actione transmutatiua: quod aliqui dicunt sufficere in omnibus relationibus.

Respondeo ad secundum, huiusmodi prædicamenta ex sua intrinseca ratione dicere *esse ad*: nam *vbi* ordinat ad locum: *quando* dicit respectum rei existentis ad tempus, cui coexistit: *habitus* ad vestes: per habitum enim habetur vestis circa corpus, seu corpori applicata: *passio* ordinat subiectum, aut effectum ad agens: & *actio* agens ad effectum. De quibus agemus in proprijs locis.

Obijcies tertiò: hæc duo genera relationum conueniunt vniuocè in ratione relationis; ergo non possunt diuersa prædicamenta constituere, sed in eodem collocari debent: & ita huiusmodi distinctio est frustra.

Respondeo quantitatem, & qualitatem conuenire vniuocè in ratione absoluti, & tamen non ideò ponuntur in eodem prædicamento: ergo neque omnia relata debent in eodem poni propter eandem rationem. Secundò potest dici istas relationes non conuenire vniuocè in ratione relationis cum alijs: quia in ratione relationis postulant conditiones omninò

diuersas, quatenùs extrinsecùs aduenientes debent produci actione terminatâ ad ipsas, non autem aliæ: hæc est mens Scoti in 4.d.13. q.1. num.9.

SECTIO V.

De subiecto relationis prædicamentalis.

29. QVATVOR communiter ad omnem relationem realem necessaria assignantur, nempe subiectum, fundamentum, ratio fundandi, & terminus. Cum enim relatio sit ordo vnius ad aliud, oportet vt inter duo exerceatur, quæ communi nomine appellantur relationis extrema, quia inter ea clauditur, & exercetur. Ex his vnum est id, quod refertur, & vocari solet relatum, relatiuum, & subiectum relationis: aliud verò est id, ad quod relatio tendit, & terminatur, seu ad quod subiectum refertur; & nuncupari solet terminus relationis. Vnde si relatio sit mutua, qualis est inter patrem, & filium, vtrumque extremum habebit rationem subiecti, & termini. Pater enim est subiectum paternitatis, & terminus filiationis: filius autem est subiectum filiationis, & terminus paternitatis.

Quia verò quodlibet non refertur indifferenter ad quodlibet, requiritur ex parte subiecti, quoddam fundamentum, vi cuius relatio conuenit ipsi subiecto, seu quod est causa ipsi subiecto, vt referatur. Hoc modo albedo existens in pariete, est illi causa cur referatur ad alium parietem album, relatione similitudinis, & consequenter est fundamentum huiusmodi relationis. Item potentia generandi est fundamentum paternitatis, quia virtute illius pater generat filium, & aptus redditur, vt ad filium referatur.

Verum quia sæpe non sufficit tale fundamentum, vt relatio resultet, ideo additur ratio fundandi, quæ est quædam conditio necessaria, vt relatio actualiter oriatur in fundamento, sicut actualis generatio est necessaria, vt paternitas oriatur in homine generante. In hac sectione agemus breuiter de subiecto, acturi de reliquis in sequentibus.

30. Subiectum igitur relationis est illud, in quo relatio recipitur, aut inesse intelligitur: siue enim distinguatur à subiecto, siue non, concipitur semper ad modum accidentis, vt constat ex dictis: & ita est in eo, vel tanquam in subiecto inhæsionis, si sit verum, & physicum accidens; aut tanquam in subiecto denominationis; quod nimirùm per prædicationem à relatione denominatur.

Potest autem duplex distingui, scilicet remotum, & proximum. Remotum est, cui relatio inest mediante alio, quod proximum dicitur, quia immediatè afficitur a relatione. Hoc modo relatio similitudinis inter duos homines albos, afficit albedinem tanquam subiectum proximum; & eo

mediante afficit quantitatem, cui albedo ineſt, tanquam ſubiectum remotum; imò ipſam hominis ſubſtantiam, in qua hæc omnia reperiuntur, tanquam ſubiectum remotiſſimum. Vnde non ſolum albedo ſimilis dicitur; ſed etiam ipſum quantum album; atque ipſe homo.

Vtrum autem relatio fundata in accidente, attingat ſubiectum remotum, aut ſubſtantiam in ſe; vel tantùm inhæreat in ipſo accidente, in quo fundatur, iam ſupra q. de ſubſtantia, numero 30. ad Phyſicam examinandum remiſimus. Sed quidquid ſit, contingit ſæpe ſubiectum remotum, & ſuppoſitum ipſum denominari à relatione, non verò proximum: vt paternitas proximè ineſt potentiæ generatiuæ ex probabili ſententia, aut ipſi humanitati; & tamen eam non denominat patrem, ſed tantùm ipſum ſuppoſitum. Sæpe etiam ſubiectum proximum denominatur à relatione, non verò remotum: quomodo inhærentia, quæ eſt relatio accidentis ad ſubſtantiam, denominat ipſum accidens, non verò ſubſtantiam, cui ineſt. Sæpe denique ſubiectum proximum, & remotum æque denominantur à relatione, vt ab æqualitate denominatur ſubſtantia æqualis alteri ſubſtantiæ, ſicut quantitas alteri quantitati.

31. Hic porro dubitari poteſt, vtrum vna eademque relatio afficiat duo ſubiecta ſeparata, ſeu duo extrema, inter quæ exercetur; ita vt inter relata, etiam mutua, vt inter patrem, & filium ſit vnica. Ad quod Henricus quodlibeto 9. q. 3. reſpondet affirmatiuè, ſumendo relationem ſecundùm *eſſe ad*, quia vt ſic, inquit, eſt veluti medium quoddam inter duo relata. Vnde ſicut Ariſtoteles ait eandem eſſe viam ab Athenis Thebas, & à Thebis Athenas: ita vna, eademque eſt habitudo inter duo extrema relata, quia ſic eſt veluti interuallum duorum extremorum ſe reſpicientium, per quod de vno itur ad aliud. Licet ſpectando eam vt exiſtentem in fundamento, multiplicetur ad fundamentorum diſtinctionem.

Verùm hæc opinio multùm à veritate diſcedit: quia, vt ſupra oſtenſum eſt, relatio, etiam ſecundùm *eſſe ad*, & prout eſt medium, ſeu interuallum, ſeu habitudo inter duo, eſt in ſubiecto: non poteſt autem forma ſimplex, & vna numero propriâ vnitate, eſſe in duobus ſubiectis, reipſa diſtinctis, locoque ſeparatis, vt per ſe notum eſt.

Deinde relatio patris ad filium eſt paternitas; filij verò ad patrem eſt filiatio: quæ duo non ſolùm nomine, ſed ratione ipsâ, & quidditate multùm diuerſa ſunt; atque ita non poteſt rectè dici vnam eſſe relationem inter vtrumque. Quamuis autem eadem ſit via ab vno termino al alterum, & econuerſo; reſpectus tamen ſunt diuerſi, & ideo non poteſt inde concludi quòd eadem ſit relatio inter extrema; ſed poſſet hoc concludi de aliquo abſoluto, ſi eſſet medium inter ea, inquit D. Thomas 1. p. q. 28. a. 4. ad 5.

Solùm ergo poteſt dici relationem mutuam, eſſe vnam collectione, quatenùs ex duabus conſurgit integra connexio, & habitudo duorum extremorum inter ſe. Et ſimili modo talis habitudinis erit vnum ſubiectum

collectione

collectione vtriusque extremi. Sed hic modus loquendi ad nihil inseruit; quin potiùs confusionem parit. Aliqui tamen recentiores, qui non distingunt relationem à fundamento, & termino, ita loqui debent; an autem rectè examinabimus infrà.

SECTIO VI.

De fundamento relationis.

32. PLVRIMA de fundamento relationis prædicamentalis examinanda nobis sunt, nempe an debeat esse reale; an distinguatur à subjecto; vtrum substantia possit esse fundamentum relationis: & an vna relatio in altera fundari queat: quæ omnia per sequentia quæsita resoluemus.

Quæres ergo primò, vtrum fundamentum relationis prædicamentalis debeat esse reale? ad quod respondetur communiter affirmatiuè. Ratio est primò, quia vt dictum est supra, relatio resultat ex positione fundamenti, & termini; non verò per se producitur: ergo requirit in subjecto aliquid reale, ratione cuius in illo resultat; alioquin non esset maior ratio, cur in vno potiùs quàm in alio consurgeret: illud autem est fundamentum, vt visum est numero 29.

Secundò: relatio realis habet realem entitatem, ergo eam accipit ab aliquo reali: quod reale est ipsum fundamentum, cùm sit causa ipsi subjecto vt referatur, vt patet ex descriptione fundamenti, eodem numero assignata.

Denique ex probabili sententia relatio non distinguitur reipsa à suo fundamento: ergo si relatio est realis, fundamentum non potest non esse reale.

Dices: paternitas, & filiatio in diuinis sunt relationes reales, & tamen non habent fundamentum reale: ergo hæc conditio non est necessaria.

Respondeo: in creatis esse necessariam; quia cùm sint accidentia, indigent reali fundamento, in quo subsistant: in diuinis autem necessaria non est, quia sunt personales, & per se subsistentes: tamen secundùm nostrum modum intelligendi, vel significandi, paternitas fundatur in generatione actiua, & filiatio in passiua: quia licet generare, & generari sint idem, quod paternitas, & filiatio: non significantur per modum relationis, sed per modum actionis, & passionis. Lege Ferrariensem 4. contra gent. c. 11. ante conclusionem 13. Capreolum, & alios.

33. Quæres secundò, vtrum fundamentum reipsa distinguatur à subjecto relationis? Respondeo, aliquando distingui, aliquando non. Si

enim sermo sit de subjecto remoto, hoc est, substantia, clarum est omne relationis fundamentum, quod est proprium, & Physicum accidens, cujusmodi est albedo respectu similitudinis, quantitas respectu æqualitatis, distingui ex parte rei à substantia.

Si autem sermo sit de subjecto proximo, cui inest relatio, non apparet cur debeat poni fundamentum ab illo ex natura rei distinctum: & ita quantitas, quæ est proximum subjectum relationis æqualitatis, quando est separata in venerabili Eucharistia, rectè denominatur æqualis alteri quantitati, neque potest assignari aliud fundamentum talis relationis præter ipsam quantitatem: & si assignetur, in eo erit relatio, vt in proximo subjecto, alioquin daretur progressus in infinitum.

Vnde idem dicetur subjectum quatenus est id cui inest relatio, seu quatenus denominatur à relatione: fundamentum verò, quatenus est sibi causa talis denominationis, vel quatenus naturali suâ conditione sufficientem habet rationem, ob quam relatio resultet posito termino.

34. Quæres tertiò, vtrum substantia possit esse fundamentum proximum, & immediatum relationis prædicamentalis? Respondeo aliquos asserere ipsam posse esse fundamentum proximum, & immediatum relationis realis transcendentalis, sed non prædicamentalis: alios verò tantùm relationis rationis: nihilominùs.

Existimo partem affirmantem esse veram: eam tenet Diuus Thomas q. 7. de potentia, art. 9. ad 4. Caietanus 1. p. q. 28. art. 1. ad 2. Ferrar. 4. cont. gent. c. 14. circa medium. Soncinas 5. metaph. q. 35. Iauellus q. 21. & 22. Suares disp. 47. sect. 7. Complutenses disp. 14. Logicæ num. 43. & alij.

Probatur primò, quia tanta est conuenientia inter duas substantias specificas, vt inter naturam humanam Petri, & naturam humanam Pauli, quanta inter duas quantitates, aut duas qualitates ejusdem speciei, vt inter hanc, & illam albedinem: sed duæ quantitates, & duæ qualitates sunt fundamenta proxima relationum realium prædicamentalium; ergo & duæ substantiæ eiusdem speciei poterunt esse fundamentum realis relationis prædicamentalis, qualis est relatio identitatis specificæ, vel specificæ diuersitatis. Quocumque enim alio sublato, & antequam concipiatur substantia affici aliquo alio accidente, intelligitur eadem, vel diuersa specificè ab alia per suum genus, & differentiam, & consequenter proximum fundamentum hujusmodi relationum.

Probatur secundò, quia effectus substantialis, immediatè per suam substantiam terminat generationem substantialem, per quam procedit à sua causa efficiente, vt notum est: ergo immediatè per suam substantiam fundat relationem effectus ad causam. Licet enim cogitari possit in effectu potentia passiua, vt generetur; non est tamen aliquid distinctum ab ejus substantia. Manifestè etiam patet in relatione filij ad patrem, quæ remanet transactâ generatione actiuâ, & passiuâ: & consequenter non

potest aliquid assignari præter substantiam filij, quod sit causa illius, ideoque immediatè fundari debet in ejus substantia: siue sit accidens eius Physicum, siue solâ ratione ab illa distinctum.

35. Quæres quartò, vtrum vna relatio possit esse fundamentum alterius relationis realis? pro parte negatiua citatur Diuus Thomas 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. & q. 45. art. 3. ad 2. Soncinas 5. metaph. q. 29. Ferrariensis 4. contra gent. c. 11. ad 12. conclusionem sub finem, eamque expressè tenent Complutenses disput. 14. de relatione, num. 31. Partem verò affirmatiuam sustinet Scotus in 2. dist. 1. q. 4. num. 23. & lib. 4. d. 6. q. 10. num. 5. Lychetus ibidem, Ant. Andræas 5. metaph. q. 13. & alij.

Vtraque hæc sententia probabilis est in bono sensu, pro cujus intelligentia nota relationem aliquam posse dupliciter spectari, primò quatenus est formalis ratio referendi vnum relatiuum ad aliud; vt paternitas, quatenus est formalis ratio referendi patrem ad filium; seu forma, & id quo pater respicit filium: quomodo dicitur spectari formaliter. Secundò potest spectari materialiter, & vt id, quod refertur ad aliud, cui est simile, vel dissimile: vt paternitas, quatenus ad aliam ejusdem speciei paternitatem comparatur.

36. Prima ratio essentialiter conuenit omni relationi prædicamentali, per se, & intrinsecè, & non per aliam relationem. Nam ratio, & effectus formalis paternitatis est referre patrem ad filium, quia relatio id ipsum, quod est, ad aliud est, vt patet ex eius definitione: & ideo sicut albedo, quia est formalis ratio albi, non potest fieri alba per aliam albedinem; & quantitas, quia per se est extensio, non extenditur per aliquid aliud: ita relatio hoc modo sumpta non refertur per aliam relationem, sed seipsâ, alioquin esset accidentaliter ratio referendi, quia non per se.

Ratio verò relationis sumptæ secundo modo; quatenus scilicet est id, quod ad aliam relationem refertur, vt paternitas ad paternitatem, est multùm diuersa à prima, tum per se; tum ratione termini; tum ex parte rationis fundandi: per se quidem, quia est omninò accidentalis paternitati, & cuiuis alteri relationi: si enim non esset alia paternitas, non referretur ad illam relatione similitudinis, seu identitatis, aut quâuis aliâ.

Ratione autem termini, quia terminus paternitatis primo modo sumptæ est filius; & ratio fundandi est generatio: sumptæ verò secundo modo terminus est alia paternitas; & ratio fundandi est vnitas, seu identitas naturæ specificæ inter vtramque paternitatem. Item terminus paternitatis primo modo sumptæ, requiritur quasi intrinsecè, & essentialiter; sumptæ verò secundo modo terminus est illi extrinsecus, & omninò accidentalis, vt patet. His præmissis.

37. Prima sententia sic probatur primò: relatio est essentialiter relatio, quia id ipsum quod est, ad aliud est: ergo seipsâ refertur, & non per aliam relationem: sicut actio, quia est essentialiter actio, non fit mediâ aliâ

actione, nec motus alio motu: & ita nullo modo potest esse fundamentum alterius relationis. Hanc rationem habet Diuus Thomas 1. p. q. 45. a. 3. ad 2. & q. 7. de potentia, a. 9. ad 2.

Respondeo hoc argumentum verum esse de relatione sumptâ primo modo, quatenus tendit ad proprium terminum, & ad relationem oppositam: non verò de relatione sumptâ secundo modo: vt sic enim non est essentialiter relatio, seu essentialiter non est ad aliud, imò tantùm accidentaliter, vt ostensum est, & ideò indiget relatione superadditâ, vt possit respicere aliam relationem, non secùs ac quoduis aliud relatiuum indiget relatione superadditâ, ad respiciendum correlatiuum. Nec aliud videtur velle Diuus Thomas, vt patet q. 42. primæ partis a. 1. ad 4. vbi hæc habet; *Neque iterum vna relatio refertur ad aliam relationem: cùm enim dicimus quòd paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem.* Vbi comparat paternitatem cum relatione opposita, non verò cum alia paternitate.

38. Probatur secundò: quia si vna relatio fundaret aliam relationem, daretur processus in infinitum, & in vna relatione essent infinitæ relationes. Sicut enim vna paternitas fundat relationem similitudinis cum alia paternitate: sic ista similitudo fundat aliam, per quam similis est vel dissimilis alijs relationibus: & rursus illa tertia fundat quartam; & sic absque termino. Quod est valde absurdum.

Respondeo primò, hujusmodi processum infinitum posse admitti in relationibus: imò hoc probatur tum à simili infinitate, quæ reperitur in partibus proportionalibus quantitatis continuæ: tum ex eo quòd hujusmodi partes sunt inter se inæquales, atque minores, & minores in infinitum, & consequenter possint omnes dici referri inter se relatione reali inæqualitatis. Vnde Aristoteles, & philosophi cum eo negant tantùm processum infinitum in causis *à parte ante*, ita vt non deueniatur ad vnam primam, à qua cætera omnia pendeant, vt patet 2. metaph. c. 2. secùs in effectibus, quibus vna prima causa assignatur.

39. Respondeo secundò ex Scoto, loco citato secundi sent. non dari processum infinitum in relationibus; sed sisti debere in ijs, quæ necessariò sunt ejusdem denominationis cum ea, quam fundamento suo tribuunt. Vt in dato exemplo similitudinis, quâ vna paternitas est alteri similis: hujusmodi enim similitudo superaddita paternitati, est similis alteri similitudini, sibi respondenti, per seipsam, & non per aliam similitudinem: quia, cùm effectus formalis similitudinis sit facere simile, ipsa nomen, & rationem talis effectus intrinsecè participat, & consequenter ipsa est per se similis, non per aliam: sicut quantitas est quanta, & extensa per se, non per aliam quantitatem, quia eius effectus formalis est facere quantum, seu extensum.

Deinde hæc responsio dilucidatur ex responsione datâ ad primum argumentum: quia quando vna paternitas aliam similem respicit per relatio-

nem similitudinis; tunc ipsa similitudo est ratio referendi, & tendit ad proprium terminum, & ad relationem oppositam: ideoque idipsum quod est, ad aliud est; hoc est, seipsâ essentialiter est relatio ad aliam similitudinem: propter quod cessat processus in infinitum. Idemque dicendum est de alia relatione, seu denominatione, quâ dicitur diuersa, & dissimilis alijs relationibus.

40. Secunda sententia probatur argumento, quod dedimus numero 34. pro substantia. Non est enim minor conuenientia inter duas paternitates, quam inter duas albedines, aut duas substantias: imò est ejusdem rationis, quia vtrobique est vnitas formalis specifica pro fundamento talis conuenientiæ. Ergo sicut datur realis relatio inter duas albedines, & duas substantias: ita debet dari vera, & realis relatio inter duas paternitates, & quasuis alias relationes ejusdem naturæ specificæ: & consequenter vna relatio est fundamentum alterius relationis.

Respondeo primò, probabiliter ostensum esse argumentis alterius sententiæ non posse vnam relationem esse fundamentum alterius, ne detur progressus in infinitum: & ideò licet vna paternitas sit similis alteri in natura specifica, non est similis per relationem superadditam, sed per seipsam, quia sublato quocunque alio intelligitur esse ejusdem naturæ cum ea, & diuersæ naturæ ab alijs: ideoque simul est *quo*, & *quod*, seu ratio referendi patrem ad filium; & forma, quæ refertur ad formam oppositam similem, seu ejusdem naturæ.

Respondeo secundò vnam relationem esse fundamentum alterius à se distinctæ, non ex natura rei, sed solâ ratione ratiocinatâ. Cùm enim tunc sint diuersi termini, & diuersæ rationes fundandi, vt explicui numero 36. sufficiens est fundamentum distinguendi eandem rem in duas formalitates, quarum vna dicatur id, quo aliud refertur; & altera id quod ad aliud refertur: & ita vna relatio secundùm rationem fundabit aliam; realem quidem, sed non ex parte rei distinctam. Et hoc innuit Caietanus citata q. 42. art. 1. ad 4. vbi cùm ex dicto Thoma ad relationem realem duas conditiones requirat, scilicet distinctionem fundamentorum, & ne vna fundetur super alia, ait, *secunda conditio non facit relationes non esse reales, sed facit eas non esse alias à fundamentis.*

41. Probatur secundò ex Mathematica, secundùm quam vna relatio fundatur in alia. Nam proportio est comparatio, seu habitudo duarum quantitatum, vt inter duo, & quatuor, inter quæ est proportio dupla: proportionalitas autem est comparatio, & similitudo proportionum, qualis est inter quatuor istos numeros 2. 4. 6. 12. vt enim se habent quatuor ad duo, ita se habent duodecim ad sex, quia vtrobique est proportio dupla; & ita proportionalitas, quæ est relatio, fundatur in proportione, quæ est etiam relatio, vt patet.

Respondeo concedendo proportionalitatem esse relationem, fundatam in proportione, sed dico eam distinctam esse solâ ratione ratiocinatâ à

proportione, vt diximus in secunda solutione primi: non verò ex natura rei, alioquin daretur progressus in infinitum.

Dicunt aliqui relationem esse adeò infimæ notæ, & tam paruæ entitatis, vt non possit esse fundamentum relationis à se distinctæ. Et ita nihil vetat dicere de qualibet quod Scotus in 4. d. 6. q. 10. n. 6. ait, *aliqua est relatio vltima, in qua non potest fundari alia realis, sicut aliquod est accidens ita vltimum in entibus, quod non potest vlterius esse subiectum alicuius accidentis.*

SECTIO VII.

De ratione fundandi relationem.

42. QVAMVIS fundamentum relationis sit causa subjecto, vt referatur ad terminum, vt explicuimus numero 29. sæpe tamen non sufficit, vt actuali relatione referatur; sed requiritur adhuc ratio fundandi, quam ob id multi vocant fundamentum proximum: illud vero de quo hactenus egimus, fundamentum remotum: sed quidquid sit de modo loquendi.

Ratio fundandi est conditio quædam necessaria vt relatio resultet ex fundamento. Vnde licet per potentiam generandi, pater generet filium, aptusque reddatur, vt referatur ad filium: actualis tamen generatio est ratio fundandi, & conditio necessaria, vt actuali relatione filium respiciat. Potuisset quippe Deus eosdem duos homines, qui nunc ad se referuntur tanquam pater, & filius, per se solum immediatè creare, qui non referrentur hoc modo ad inuicem, ob defectum generationis vnius ab alio. Et ita generatio est ratio fundandi talem relationem, & conditio necessaria vt consequatur in fundamento. Non est tamen necesse huiusmodi rationem fundandi distingui realiter ab ipso: nam ratio fundandi similitudinem inter duo alba, est vnitas formalis vtriusque albedinis, quæ solâ ratione ratiocinatâ, aut ad summum formaliter ex natura rei distinguitur ab ipsis.

43. Omnes autem rationes fundandi in tria capita distinxit Aristoteles 5. metap. c. 15. & secundùm earum distinctionem, omnes relationum species, quæ ad istud prædicamentum pertinent, reuocantur ad tria genera. Quædam ergo dicuntur fundari in vnitate, & numero; quædam in actione & passione; & quædam in mensura, & mensurabilitate: vnde factum est vt juxta hunc ordinem relationes dicantur primi, secundi, vel tertij generis, siue modi.

Fateor Aristotelis verba vt sonant, non præ se ferre hunc sensum: ne-

que enim dixit quasdam relationes fundari in vnitate, & numero, &c. sed quædam relatiua dici secundum numerum, & vnitatem: quædam secundùm actiuam, & passiuam potentiam, & earum actiones: quædam denique ad aliquid dici, quia alia dicuntur ad ipsa, vt mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum. Vnde videtur tantùm velle reuocare ad certa quædam capita omnes relatiuorum modos: siue ipsa relatiua realia sint, siue tantùm relatiua dicantur secundùm nostrum loquendi, & intelligendi modum. Nam multa affert exempla, quæ non continent relationem realem, vt ea, quæ denominantur secundùm priuationem potentiæ, nimirùm impossibile, inuisibile: & ea quæ donominantur ab actione futura, vt id quod facturum est ad id quod faciendum est.

Nihilominùs, quamuis hæc ita sint, possunt suprà dicta relatiuorum genera ex illo capite elici, ita vt nullæ possint assignari relationes reales prædicamentales, quæ in eorum aliquo non contineantur; & ita tenent communiter authores, D. Thomas 5. metap. lect. 17. & 1. p. q. 13. ar. 7. & q. 28. a. 4. Caiet. ibidem: Ferrariensis 2. contra gent. c. 11. & 12. Scotus in 1. d. 3. q. 5. num. 2. & d. 30. q. 2. n. 9. & d. 35. q. vnicâ, numero 9. aliique Theologi & Philosophi.

DE RELATIONIBVS PRIMI GENERIS.

44. RELATIONES itaque primi generis dicuntur fundari in vnitate, & numero: in numero quidem omnes illæ, quæ ex vna saltem parte habent aliquem numerum pro ratione fundandi, vt sunt omnes proportiones numerorum inter se, aut ipsorum ad vnitatem: sic duplum dicitur duplum ad vnum, aut ad dimidium: triplum ad tertiam partem: multiplex ad multiplicati partem; excedens ad excessum, &c ita habet Aristoteles citato capite.

In vnitate verò fundantur relationes, quæ in extremis supponunt participationem eiusdem naturæ, seu formæ: vnde Aristoteles ibidem ait, *eadem sunt quorum substantia est vna: similia vero quorum qualitas vna: æqualia autem quorum quantitas vna.* Et ita in hoc genere ponuntur relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis: identitatis quidem inter duo eiusdem substantiæ, hoc est essentiæ specificæ, vel genericæ: sic enim debet hic accipi nomen substantiæ non secùs ac in definitione æquiuocorum, & vniuocorum, vt ibi explicuimus numero 6. vnde cùm inter res singulorum prædicamentorum reperiri possit vnitas formalis specifica, vel generica, vt inter duas substantias; duas quantitates; duas qualitates; duas actiones; duo vbi, &c. consequenter inter eas reperiri potest relatio identitatis, vt ait D. Th. 1. p. q. 28. art. 1 ad 2. his

verbis, *relatio, quæ importatur per hoc nomen idem est relatio rationis tantùm. si accipiatur simpliciter idem; secus autem est cùm dicuntur aliqua eadem esse non in numero, sed in natura generis, siue speciei.* Relatio vero similitudinis reperitur inter duo habentia eandem qualitatem, vt inter duo alba; æqualitatis denique inter duo habentia eandem quantitatem quoad extensionem, vt inter duo quanta bipalmaria. Aliqui tamen philosophi volunt propriam relationem similitudinis fundari in vnitate intensionis, seu graduum qualitatis, qualis est inter duas albedines in quarto gradu. Hanc autem alij, vt Iauellus 5. Metaph. q. 21. & Cajet. 1. p. q. 42. a. 1. ad 2. vocant æqualitatem. Vnde per quantitatem in dicto Aristotelis textu intelligunt, non solùm quod est quantitas secundùm rem, sed etiam quod habet modum, & imitationem quantitatis. Idem habet Scotus in 4. d. 6. q. 10. num. 5.

45. In hoc eodem genere ponuntur relationes supra dictis oppositæ, nimirùm relatio distinctionis, seu diuersitatis; inæqualitatis; dissimilitudinis; distantiæ; &c. itaut diuersa sint quorum substantia, seu essentia non est vna, hoc est ejusdem speciei, vt Petrus, & Bucephalus: dissimilia verò quorum est diuersa qualitas, vt album, & nigrum, & sic de alijs.

Est autem dubitatio vtrum istæ posteriores relationes dici debeant fundari in vnitate, vel in numero. Iauellus 5. Metaph. q. 21. sub finem, Suarez disp. 47. Metaph. sect. 10. num. 2. & sect. 11. num. 3. cum alijs dicunt eas fundari in numero: itaut substantia quatenus vna est specie, fundet relationem identitatis; vt plures verò, fundet relationem diuersitatis: & sic istæ relationes fundantur in essentijs quatenus secundùm vnitates formales sunt essentialiter plures. Vnde numerus, & vnitas non debēt hic sumi in rigore pro solis quātitatiuis, seu prout inter solas quantitates reperiuntur, sed pro rerum quarumcumque multitudine, aut vnitate.

Complutenses autem q. 4. numero 30. volunt tales relationes aptiùs dici fundari in vnitate quatenus est principium numeri: quia non potest dici relatio fundari in numero, nisi ex parte vnius saltem extremi reperiatur numerus pro ratione fundandi: & si sola extremorum multitudo sufficeret, omnis relatio diceretur fundari in numero, quia exigit extrema distincta. Neque etiam sufficit diuersitas extremorum, quia hæc reperitur etiam in relationibus secundi, & tertij generis, vt patebit.

Quare priores relationes fundantur in vnitate, vt supponit principium conueniendi inter extrema, & prout in eo vnum sunt: posteriores verò fundantur in vnitate, quatenùs est principium numeri, quiā in extremis attenditur id, in quo differunt, & sunt plura. Vterque hic Philosophandi modus probabilis est, postremus videtur rationabilior. Quomodo autem hujus generis relationum fundamentum reale sit, vide quæ de vnitate diximus q. 3. libri secundi.

De relationibus

DE RELATIONIBVS SECVNDI GENERIS.

46. RELATIONES secundi generis dicuntur fundari in actione, & passione, siue præsenti, siue præterita, siue futura iuxta triplicem temporis differentiam. Quæ autem fundantur in actione, & passione futura, vt inter calefacturum, & calefaciendum, non sunt reales prædicamentales, quia nec terminus existit, nec adest ratio fundandi. Quod magis patebit dum agemus de termino.

In alijs verò reperiuntur omnia ad relationem realem fundandam necessaria: quamuis Auersa cum alijs neget hoc secundùm relationum prædicamentalium genus, eoquòd, inquit, ad explicandas relationes quæ dicuntur in actione fundari, sufficit denominatio ab actione petita: dicitur enim pater, quia genuit, & filius, quia genitus est: & ita relatio paternitatis, & filiationis sufficienter saluatur per denominationem sumptam à generatione actiua, & passiua, quæ cum non pertineant ad istud prædicamentum, sed ad prædicamentum actionis, & passionis, nihil cogit admittere istud genus relationum.

Verùm, licet dicatur pater quia genuit; tamen generatio non est formalis denominatio patris: sed causalis, quia scilicet est causa, & ratio fundandi paternitatem, quæ formaliter denominat patrem. Vnde idem non est patrem esse, & genuisse, quia genuisse, est denominatio extrinseca, maximè si actio non recipiatur in agente: & insuper vera est mortuo filio: altera verò est intrinseca, sumpta à paternitate existente in patre, & non durat mortuo filio.

47. Cæterum quamuis Aristoteles hic solùm mentionem fecerit relationis fundatæ in causalitate causæ efficientis, quia hæc notior est: ad hanc tamen reuocantur omnes relationes quatuor causarum physicarum, materialis, formalis, efficientis, & finalis, earumque effectuum, quia in illis reperitur proprius causandi modus, quo effectus ab eis dependent. Relatio tamen causæ materialis, & formalis dicitur ab aliquibus pertinere ad primum genus, quatenus fundatur in vnione, quæ est quædam vnitas: sicut identitas specifica est quædam vnio multorum in eadem natura.

Huc spectant etiam relationes fundatæ in quacumque potentia, seu virtute actiua, & passiua; si nimirum sint ejusdem ordinis, vt fiat abstractio à Deo, & realiter existant; maxime si virtus actiua sit per se ordinata ad agendum in passiuam, & passiua ad patiendum ad actiua, quia talis ordo transcendentalis est fundamentum proximum se se mutuò respiciendi relatione prædicamentali, à transcendentali distincta, quamuis multi

solâ transcedentali contenti sint non improbabiliter. Quia verò ista relatio non respicit effectum, sed potentiam passiuam, nec sequitur virtutem agendi, quatenus est sub actione, sed præcisè quatenus est virtus actiua; ideo differt à relatione, quæ in actione fundatur.

48. Quæres, vtrum actio, quæ est ratio fundandi relationes huius generis, debeat perpetuò existere, ad hoc vt relatio in eo fundata, conseruetur in subjecto, sicut fuit necessaria, vt in eo resultaret?

Respondeo non esse opus, contra aliquos existimantes duplicem interuenire relationem inter causam, & effectum; alteram quidem dum causa actu agit; actione verò transactâ resultare alteram cessante priori. Probatur responsio primò, quia transactâ actione denominatio relatiua durat: pater enim denominatur pater, & filius denominatur filius post generationem: ergo licet actio necessaria sit in fieri ipsius relationis; non est tamen necessaria in facto esse.

Præterea: si relatio non durat, nisi quantùm durat actio, non poterit assignari ratio fundandi, vnde alia resultet, actione transactâ: non quidem ipsa desitio, & cessatio actionis, quia non ens non potest esse fundamentum relationis realis: neque item ipsa actio vt præterita, quia vt existens, habuisse supponitur relationem præsentem, sibi respondentem, & proportionatam: vt præterita verò nihil nisi negationem dicit, quæ non potest esse ratio fundandi relationem realem, vt patet.

Tertiò: ideò filius refertur ad patrem, quia ab eo genitus est, & ab eo suum esse accepit: at transactâ generatione verum semper est filium accepisse esse à patre: ergo transactâ actione remanet relatio effectus ad causam, & causæ ad effectum: hæc autem est prima relatio, quæ in instanti productionis resultauit, vt constat

Quartò: vanum est prorsus dicere Beatam Virginem in primo instanti quo Christum concepit, respexisse illum relatione maternitatis diuersâ ab ea, quâ postea ad illum referebatur.

49. Obijcies: ibi interueniunt diuersæ denominationes relatiuæ, vna, quâ causa dicitur actu agens, altera, quâ dicitur egisse: ergo duplex debet interuenire relatio.

Deinde: non est major ratio cur in hoc genere sublatâ ratione fundandi remaneat relatio, quàm in alijs: at in primo genere sublatâ ratione fundandi, *v.g.* sublatâ vnitate graduum inter duas albedines, perit prior similitudo: ergo in isto euanescente actione prior euanescet relatio.

Respondeo ad primum, negando consequentiam: sicut enim ad duas illas denominationes sufficit vnica actio, spectata nunc vt præsens, modò vt præterita: ita ad denominandum patrem sufficit vnica paternitas, spectata in fieri, & in facto esse: vel si mauis spectata absolutè in se, quia ordinat patrem ad filium, abstrahendo ab eo quòd actio, in qua fundatur, existat, vel non existat; sit præsens, vel præterita.

50. Respondeo ad secundum, negando majorem: ratio disparitatis

est, quia non potest tolli ratio fundandi primi generis, quin destruatur aut omninò, aut aliqua ex parte fundamentum relationis. Destructâ enim vnitate formali inter duas essentias, destruitur ipsa essentia: destructâ vnitate extensionis in quantitate, aut intensionis in qualitate, quantitas, & qualitas variantur, aut subeunt incrementum, & decrementum: at desinente generatione, integrum manet fundamentum paternitatis, siue illud dicatur esse potentia generandi, siue ipsa substantia patris. Quo fit vt relatio patris non pendeat ab actione in conseruari, sed à fundamento, & termino: sicut relatio discipuli, & magistri non pendet à continuo actu docendi, & discendi, sed sufficit vt seruetur doctrina, à magistro accepta. Vnde non oportet vt relatio inhæreat isti rationi fundandi, quamuis concederetur inhærere rationi fundandi in alijs generibus: sed sufficit vt sit ratio cur relatio resultet, aut inhæreat fundamento.

DE RELATIONIBVS TERTII GENERIS.

51. RELATIONES tertij generis dicuntur fundari in mensura, & mensurabilitate: reperiuntur autem in quibusdam rebus, quæ transcendentalem habitudinem dicunt ad res alias, quibus coaptantur, & commensurantur in sua perfectione tanquam regulæ, & mensuræ extrinsecæ: vnde in re mensurata est quædam dependentia à re mensurante, saltem in genere causæ, quasi exemplaris: in qua dependentia, & habitudine transcendentali fundatur relatio realis prædicamentalis. Hoc modo scientia mensuratur ab objecto scibili, secundùm perfectionem; iudicium ab objecto cognoscibili, secundùm veritatem; creatura in suo esse ab idea diuina: perfectio amoris ab objecto amabili; & sic de similibus potentijs, habitibus, & actibus.

52. Multi tamen non improbabiliter negant relationem prædicamentalem resultare, quia scientia v. g. eodem modo se habet respectu objecti existentis, & non existentis, cum non exigat per se illud existens: sed non habet relationem prædicamentalem ad non existens; ergo neque ad existens. Alij vtramque ponunt, dicentes per vnam compleri essentiam habitus, scientiæ &c. eamque rem sequi vt est in se, & per eam respici objectum sub ratione scibilis, cognoscibilis &c. altera verò non pertinet ad essentiam scientiæ, nec eam sequitur vt in se est, sed vt commensuratur, & adæquatur objecto; ita vt non extendatur latiùs, nec aliquid objecti non consideret: & ita objectum respicit sub ratione mensuræ. Vnde ista est prædicamentalis, altera transcendentalis.

Est autem aduertendum, mensuram hic non sumi in ordine ad nostram cognitionem, quatenus per applicationem mensuræ deuenimus in no-

titiam quantitatis, siue molis, siue perfectionis rei: quomodo comparando potentiam visiuam, & auditiuam ad objecta, cognoscimus esse potentias diuersas, & illam istâ perfectiorem, quia lux quæ est objectum visiuæ, perfectior est qualitas, quàm sonus: vt sic enim est tantùm extrinseca denominatio. Sumi ergo debet mensura pro termino, vel objecto, cui res intrinsecè coaptatur, & commensuratur ob proportionem, vel dependentiam, aut specificationem, quam ab eo accipit, vt patet in exemplis allatis.

53. Aduertendum est etiam relationes hujus generis non esse mutuas; sed tantùm consurgere ex parte rerum mensuratarum, non verò ex parte mensuræ: quod patet ex Aristotele hic, vbi ait, in hoc genere vnum relatiuum esse ad aliud: quia id ipsum quod est, ad aliud est: alterùm verò, quod ipsi correspondet, dici ad aliud, non quia sit ad aliud, relatione nimirùm sibi inhærente; sed quia aliud est ad ipsum. Et ita potentiæ, habitus, & actus ordinantur ad objecta sua, reali habitudine; non verò objecta ad potentias, habitus, vel actus. Cuius ratio est, quia tunc objectum consideratur solùm vt id, cui res alia commensuratur; vt sic autem non spectatur vt ordinabile ad aliud; sed vt id, ad quod aliud ordinatur.

Deinde ratio fundandi relationem huius generis, est perfectio cuiusque rei, vt mensurabilis ab alia, à qua dependet vt à regula, & mensura suæ perfectionis, modo explicato: quod autem est talis regula, & mensura, non dependet vt sic, à regulato, & mensurato, vt patet; ideoque non consurgit in eo relatio realis.

Ex quibus liquidò constat relationes hujus tertij generis, esse valde diuersas à relationibus primi, & secundi: quandoquidem fundamentum relationis hujus tertij generis, est talis naturæ, vt relationem in vno tantùm extremo fundare possit, saltem intrinsecam: in alijs verò relationes mutuæ sunt, aut si non sint, hoc non prouenit ex intrinseca, & formali ratione sui fundamenti, aut rationis fundandi; sed ex conditione materiali, & natura particulari vnius extremi, vt inter Deum, & creaturas; inter Christum, & Beatam Virginem ex Diuo Thoma, &c.

SECTIO VIII.

An relatio prædicamentalis distinguatur ex parte rei à suo proximo fundamento.

54. PLVRES circa præsentem quæstionem sententias inuenio; sed duæ sunt præcipuæ. Prima absolutè asserit relationem prædicamentalem distingui ex parte rei à suo fundamento proximo; quam distinctionem alij volunt esse realem inter rem, & rem; alij veluti modalem; alij formalem modali majorem. Verùm nos absolutè quæstionem disputabimus de distinctione actuali ex parte rei, quia ex argumentis, & eorum solutione facilè quiuis intelliget, quo nomine vocanda sit. Hanc autem sententiam tenent Scotus in 2. d. 1. q. 4. Cajetanus 1. p. q. 28. a. 2. Ferrariensis 4. contra gentiles c. 14. post responsionem ad nonam: Sotus hoc capite q. 2. Masius sect. 2. q. 2. Complutenses q. 5. Alijque antiqui, & recentiores, inter quos de mente Diui Thomæ controuertitur de qua vide infra num. 81.

Secunda sententia tenet relationem prædicamentalem, solâ ratione ratiocinatâ à proximo fundamento esse distinctam. Ita Durandus in 1. d. 30. q. 2. numero 17. Ocham d. 30. & 31. q. 1. Gregorius Arim. d. 28. q. 2. a. 2. Suarez disp. 47. Metaph. sect. 2. Alijque non pauci. Vtraque sententia probabilis est, & vt sic à nobis proponenda more solito.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Relationem solâ ratione distingui à fundamento.

55. PRIMVM argumentum ad probandum relationem prædicamentalem solâ mentis consideratione distingui à suo proximo fundamento, petitur ex authoritate Aristotelis, qui ait 5. Physic. c. 2. text. 10, ad relationem non dari motum; sed ipsam aduenire vni extremo absque vlla ejus mutatione, altero solùm extremo mutato. V. g. dum Petrus albus, fit similis Paulo recenter dealbato, talis noua similitudo aduenit Petro, nullâ circa ipsum causâ operante: sed solus Paulus mutatur, dum de non albo fit albus. Ergo talis similitudo noua, non potest esse aliqua forma distincta ex parte rei à Petro albo,

quia sic Petrus mutaretur. Non potest enim fieri vt aliqua forma realis de nouo adueniat alicui subjecto, quin subjectum aliter se habeat, ac antea, & consequenter mutetur.

Adde quòd nihil posset de nouo produci, nihil de nouo moueri, ne musca quidem volare, quin totus mutaretur orbis, & rebus omnibus, cœlo, terra, marique; ipsis etiam beatis noua aliqua entitas accederet: nulla quippe tunc res esset, quæ ad productionem, aut mutationem alterius non fieret similis, aut dissimilis; major, aut minor; propinquior, aut remotior. Quæ omnia sunt plusquàm absurda.

Respondet ad primum Bannez 1. p. q. 13. a. 7. ad 1. primæ sententiæ Aristotelem, dum negat subjectum mutari aduentu relationis, intelligere de mutatione absolutâ, non verò de relatiua. Eodem recidit responsio Simplicij super prædicam. nimirum quòd sicut relatio non est forma ad se, sed ad alterum, ita ille cui aduenit, non mutatur ad se, sed ad aliud. Sed hæc solutio videtur esse petitio principij; non secùs ac si diceret Aristoteles, quando relatio aduenit subiecto, subiectum non mutatur receptione alicuius absoluti, sed receptione alicuius relatiui.

Respondet Ferrariensis suprà, & alij, Aristotelem tantùm velle ad relationem non dari motum proprium, & physicum, qui ad tria solùm prædicamenta terminatur, nempe quantitatem, qualitatem, & vbi: quique inter terminum *à quo, & ad quem*, exigit contrarietatem quandam, seu latitudinem, & distantiam, vel extensiuam, vel intensiuam, vel spatij: non negare autem dari ad relationem motum improprium, & metaphysicum, qui est quædam simplex emanatio, & resultantia, per quam relatio pullulat in fundamento ex positione termini.

56. Et hanc solutionem innuit Aristoteles textu 18. vbi sic ait: *cùm autem neque in substantia, neque in relatione, neque in actione, passioneue sit motus; restat in qualitate, quantitate, & vbi tantummodo motum esse: in vnoquoque enim istorum contrarietas est.* Quæ ratio indicat non esse motum in relatione, quia non sit ei aliquid contrarium. Eodem modo respondet Scotus in 2. d. 1. q. 4. numero 15. in fine. Nam *Philosophus ibi ostendit*, inquit, *quòd in substantia non est motus, & tamen ibi est mutatio: ergo ex intentione Philosophi non potest haberi nisi quòd in ad aliquid non sit motus; cum quo tamen stat quòd ibi sit mutatio.*

Respondeo denique solutionem contineri in ipso Aristotelis textu. Non enim ait nullum dari motum ad relationem; sed non dari motum per se: ideoque subiungit: *quare motus ipsorum per accidens est.* Indicans relationem mutatione aliquâ produci; at non per se, & ex intentione alicuius causæ extrinsecæ; sed per accidens, ad productionem noui termini. Dum enim quis dealbat parietem, intendit tantùm facere ipsum album, nihil curans de similitudine, quæ resultat in ipso, vel in alio: & ita fundamentum, vel subiectum mutatur per accidens aduentu rela-

tionis. Hanc solutionem indicat D. Thomas 2. contra gent. c. 12. ratione 4. & q. 7. de potentia, art. 8. ad 5.

Ad aliud dico, nullum in hoc esse absurdum: quia talis est natura causarum necessariarum, vt positis ad agendum requisitis agant. Vnde quotiescumque aptum erit fundamentum, debitaque ratio fundandi, resultabit relatio in omnibus subiectis proportionatis, quot quot fuerint.

57. Secundum argumentum. Nulla datur causa productiua relationis: ergo relatio non potest esse aliquod ens de nouo adueniens fundamento, quia nullum ens reale incipit esse in rerum natura, sine aliqua causa effectiua. Probatur antecedens, quia talis causa esset vel terminus, vel fundamentum, vel ille qui terminum producit Verbi gratia, dum paries albus existens Parisiis, fit de nouo similis parieti recenter dealbato in India, causa productiua similitudinis in pariete Parisijs existente, non potest esse alia, nisi paries ipse Parisiorum, vel paries Indiæ, vel qui parietem Indiæ recenter dealbauit. Nullum autem istorum legitimè assignatur: non quidem paries Indiæ, vel qui eum dealbauit, quia nequeunt in tantam agere distantiam: neque etiam paries ipse Parisiorum, quia nihil est quod ipsum determinare possit ad producendam in se talem similitudinem, quam antea non producebat.

Respondeo, fundamentum ipsum esse causam productiuam relationis in seipso statim ac terminus ponitur; ad quam productionem non indiget vllâ præuiâ determinatione ab extrinseco, nisi forsan à Deo: sed sponte, & naturali impetu in eam prorumpit, non secùs ac aliæ causæ necessariæ positis debitis conditionibus. Vnde posito termino, tanquam conditione *sine qua non*, vel quasi obiecto specificante, sine quo relatio esse non potest, fundamentum ipsum exigit concursum à Deo ad producendam in se relationem, eamque conseruandam quamdiu terminus conseruabitur, eo modo quo grauitas lapidis producit in eo motum deorsum, abciso fune suspẽdente, & quo humanitas Christi produceret in se naturalem, & humanã subsistentiam, si à verbo, à quo impedita est, dimitteretur.

58. Tertium argumentum. Impossibile est quòd duo alba in quarto gradu, non sint similia: ergo similitudo, & quæuis alia relatio, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia, non potest esse realiter à fundamento distincta. Antecedens est per se manifestum. Probatur consequens. Si enim relatio est forma aliqua de nouo adueniens fundamento ex positione termini, potest Deus impedire ne resultet in fundamento, denegando concursum suum, ad eius productionem necessarium. Supposito ergo quòd Deus impediat resultantiam similitudinis distinctæ in vtroque albo, quæritur an illa duo alba sint similia? si sint similia: ergo per ipsas albedines, & non per aliquid superadditum similia erunt. Dicere autem quòd similia non sint, planè absurdum est, nec potest mente concipi: cùm nihil amplius valeat mens intelligere positâ illa similitudine distinctâ quàm eâ ablatâ.

Respondeo, aliquos philosophos, inter quos est Caietanus loco citato primæ partis, existimare, non posse relationem separari à fundamento, stante termino, propter intimam connexionem, quàm habet cum vtroque. Quod potest alijs similibus exemplis confirmari. Nam figura distinguitur ex parte rei à quantitate; & tamen non potest esse quantitas extensa, & finita siue figura. Totum distinguitur ex parte rei à partibus vnitis secundùm Scotistas; & tamen non potest non esse, si partes vnitæ remaneant. Suppositò tamen quòd Deus possit impedire resultantiam huiusmodi similitudinis, quod mihi probabilius apparet.

Respondeo secundò, duo hujusmodi alba non fore similia formaliter, sed tantùm fundamentaliter, quatenus sublato miraculo, formalem similitudinem in seipsis producerent: quemadmodum si Deus tolleret ab homine facultatem intellectiuam, vel risibilem, homo esset intellectiuus & risibilis fundamentaliter, non autem formaliter, quia deesset illi forma quædam ab illo emanans, ipsumque constituens formaliter intellectiuum, aut risibilem. Vnde patet nos aliquid amplius intelligere in parietibus albis, formaliter similibus, quam in solùm albis, modo similitudinem ipsam formalem penetremus. Item aliquid amplius intelligimus in Petro, vt patre Ioannis, quàm vt genitore Ioannis: esse quippe genitorem, est denominatio extrinseca, ab actione præterita dependens, & durans licet Ioannes mortuus sit: at esse patrem, est denominatio intrinseca relatiua, quæ perit mortuo filio.

59. Quartum argumentum. Relatio duplicitatis, per quam vna quantitas bipalmaris, dupla est ad quantitatem palmarem, non est à parte rei distincta ab ipsa quantitate bipalmari: ergo non est vniuersaliter verum relationem prædicamentalem distingui a suo fundamento. Probatur antecedens: si enim distincta est, quæro vtrum sit tota in qualibet parte quantitatis, vel solum pars in vna, & pars in altera; Si tota sit in qualibet parte: ergo quælibet pars quantitatis bipalmaris, erit dupla ad totam quantitatem palmarem, quo nihil absurdius Si autem pars sit in parte; idem sequitur quia partes duplicitatis sunt homogeneæ, eiusdemque rationis cum toto; vnde sicut quælibet pars albedinis est albedo, & dat esse album: ita quælibet pars duplicitatis est duplicatis, & debet dare esse duplum. Quod autem partes duplicitatis sint homogeneæ, probatur ex eo quòd duplicitas non habet extensionem, neque diuisibilitatem ex se, sed à quantitate; & ideo non potest aliter diuidi ac quantitas: sed quantitas diuiditur in partes homogeneas, ergo & duplicitas.

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico duplicitatem non esse totam in qualibet parte quantitatis, sed partem in parte: neque ideo quamlibet partem quantitatis bipalmaris esse duplam ad palmarem, quia duplicitas non sequitur quantitatem absolutè vt in se est, sed vt commensuratur, & proportionatur alteri: vnde variatâ illâ proportione, & commensuratione, sicut fit dum partes quantitatis ab inuicem diuiduntur

uiduntur, aut seperatim sumuntur, variatur quoque denominatio relatiua: atque adeò duplicitas non potest diuidi in partes, quæ sint ejusdem rationis cum toto, quæque dent esse duplum.

Ad probationem autem in contrarium, dicendum est neque ipsam quantitatem hoc modo diuidi quando relatiuè vsurpatur, aut induit rationem discreti. Nam quantitas bipalmaris non diuiditur in bipalmares, nec numerus quaternarius in quaternarios: secùs quando habet rationem continui; tunc enim diuiditur in partes ejusdem rationis, vt linea in lineas, sicut & ea, quæ habent diuisibilitatem à quantitate sic sumptâ, vt albedo in albedines, sicut rectè ait Ferrariensis 4. contra gentiles c. 14. satis ante finem.

60. Instabis primò: sublato quocunque modo, & formâ superadditâ in quantitate bipalmari, & palmari, intelligimus vnam esse alterâ formaliter majorem, illamque in extensione excedere: ergo nulla est solutio allata. Probatur antecedens, quia illud est formaliter majus, quod est formaliter magis extensum, & quod habet formaliter plures partes, quàm aliud: at quantitas bipalmaris est formaliter magis extensa, & habet per suam entitatem formaliter plures partes, quam palmaris; ergo per suammet entitatem est formaliter major, seu inæqualis: atque adeò relatio inæqualitatis superaddita est fictitia. Quod euidentius cernitur in quantitate discreta: nam ternarius numerus lapidum est major per seipsum binario, quia tres vnitates sunt seipsis plures quàm duæ.

Respondeo, positis duobus quantis, vno palmari, altero bipalmari, verum est vtrumque esse extensum suo modo per quantitatem suam: sed sistendo in sola quantitate, nunquam dicetur majus, vel minus; æquale vel inæquale, nisi fundamentaliter; eo quòd quantitas afficit, & extendit subjectum, in quo est, absolutè tantùm, æqualitas autem, & inæqualitas aliò refert. Nam si æquale, vel inæquale dicitur, debet dici æquale, vel inæquale alteri. Quare sublatâ relatione formali, si vnum dicitur majus, seu magis extensum, quàm aliud; hæc est tantùm comparatio actiua intellectus, & extrinseca denominatio, per quam vnum confert cum alio, & inuenit vnum tantâ extensione præditum; & aliud tantâ in ordine ad mensuram extrinsecam, seu spatium extrinsecum: non autem denominatio formalis, & intrinseca relatiua, quâ vnum aliud per se respicit, & vnum ad aliud per se tendit ante intellectus comparationem.

Idem dicendum est de quantitate discreta. Numerus enim ternarius est tantùm ternarius seipso, & binarius est binarius, hoc est, vnus continet tres vnitates, & alter duas. At vnus non est relatiuè major alio, nisi per formalem comparationem, quâ vnus alium respicit vt minorem, vel majorem; alioquin relatiuum, & absolutum confunderentur.

61. Instabis secundò: ista relatio superaddita non constituit vnam quantitatem alteri inæqualem, sed supponit inæqualem, & vnam magis

extensam, quam alteram: ergo est planè superflua, & fictitia. Probatur antecedens, tum quia ista relatio dicitur resultare ex tali extensione cum tali, & tali excessu: tum quia ipsa nullas addit partes in quantitate: tum denique, quia sicut relatio causæ ad effectum, non constituit formaliter causam, sed eam supponit constitutam per causalitatem propriam, ꝛ g. per actionem in efficiente: ita relatio, quæ dicitur inæqualitatis, non constituit inæqualitatem, sed eam supponit. Ergo duæ supradictæ quantitates sunt inæquales per suammet entitatem absque vlla relatione superaddita.

Respondeo relationem istam superadditam supponere revera inæqualitatem fundamentalem, ex qua resultare dicitur, sed non ideo esse superfluam; quia per fundamentalem vna quantitas nunquam potest dici formaliter major alterâ, alioquin referretur absque relatione; vel esset formaliter relatio: sed tantùm potest dici taliter extensa in ordine ad mensuram, vel spatium extrinsecum, & per comparationem actiuam extrinsecam intellectus, vt dictum est.

Quod autem affertur de relatione causæ ad effectum, huic opinioni potiùs aduersatur, quia causa efficiens non potest formaliter referri ad effectum per actionem, quâ illum producit, cùm ex authoribus talis opinionis, actio non sit in causa, illâque denominet tantùm extrinsecè agentem. Causalitas ergo solùm est ratio fundandi relationem: vnde quamuis constituat causam in actu, non refert tamen eam ad effectum relatione prædicamentali.

62. Quintum argumentum. Relatio identitatis, quæ interuenit inter duas substantias ejusdem speciei, vt inter Petrum, & Paulum, est relatio prædicamentalis, & non est ab illis distincta, ergo falsa est opinio distinguens relationem à fundamento. Probatur antecedens. Relatio identitatis inter duas substantias ea dicitur, quâ duæ substantiæ formaliter conueniunt in specie, & dicuntur eædem in natura: ergo ipsa debet esse formalis earum identitas, & formalis ratio conueniendi earundem. Omnis enim forma debet in se habere, vt *quo*, formalem effectum quem subjecto tribuit: vt quia albedo dat parieti esse album, ipsa debet esse per se albedo, seu ratio albi.

Vnde sicut albedo non potest per se constituere album, si ipsa per se non sit ratio albi: ita relatio illa identitatis non potest constituere duas substantias eadem, nisi ipsa sit ratio formalis, quâ sunt eædem, seu earum identitas formalis, & vt *quo*: nec esse ratio cur conueniant, nisi ipsa conueniat cum ipsis vt *quo*, seu vt formalis ratio conueniendi earum.

Sed si sit ab ipsis distincta, non potest esse formalis earum identitas nec ratio formalis conueniendi earum: ergo non potest ab illis esse distincta. Probatur hæc vltima minor, quia si est distincta, debet esse accidens; accidens autem non potest esse ratio duabus substantijs essendi eadem, & conueniendi in essentia, & natura, vt ex se notum est, cùm sit planè ab eis diuersum, illisque dissimile.

Respondeo, omnem relationem creatam prædicamentalem esse accidens, & referre accidentaliter subjectum suum ad terminum, vt fusè explicatum est sectione 1. Vnde cùm identitas sit relatio prædicamentalis, consequenter est accidentalis suis extremis, atque adeò non potest esse identitas substantialis eorum: sed dicitur identitas, vel potius relatio identitatis, quia refert extrema, quæ participant eandem naturam, essentiam, & definitionem, in quo ipsa fundatur.

63. Nec ideò dici debet superflua: quia, licet extrema participent eandem specie naturam, non referuntur tamen ad inuicem, nisi accedat relatio illa accidentalis distincta: imò non possunt denominari sine illa formaliter eadem, quia sine illa sunt absoluta, & vt sic possunt tantùm actiuè, & extrinsecè, ab intellectu comparari, & denominari eadem. Vt enim rectè ait Ferrariensis 2. contra gent. c. 12. circa 3. rationem, nomina relationem importantia, dicuntur sæpe de rebus absolutis, quia eas significant mediante conceptu relatiuo, quo ab intellectu concipiuntur in ordine ad aliud.

Vel responderi potest relationem identitatis esse rationem formalem conueniendi extremorum, & identitatem eorum vt *quo*, non substantialem, & absolutam; sed accidentelem, & relatiuam. Neque esse opus ad denominanda extrema hoc modo eadem, vt sit eiusdem naturæ cum illis, aut vt cum illis intrinsecè conueniat, vt patet à simili de relatione æqualitatis, similitudinis &c. Nam relatio inter duos parietes albos, est formalis eorum similitudo accidentalis, & relatiua; & tamen non est similis seu ejusdem naturæ cum ipsis, nec ratione ipsorum parietum, qui sunt substantia; nec ratione albedinum, quæ sunt accidentia absoluta, & diuersi prædicamenti à similitudine.

64. Sextum argumentum. multæ relationes prædicamentales conueniunt Deo ex tempore, ita vt eas antea non haberet, vt esse dominum, & causam productiuam hominis; esse dissimilem & diuersum à Petro, quem modo creauit: non enim dicebatur habere dominium, causalitatem, & diuersitatem antequam Petrus existeret. Dici autem non potest hujusmodi relationes esse formas accidentales, & distinctas à Deo: ergo nec potest dici quòd relatio distinguatur à fundamento.

Probatur major primò authoritate Anselmi in monologio, c. 24. vbi asserit immutabilitatem diuinam nihil obstare quo minùs afficiatur Deus accidentibus relationum inæqualitatis, & dissimilitudinis, eo quòd hæc ipsi adueniant in tempore absque aliqua sui mutatione.

Probatur secundò eadem major, quia ideò Rex ad subditos refertur relatione dominij, quia re vera potestatem habet eos coërcendi, & ipsi ei subijciuntur. Similiter ignis ideo refertur relatione causæ ad alium ignem, quia est productiuum illius. Ideo denique Petrus est diuersus à Bucephalo, quia naturam, & proprietates habet omninò differentes à natura, & proprietatibus Bucephali. Ergo similiter Deus referetur ad

creaturas relatione dominij, quia poteſtatem in eas habet; & relatione cauſæ, quia eſt principium earum productiuum; & relatione diuerſitatis, quia infinitè differt ab ipſis in natura.

Et verò relatio diuerſitatis eſt ſemper mutua, ſicut relatio identitatis. Vnde legitimè concluditur *creatura eſt diuerſa à Deo: ergo Deus eſt diuerſus à creatura.* Et ſi dicatur quòd Deus eſt diuerſus à creatura abſque relatione diſtincta; quare creatura non erit diuerſa à Deo per ſuammet entitatem, & eſſentiam abſque relatione diſtincta?

65. Reſponderi poteſt primò ex Diuo Thoma 1. p. q. 13. a. 7. item 2. contra gent. c. 12. & q. 7. de potentia, art. 10. & 11. Scoto 1. d. 30. q. 2. alijſque Philoſophis, & Theologis, ferè communiter, Deum nullo genere relationis realis referri ad creaturas.

Ratio Diui Thomæ eſt citato loco contra gent. quia relatio non poteſt eſſe in Deo vt accidens, vt per ſe notum eſt; neque vt ipſa Dei ſubſtantia, quia alioquin hoc ipſum quod eſt, ad aliud diceretur. Et ita aliquo modo penderet ab aliquo creato, & extraneo à diuina natura, quia nec eſſe, nec intelligi poſſet ſine eo: vnde non eſſet ens ſimpliciter neceſſarium.

Ratio Scoti numero 14. ferè coincidit cum ratione diui Thomæ, & ſumitur ex perfecta ſimplicitate, & ex perfecta neceſſitate Dei. Propter primam quidquid eſt in Deo, eſt Deus ipſe. Propter ſecundam Deus eſt tale ens, vt quacunque factâ ſuppoſitione, ſit omninò inuariabile, & ideo nulla eſt in eo realitas, quæ neceſſariò coëxigat aliud à ſe; quia illo alio non exiſtente, ipſa non exiſteret: at relatio realis neceſſariò coëxigit terminum: ergo non poteſt eſſe in Deo ad creaturas, quia illis non exiſtentibus, ipſa non exiſteret in Deo. Et ita aliquid, quod eſſet perfectè idem cum Deo, non exiſteret, aliquo alio, quod non eſt neceſſarium, non exiſtente.

Numero autem 19. hanc etiam affert quare Dei ad creaturas non ſit relatio; bene creaturarum inter ſe; quia nimirum quæcumque poſſunt eſſe partes alicuius totius, ſunt capacia formæ illius totius: omnia autem creata, nata ſunt eſſe partes totius vniuerſi, quod eſt vnum vnitate ordinis 12. metaph. textu 52. & ideo quodlibet iſtorum eſt potentiale ad iſtam formam, vt ſcilicet habeat ordinem ad aliam partem, vel ſecundùm inæqualitatem ſeu eminentiam, quæ in naturis diuerſis reperitur: vel ſecundùm æqualitatem, quia ordo eſt parium, diſpariumque rerum diſporio ex Auguſtino 19. de ciuit. c. 13. vel ſecundùm actionem, & paſſionem. At verò, quia Deus eſt agens illimitatum, & infinitum, non poteſt eſſe potentiale ad formam vllam abſolutam, vel relatiuam.

66. Aſſignant alij rationem iſtam generalem: quia nimirùm relatio realis conſiſtit in ordine vnius rei ad aliam; & conſequenter exigit vt extrema, quæ mutuò referuntur, ſint eiuſdem ordinis, alioquin non poterit reperiri in vtraque eadem ratio, & cauſa mutuæ referibilitatis. Deus

autem est supra omnem ordinem creatum, ob suam infinitam perfectionem: creaturæ verò sunt ejusdem ordinis inter se; vtpote quæ vel sunt eiusdem generis, vel saltem se mutuò perficiunt. Sic accidentia perficiunt substantiam, & substantia conseruat accidentia: sic causæ perficiunt effectus, dando illis esse, & ab effectibus in causas bonum aliquod resultat, quia in effectibus conseruantur quoad speciem; & per eos finem suum obtinent, quo ad agendum ordinantur: & denique specierum multiplicatione, secundùm genus perficiuntur: & ita in eis inuenitur ratio, & causa relationis.

Omnes itaque denominationes, quas Deo tribuimus, quæque relationem aliquam ad creaturas importare videntur, vt *Creator*, *sciens*, *amans*, *diuersus*, *Dominus*. Vel sunt extrinsecæ: vel sunt tantum reales, prout ab attributis absolutis sumuntur, vt *Dominus*, à reali potestate coërcêdi subditos: *sciens*, *amans*, à reali scientia, & amore: *diuersus*, à perfectione absoluta, & infinita. Quatenus verò formaliter relatiuæ intelliguntur, reales non sunt ex parte Dei, sed fundantur tantùm in modo nostro concipiendi, quatenùs intelligendo creaturas ad Deum referri, & Deum esse terminum relationis illarum, intelligimus ipsum comparatiuè, & relatiuè ad creaturas, & cum quodam ordine & habitudine ad ipsas, quæ est tantum rationis, vel denominatio extrinseca.

67. Respondeti potest secundò, Deum realiter referri ad creaturas in tempore, vt voluit Anselmus, & tenent Gregorius Arimin. 1. d. 28. q. 3. Ocham d. 30. q. 5. Gabriel ibidem, Durandus q. 3. n. 11. Mendosa, Arriaga, Ouiedo. Et consequenter huiusmodi relatio non est aliquid distinctum in Deo, neque illi aduenit cum aliqua mutatione, vel dependentia in aliqua realitate intrinseca, & ita illi conuenit sine vlla imperfectione. Sed non inde sequitur quòd eodem modo se habeat in creaturis: debet enim sequi naturam fundamenti, seu subiecti sui; & in Deo identificari cum substantia diuina ob infinitam ejus perfectionem: in creatura verò distingui ab ipsa, vt accidens illi superueniens.

Simili quippe ratione Deus intelligit, Deus vult absque illa sui mutatione, & absque distinctione volitionis, & intellectionis ab essentia, quod non reperitur in creatura. Imò Deus operatur ad extra absque actione intermedia, vt vult D. Thomas; & per suam substantiam immediatè, non autem creatura: & sic in creatura ex hac etiam parte est peculiaris ratio, cur distincta relatio resultet in ipsa, dum operatur. Sed ista sunt negotij Theologici.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Relationem prædicamentalem distingui ex parte rei à fundamento.

68. PROBATVR primò ex separatione vtriusque. Illa enim non possunt idem esse, quorum vnum perit altero manente, vt per se constat, & ex Aristotele 7. topic. c. 1. in fine. Sed manente fundamento, perit relatio: nam Petrus qui nunc est similis Paulo propter albedinem; denigrato Paulo, non est amplius illi similis; & tamen in Petro manet albedo, similitudinis fundamentum: ergo similitudo, & albedo non sunt idem, alioquin idem maneret, & non maneret, idemque à seipso separaretur.

Respondeo negando minorem, scilicet relationem separari à fundamento secundùm aliquid reale, & quantum ad id, quod intrinsecè ponit in ipso, sed solummodo quantùm ad terminum, quem extrinsecè connotat: eo enim sublato non remanet actualiter denominatio relatiua. Quando igitur Petrus desinit esse similis, nihil in ipso corrumpitur: sed albedo, quæ antea dabat illi quasi duplex esse, duplicemque denominationem, scilicet *esse album*, & *esse simile*; illud absolutè, primariò, & per se; istud relatiuè, secundariò, & per resultantiam ex coëxistentia alterius rei; non dat illi ampliùs *esse simile*, defectu termini, non coëxistentis fundamento. Atque ita eadem res manet, & non manet secundùm diuersas rationes, & denominationes: manet prout albedo; non manet prout similitudo, quia quod est simile, est alteri simile; & ideo sublato illo altero, non habet cui simile dici possit. Vnde tota mutatio fit in termino, qui de albo fit niger, seu non albus.

69. Secundum argumentum. Sublatâ distinctione reali relationis à fundamento, tolluntur omninò relata realia, tollitur vnum prædicamentum, & contemnitur authoritas Aristotelis, quæ omnia absurda sunt. Probatur major, quia si relatio nullo modo differt ex parte rei à fundamento absoluto, erit quid absolutum ex parte rei: ergo in relatis prædicamentalibus nihil reperitur, quod realiter, & intrinsecè sit respectiuum: & consequenter relatio vt sic, est aliquid rationis, ac proinde tolluntur relata realia, & prædicamentum relationis realis.

Respondeo negando majorem: ad ejus probationem concedo relationem non esse aliquid distinctum ex natura rei ab absolutis; sed inde non sequitur non dari relationes reales. Eadem enim forma, v. g. albedo, est realiter albedo, & realiter relatio; albedo in se sola, & absolutè spe-

ctata; relatio verò, vt connotat aliam formam in termino extrinseco, cui commensuratur, & cui coëxistit: item est albedo essentialiter, relatio verò accidentaliter. Quia enim vt est relatio, supponit coëxiste ntiam termini; & hæc coëxistentia, præcisè spectata, est extra rationem ejus, consequenter talis denominatio relatiua, est ipsi accidentaria: quo fit vt intellectus sufficiens habeat fundamentum concipiendi eandem entitatem, seu formam, ad modum duarum, eamque constituendi in duplici serie prædicamentali.

Vnde aliud est non dari relationes reales, aliud non dari relationes distinctas ab absolutis: sicut aliud est non dari passionem distinctam ex parte rei ab actione; aliud non dari passionem realem, & prædicamentum passionis ab actionis prædicamento distinctum.

70. Tertium argumentum. Denominationes, quæ à relatione sumuntur, vt *esse patrem*, *esse æquale*, *esse simile*, non sunt extrinsecæ, sed intrinsecæ: ergo denominationes diuersæ, vt denominatio similis, & dissimilis, debent prouenire a diuersis formis intrinsecis ipsi subjecto denominato. Ergo quando Petrus dicetur similis alijs albis, & dissimilis nigris; diuersæ illæ denominationes non poterunt à sola albedine prouenire: prouenient ergo à duabus relationibus, ab albedine distinctis: quod patet ex eo maximè, quia manente vnâ denominatione cum albedine, perit alia mutato termino. Item quia duo opposita essent realiter idem inter se. Nam similitudo, & dissimilitudo essent idem cum albedine: quæ autem sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se ex axiomate communi.

Probatur autem primum antecedens; quòd scilicet illæ denominationes non sint extrinsecæ: tum quia sic Deus vt creator referretur ad creaturas, non minùs quàm alia quæuis causa ad suum effectum; denominatur enim extrinsecè à creatione: tum quia subjectum non diceret tunc habitudinem ad terminum; sed esset tantùm comparatio facta ab intellectu. tum quia denique denominationes agentis, locati, & vestiti pari ratione ad prædicamentum relationis pertinerent, quod est falsum,

Respondeo concedendo tales denominationes prouenire ab aliqua forma subjecto intrinseca, includendo tamen, & connotando aliam extrinsecam in termino, quâ variatâ variatur denominatio, quæ prouenit ab vtraque forma, intrinseca scilicet, & extrinseca. Vnde quando Petrus albus dicitur similis, & dissimilis simul, duæ istæ denominationes proueniunt ab albedine Petri, quæ est forma ipsi intrinseca: quia tamen non proueniunt ab ea, solitariè sumptâ, sed vt connotat aliam formam extrinsecam in termino existentem, fit vt pro mutatione, & variatione talis formæ extrinsecæ, mutetur quoque denominatio. Et ita non est opus admittere diuersas formas intrinsecas, & relatiuas ad huiusmodi denominationes.

Neque ob id oppositа sunt idem inter se, quia similitudo, & dissin-

litudo; relatiuum, & absolutum non debent dici opposita respectu diuersorum, & quando ad diuersos terminos ordinantur, vt rectè docet Ferrariensis 4. contra gent. c. 14. ante responsionem ad 8. rationem.

71. Quartum argumentum. Illa non sunt realiter idem quorum vnum minuitur dum alterum augetur: sed relatio, & fundamentum sic se habent. Posito quippe quòd Petrus habeat quatuor gradus albedinis, & Paulus sex, erunt aliquantulum similes: si autem minuatur albedo Pauli vsque ad quatuor, fiet magis similis Petro: & ita minuetur albedo Pauli, & tamen similitudo augebitur: ergo si albedo, & similitudo idem sint ex parte rei, idem simul raliter augebitur, & realiter minuetur, quod est impossibile.

Respondeo negando minorem. Quando enim minuitur albedo, minuitur quoque res illa, quæ est similitudo: at quia albedo denominat subjectum album dum concipitur absolutè; & denominat illud simile dum concipitur in ordine ad aliud: ideo Paulus per eam potest denominari minùs albus, & magis similis. Et ita respectu diuersorum eadem res dicetur simul intendi, & remitti, sicut dicitur similis, & dissimilis respectu diuersorum.

Quintum argumentum potest alias rationes complecti, quas alibi iam solumus, vt quòd substantia, & accidens non possint esse idem: relatio autem sit accidens, & substantia sit aliquando ejus fundamentum. Hujus rationis solutionem habes supra num. 34. Item quòd ea quæ genere categoriæ differunt, non sunt idem numero ex Arist. 7. top. c. 1. nec miscentur inter se, ibidem. Et quòd ens diuisum in decem prædicamenta, est reale, & consequenter debeant esse decem entia realia. Præterea quod ejusdem rei non possint esse plures differentiæ, & definitiones essentiales, quales habent relatio, & fundamentum illius. Quorum omnium, & similium argumentorum solutiones inuenies q. 2. sect. 3. hujus libri.

APPENDIX.

An relatio adæquatè identificetur cum suo fundamento.

72. ADMISSA identitate relationis cum fundamento, adhuc controuersia est, vtrum sit idem adæquatè cum eo; an verò etiam simul identificetur cum termino, ita vt ex æquo, & formaliter includat vtrumque. Alij volunt eam adæquatè identificari cum fundamento, & connotare extrinsecè terminum: sicut visio consistit adæquatè in actu potentiæ visiuæ, & connotat extrinsecè objectum,

obiectum circa quod versatur. Ita Ægydius in 1. d. 26. q. 4. Suarez disp. 47. Metaph. sect. 2. num. 25. & alij. Mendosa verò disp. 15. Metaph. sect. 3. Arriaga disp. 12. Logicæ sect. 9. Ouiedo controu. 9. Metaph. puncto 4. § 3. asserunt relationem adæquatè identificari cum fundamento, & termino, ita vt vtrumque pertineat ad formalem conceptum relationis, & Petrum album esse similem Paulo albo, nihil aliud esse, quàm Petrum & Paulum simul esse albos. Rationes, & solutiones vtriusque opinionis hic habes.

Prima opinio probatur primò. denominatio similis v. g. non est extrinseca, sed intrinseca, quia Petrus non est similis Paulo per albedinem Pauli, sed per suam propriam, connotando albedinem Pauli: ergo hujusmodi similitudo est idem cum albedine Petri, non vero cum albedine Pauli, quia sic Petrus diceretur similis Paulo denominatione extrinsecâ.

73. Respondetur, denominationem relatiuam, & consequenter relationem, esse partim intrinsecam, partim extrinsecam fundamento denominato: & ita Petrus est similis Paulo per suam albedinem, & per albedinem Pauli; per suam quidem intrinsecè, & in recto significatam; extrinsecè autem, & in obliquo per albedinem Pauli, spectantem formaliter ad conceptum similitudinis. Quapropter idem est ex parte rei Petrum esse similem Paulo, & Paulum esse similem Petro, quia similitudo vtriusque nihil aliud est, nisi albedo vtriusque simul sumpta: differentia tamen est in modo significandi, quia dum Petrus dicitur similis Paulo, albedo Petri significatur in recto, tanquam fundamentum; & albedo Pauli in obliquo, tanquam terminus similitudinis. Quando verò Paulus dicitur similis Petro, albedo Pauli significatur in recto vt fundamentum, & albedo Petri in obliquo tanquam terminus extrinsecè terminans.

Ex quo infertur, in relatiuis mutuis eandem esse relationem in vtroque extremo, quia relatio cujuslibet importat vtrumque extremum, & nihil amplius: & ita ex parte rei pater, & filius eâdem Physica relatione referuntur, & constituuntur in esse patris, & in esse filij, sicut per eandem physicam entitatem, nempe actionem, constituitur agens, & passum: ideoque paternitas, & filiatio nihil differunt in re, sed tantùm in modo significandi, vt dictum est de similitudine.

74. Probatur secundò. Relatio est cujus totum esse est ad aliud, hoc est, ad terminum, ex definitione relationis, communiter receptâ; ergo non potest identificari cum termino, quia tunc terminus non esset aliud à relatione: vnde ipsa tendendo ad terminum, tenderet ad seipsam. Quod est ridiculum.

Item nihil posset assignari, quod haberet rationem ordinis, & respectus ad aliud: nam duo extrema simul, non intelliguntur referri ad aliquod tertium; sed tantummodo sunt duæ res absolutæ, simul sumptæ,

& simul existentes; vt in relatione similitudinis in superiori exemplo sunt duæ albedines, sibi coëxistentes: & ita tolleretur omninò prædicamentum relationis.

Respondetur: relatio est cujus totum esse est ad aliud, tanquam ad partem totius relationis, concedo: ad aliud totaliter & adæquatè à relatione distinctum, nego. Quando igitur relatio dicitur id, cuius totum esse est ad aliud, non ita debet intelligi, quasi relatio se teneat tota ex parte vnius extremi, & terminus ex parte alterius, quia relatio nihil aliud est, nisi duplex conceptus absolutus, ab vtroque extremo, simul existente æqualiter desumptus: sed ita debet intelligi quòd ex duplici illo conceptu objectiuo, ex quo relatio constat; alter modo habet rationem fundamenti, quando significatur in recto, & alter termini, quando significatur in obliquo: sicut explicatum est in solutione primi.

Vnde absolutè verum est relationem esse ad aliud, non quod vnum extremum revera ordinetur ad aliud, quia hoc conuenit solum relationi transcendentali; sed quia vna res sola non dicitur relata, sed per comparationem ad aliam, & quia in denominatione relatiua vnum extremum includit aliud, à se distinctum, tanquam partem prædicati talis denominationis: ideoque relatio distinguitur ab alterutro tanquam totum à parte. Neque ob id tollitur prædicamentum relationis, sed speciali hoc modo constituitur, & explicatur.

75. Probatur tertiò, & est veluti instantia contra præcedentes solutiones: si relatio similitudinis v. g. inter duo alba, nihil est aliud, nisi duæ albedines simul sumptæ: nec simile, aliud, quàm duo alba simul sumpta; sicut simile rectè prædicatur de vno albo in ista propositione, *hoc album est simile huic albo*: ita duo alba rectè dicentur de vno, & ista propositio, *hoc album est duo alba simul existentia*, vera erit: sed hoc est manifestè absurdum: ergo simile non est idem quòd duo alba; nec similitudo idem quod duæ albedines simul.

Confirmatur: quia nulla esset ratio cur relatio diceret vnum album in recto, & aliud in obliquo. Cum enim sint ejusdem omninò rationis, vtrumque vim æqualem habet ad mouendum intellectum, vt eodem modo concipiatur; ac proinde vel vtrumque, vel neutrum debet in recto significari.

Respondetur ad primum negatione maioris. Ratio disparitatis est, quia ista propositio, *hoc album est duo alba simul existentia*, importat identitatem unius albi cum vtroque albo: ista verò, *hoc album est simile huic albo*, importat potius distinctionem. Vnde sicut totum physicum non est aliud, nisi materia, & forma simul vnitæ; & tamen materia non prædicatur substantiuè de forma in recto; benè autem in obliquo, vt *materia est subiectum formæ*: ita simile non est aliud, quam duo alba simul existentia; & tamen vnum album non potest de alio prædicari in recto substantiuè, quia de facto vnum non est aliud.

76. Ad confirmationem fatendum est, vnum album non habere ex parte rei, vt significetur potius in recto, quàm aliud: sed hoc non impedit, quò minùs possit ita rectè significari, & ab intellectu comparari cum alio, nunc in recto, nunc in obliquo, quia relata dicuntur ad conuertentiam, vt explicabimus sectione vltimâ: & ita liberum est dicere, *dominus est alicuius serui dominus; seruus est alicuius domini seruus: album* A. *est simile albo* C. *album* C. *est simile albo* A.

Probatur quartò. Si relatio includat duplicem entitatem, seu conceptum fundamenti, & termini, erit vnum per accidens; entia autem per accidens, excluduntur à prædicamentis: ergo relatio non constituet speciale prædicamentum, contra communem consensum.

Respondetur concedendo relationem esse vnum per accidens physicè, non verò logicè, quia plures entitates, quas includit, considerantur per modum vnius simplicis entitatis; sicut plures voces in musica per modum vnius consonantiæ, & harmoniæ. Nec aliter se habet prædicamentum habitus, quod includit aggregatum multarum rerum, habentium extrinsecam tantummodo, & logicam vnitatem.

77. Secunda opinio, nempe relationem esse idem adæquatè, & ex æquo cum fundamento, & termino, probatur primò. Relatio non est fundamentum solum, nec solus terminus; ergo consistit formaliter, & essentialiter in vtroque. Probatur antecedens quoad primam partem, quia altera est euidens. Si relatio est adæquatè idem cum solo fundamento; ergo deficiente termino, remanet tota essentia, & natura integra relationis in ipso fundamento: ergo fundamentum ipsum constituitur, & permanet formaliter relatum deficiente termino, quia non potest existere tota essentia, & ratio formalis relationis in aliquo subjecto, quin illud actualiter referat: sicut non potest albedo afficere intrinsecè subjectum, quin illud denominet formaliter album.

Atqui absurdum est dicere fundamentum referri ad terminum non existentem, vt dicemus infra; ergo absurdum est dicere relationem esse adæquatè idem cum fundamento solo. Hic est Achilles hujus opinionis, quem infinitis penè verbis inculcant eius fautores.

78. Respondetur ad primum antecedens, totam entitatem relationis esse in fundamento, seu fundamentum solum esse totam rem, quæ dicitur relatio ex parte ipsius fundamenti: sed non inde sequitur quòd fundamentum debeat denominari relatum deficiente termino, quia terminus est omninò necessarius ad talem denominationem, non tanquam aliquid formaliter spectans ad intrinsecam constitutionem relationis, sed tanquam scopus, & terminus in quem dirigitur, siue in quem respicit.

Sicut enim visio non potest denominare Petrum videntem, nisi supponatur aliquod objectum, in quod visio tendit, & circa quod versatur; & tamen objectum non est pars cognitionis: ita relatio non potest deno-

minare fundamentum relatum, nisi supponatur terminus, in quem relatio tendat: nec ideo terminus erit pars formalis ipsius relationis: neque in hoc vlla potest assignari disparitas rationabilis. Nam quemadmodum visio est alicujus rei visio; & videns est aliquod objectum videns: ita relatio, *v. g.* similitudo est alicujus rei similitudo; & simile est alicui simile: & sicut tota visio ordinatur ad objectum, ita tota relatio debet dici ordinari, seu esse ad terminum, distinctum à se, alioquin formalis ratio referendi, seipsam respiceret: atque adeo terminus non potest esse pars relationis, quia dum ipsa tenderet ad terminum, tenderet ad seipsam, quia ad partem sui: & ita totum ejus esse non esset *ad aliud*, contra definitionem.

79. Ad confirmationem eiusdem antecedentis respondetur non esse opus formam subjecto communicatam, ei communicare omnia sua prædicata, saltem quoad denominationem, & præsertim relatiua. Hoc multis patet exemplis: nam albedo non communicat Petro *esse informatiuum subiecti*, quod tamen conuenit albedini intrinsecè: nec anima rationalis communicat illi esse immortale: & homo denominatur materialis ratione solius materiæ; & tamen per illam non dicitur incorruptibilis. Denique generatio substantialis recipitur in materia; & tamen non denominat eam generatam, aut generabilem: quia nimirùm habet ordinem ad subjectum, & ad terminum: per ordinem ad subjectum dicitur mutatio; per ordinem ad terminum, seu compositum dicitur generatio. Ita albedo, vt habet ordinem ad subjectum, denominat illud album; vt habet ordinem ad terminum, denominat subjectum relatum. Et sicut generatio non potest dici generatio, nisi actu generetur compositum, ita albedo non potest dici relatio, nisi sit actualis terminus ad quem tendat, & respiciat.

Hic ergo modus dicendi est multò melior: nam alter confusionem parit, vt patet ex argumentis alterius opinionis, quibus non planè satisfit. Confunditur enim relatio patris, & filij; magistri, & discipuli; domini, & serui, &c. item disceditur à communi sententia absque efficaci argumento: tollitur relatio realis in rigore loquendo, & in sola denominatione extrinseca, aut comparatione intellectus constituitur.

80. Probatur tamen secundò eadem opinio ex relatione *tacti*: quia duo corpora habent relationem *tacti* præcisè per coëxistentiam in duobus locis immediatis: ergo hæc relatio formaliter consistit in vtroque extremo. Patet consequentia: nam coëxistere dicit formaliter existentiam duorum, seu duas existentias. Probatur antecedens, quia coexistentia duorum corporum in duobus locis immediatis, est tactus vtriusque: ergo ab illa denominantur tacta: & consequenter per illam habent relationem *tacti*.

Respondetur relationem *tacti*, necessariò exigere duo corpora in duobus locis immediatis, vnum tanquam subjectum, & aliud tanquam

terminum : non ideo tamen includere vtrumque extremum tanquam partem formalem sui : sed prout corpus A. intelligitur esse subiectum, & respicere corpus B. relatio eius est adæquatè idem cum ipso, & connotat corpus B. vt terminum, quem respicit. Similiter corpus B. prout intelligitur esse subiectum, & referri ad corpus A. est adæquatè idem cum sua relatione, & connotat corpus A. vt terminum distinctum, tum à se, tum à sua relatione.

Neque obstat quòd coëxistere dicat formaliter duas existentias. Nam etiam intelligere, videre, tangere sensu tactus, &c. important intelligentem, & id quod intelligitur; tangentem, & id quod tangitur; videntem, & id quod videtur: & tamen intellectio, visio, tactio, sunt adæquatè idem cum exercitio potentiarum, neque earum obiecta sunt partes earum, sed tantùm termini, ad quos ordinantur.

APPENDIX II.

De opinione Diui Thomæ circa distinctionem relationis à fundamento.

81. CONTROVERSIA est inter Thomistas, vt diximus supra, quid senserit D. Thomas de distinctione relationis à fundamento, propter diuersa loca, quæ circa quæstionem hanc apud ipsum reperiuntur: vnde aliqui existimant relationem secundùm eius sententiam non distingui ex parte rei à fundamento. Ita Iauellus 5. Metaph. q. 22. Soncinnas q. 28. Zumel 1. p. q. 28. art. 2. q. 6. & alij. Major tamen pars Thomistarum contrarium censet.

Pro prima sententia afferri possunt loca, quæ sequuntur. Primus ex opusculo 48. tract. 5. c. 2. vbi sic loquitur Diuus Thomas, *cùm dico quòd similitudo sortis habet albedinem eius vt fundamentum, non est intelligendum, quòd similitudo sortis sit aliqua res in sorte, alia ab ipsa albedine: sed solùm est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum. Si enim similitudo adderet supra albedinem sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione*, &c.

Secundus ex 5. Phys. lect. 3. vbi ait, nihil aduenit mihi de nouo per hoc quòd incipio esse alteri æqualis per ejus mutationem.

Tertius ex 3. parte q. 16. a. 6. ad 2. *ea, quæ relatiuè dicuntur, possunt de nouo prædicari de aliquo absque eius mutatione: sicut homo de nouo fit*

dexter absque sui mutatione, per motum illius, qui fit ei sinister. Si autem relatio esset distincta realiter à fundamento, non posset de nouo illi aduenire absque ejus mutatione, vt de se constat.

Quartus ex q. 7. de potentia art. 8. vbi dicit relationem non facere compositionem realem cum eo, cuius est relatio. Si autem esset entitas distincta, sine dubio compositionem faceret cum eo.

82. Ad ista respondetur multipliciter; ad primum quidem, vel illud opusculum non esse D. Thomæ, quia antiqui Thomistæ de eo mentionem non faciunt, aut faciunt sub dubio an sit eius opus. Vel ipsum mutasse sententiam in summa Theologica, vt in vltimo opere, & veluti testamento suæ opinionis. Vel relationem non mereri nomen rei, eo quòd est minimæ entitatis: vnde ipse notat q. 7. de potentia, art. 9. ex commentatore 11. metaph. textu 19. quòd quia relatio est debilioris esse inter omnia prædicamenta, putauerunt quidam eam esse ex secundis intellectibus, hoc est ab intellectu dependere sicut intentionem generis, speciei, &c. Vel denique non esse rem, per se intentam, & productam actione, per se ad eam terminatâ, vt tetigimus supra, numero 56.

Ad secundum dicitur D. Thomam loqui ex suppositione quòd relatio æqualitatis sit iam actu in ipso fundamento respectu aliorum terminorum habentium eandem quantitatem. Tunc enim non aduenit ipsi noua entitas æqualitatis, quando aliquis acquirit de nouo eandem quantitatem, sed prior æqualitas determinatur ad hunc nouum terminum: sicut producto secundogenito non aduenit patri noua paternitas, sed præcedens extenditur ad secundogenitum, vt dicemus infra. Ita Ferrariensis 4. contra gent. c. 14.

83. Dicitur secundò, quod non adueniat aliquid de nouo ipsi fundamento per actionem propriam, terminatam ad relationem, sed per naturalem sequelam, & resultantiam ex ipso fundamento pullulare, eo modo, quo passiones ab essentia dimanare dicuntur per naturalem concomitantiam; non verò per actionem mediam. Et ita subiectum non dicitur propriè mutari aduentu relationis, nisi simul ei adueniat fundamentum ipsius, puta quantitatem in dato exemplo. Tunc enim actio agentis primò terminatur ad fundamentum, quod est forma absoluta, cuius receptione subjectum propriè transmutatur: secundariò verò tantùm ad relationem terminatur: atque ita non nisi secundariò, & impropriè dicitur mutari subjectum per relationem. Vnde patet solutio ad 3. locum, ex 3. parte allatum.

Ad quartum patet ibi solutio, videlicet relationem, quamuis secundùm quòd est accidens, faciat compositionem cum subjecto; non facere tamen secundùm propriam rationem relationis, quia, vt Boëtius dicit in libro de Trinit. circa medium, relatio non significat vt in subjecto manens, sed vt in transitu quodam ad aliud. *Quod autem*, inquit sanctus doctor, *attribuitur alicui, vt ab eo in aliud procedens, non facit com-*

positionem cum eo, sicut nec actio cum agente. Idem habet art. sequenti ad 7. *Relatio quæ nihil est aliud, quàm ordo vnius creaturæ ad aliam, aliud habet in quantum est accidens, & aliud in quantum est relatio, vel ordo: in quantum enim accidens est, habet quod sit in subiecto non autem in quantum est relatio, vel ordo: sed solùm quòd ad aliud sit, quasi in aliud transiens, & quodammodo rei relatæ assistens.* Eadem habet 1. sent. d. 8. q. 4. a. 3. dist. 30. q. 1. a. 1. & alibi.

84. Pro secunda sententia faciunt quæ sequuntur. Primus est in 1. sent. d. 4. q. 1. a. 1. ad 3. vbi ait, *relationes*, scilicet diuinæ, *non differunt ab essentia realiter, sed tantùm ratione, vt dictum est, & ideo non sequitur ibi compositio: quod in alijs esse non potest, quia nulla relatio est substantia secundum rem in creaturis: vnde oportet quod omne generatum sit compositum.*

Secundus est ibidem d. 33. q. 1. a. 1. in fine hoc modo, *in alijs autem realibus relationibus, in creaturis existentibus, est aliud esse relationis, & substantiæ, quæ refertur, & ideo dicuntur inesse; & secundùm quod insunt, compositionem faciunt accidentis ad subiectum; quod non conuenit in diuinis relationibus, vt dictum est.*

Tertius est in q. 8. de potentia, a. 2. ad 1. vbi asserit substantiam creatam non posse esse idem secundùm rem cum relatione, benè autem in Deo. *Nulla substantia*, inquit, *quæ est in genere, potest esse relatio, quia est definita ad vnum genus, & per consequens excluditur ab alio genere.*

Quartus reperitur in 1. parte, q. 28. art. 2. vbi expressè asserit relationem esse accidens inhærens subiecto, & habens esse accidentale in ipso. ad 2. verò hæc habet, *in rebus creatis, in illo, quod dicitur relatiuè, non solùm est inuenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum: ità & in Deo, sed tamen aliter, & aliter. Nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est aliares.*

Quintus est in 1. sent. d. 21. q. 1. art. 2. circa medium in hæc verba: in creaturis per paternitatem additur nouum esse, quod est esse accidentale & non idem quod est subjecti: in diuinis autem paternitas non addit secundùm rem aliud esse, quàm esse essentiæ, in quo pater, & filius communicant.

Sextus denique, omittendo alia, habetur q. 3. de potentia, art. 3. ad 3. vbi loquens de relatione creationis, quam creatura habet ad creatorem, sic ait; illa relatio accidens est, & secundùm esse suum considerata, prout inhæret subiecto, posterius est, quàm res creata, sicut accidens subiecto, &c. Idem habet quodlibeto. 7. a. 10. ad 4.

85. Ad hæc respondeti potest, Diuum Thomam loqui de relatione fundata in accidente, vt est æqualitas, similitudo, &c quæ cum identifi-

cetur cum ipso accidente, consequenter nulla relatio in creatis est substantia secundùm rem; & eius esse est diuersum ab esse substantiæ; & facit cum ea compositionem; & esse accidentale illi tribuit; & in creatura est alia res præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui, scilicet ipsa substantia, seu subiectum relationis: quæ sunt verba quatuor priorum locorum.

Hæc responsio confirmatur ex ipso Diuo Thoma 4. contra gentiles, c. 14. ad obiectionem nonam, vbi ait relationem non aduenire substantiæ, nisi mediis alijs accidentibus, *propter quod*, inquit, *& relatio realiter substantiæ aduenienS, & postremum, & imperfectissimum esse habet; postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio, sicut vnum in quantitate causat æqualitatem, & vnum in qualitate similitudinem*, &c. Neque huic obstat mediatio illa aliorum accidentium, inter substantiã & relationem, quia non est mediatio realis, quasi sint aliqua res distincta realiter à relatione; sed solùm formalis, quatenus ratio absoluti priùs illis conuenit, quàm ratio relatiui.

86. Supersunt duo vltima loca, quibus certè non potest ista solutio facere satis: non penultimo quidem. Nam, licet dicatur paternitas fundari in generatione, quæ est accidens; tamen remanet transactâ generatione, & ita cùm addat nouum esse præter esse subiecti, ex Diuo Thoma, debet esse aliquid distinctum, & à generatione, & à substantia patris. Nec sufficit etiam alia solutio quam habet Iauellus, & alij, videlicet accidens hic sumi à Diuo Thoma pro eo quod est extra rationem rei, & per intellectum siue formaliter ab ea distinguitur; quia diuina essentia & diuina relatio formaliter distinguntur, diuersasque habent rationes, & prædicandi modos, vt docet ipse diuus Thomas in 1. d. 33. q. 1. art. 1. in corpore, & ad 1. vnde non esset differentia inter relationes creatas, & diuinas, si creatæ distinguerentur solùm formaliter à fundamento & substantia.

Non satisfacit denique postremo loco, quia creatio non fundatur immediatè in accidente, sed in substantia, & ideo non potest dici inhærere substantiæ, & cum ea facere compositionem ratione accidentis, cum quo identificetur. Posset tamen secunda solutio huic aliquo modo sufficere, quia potest concipi relatio per modum inhærentis, & accidentis, & consequenter facientis compositionem rationis cum eo, cui aduenire intelligitur. Sed hoc est vim facere verbis diui Thomæ. Vnde multò probabilius est ipsum absolutè distinxisse ex parte rei omnem relationem prædicamentalem à fundamento proximo. Et hæc est communis opinio, & interpretatio Thomistarum, paucis exceptis.

SECTIO

SECTIO IX.

De quibusdam conditionibus termini relationis.

87. QVATVOR examinabimus in hac sectione de termino relationis, cætera in sequentibus. Primum est, vtrum debeat distingui realiter à fundamento. Secundum, an debeat actu existere. Tertium, an possit esse ens rationis. Quartum, an debeat dici esse de essentia relationis.

Circa primum communis est sententia Thomistarum post D. Thomam 1. p. q. 42. a. 1. ad. 4. terminum relationis debere à parte rei distingui à fundamento ejusdem relationis, quia idem ad seipsum non refertur aliquâ relatione reali, inquit sanctus Doctor. Idem sentiunt alij Philosophi cum Scoto in 1. sent. d. 31. q. vnicâ num. 2.

Probatur primò ex communi relationis definitione, quâ dicitur *id, cuius totum esse est ad aliud.* Per illam particulam *aliud*, ostenditur nullum rem posse referri ad seipsam reali relatione, quia nulla res est aliud à seipsa: cùm aliud denotet distinctionem in natura. Vnde filius in diuinis non dicitur alius à patre, non aliud, eoquòd vterque eandem numero essentiam, seu naturam habet, vt rectè docet D. Thomas 1. sent. d. 21. q. 1. art. 2. & 1. p. q. 31. a. 2. ad 4.

Probatur secundò, quia nihil sibi ipsi realiter opponitur: relata autem constituunt vnum genus oppositorum, vt patet ex Aristotele cap. 10. in postprædicam. & lib. 5. Metaph. c. 10. Ergò debent esse inter se distincta: ex his autem vnum est fundamentum, & aliud terminus.

Denique ob id maximè ponitur distinctio realis inter personas diuinas, quia relatiuè opponuntur.

88. Potest autem hic quæri vtrum possit esse relatio realis inter duo extrema realiter distincta, si fundamentum relationis sit idem numero in vtroque extremo. Verbi gratia, si diuinitùs eadem numero albedo poneretur in duobus parietibus, vtrum relatio similitudinis inter eos esset realis. Quod idem quæritur de æqualitate quæ est inter diuinas personas, fundata in perfectione, seu essentia diuina, quæ eadem numero est in ipsis.

Partem affirmatiuam tenet Scotus in 1. sent. d. 31. q. vnicà, & in quodlibetis, q. 6. quia, inquit, ex Aristotele 3. phys. textu 3. & lib. 5. metaph. capite de *ad aliquid*, tria tantùm requiruntur ad relationem realem: primum vt fundamentum sit reale, & terminus realis. Secundum, vt sit realis distinctio inter extrema. Tertium quod ex natura fundamenti, & termini sequatur talis relatio, independenter à potentia comparan-

te vnum alteri. Hæc autem omnia reperiuntur in datis exemplis.

Verum: præter has conditiones exigunt authores oppositi, vt extrema non sint relationes, quia relatio non fundatur super relatione: hic autem extrema, scilicet personæ sunt relatiua. Deinde requirunt vt fundamentum sit realiter distinctum in vtroque extremo, quia relatio habet vnitatem, & distinctionem à fundamento. Vnde quamuis æqualitas inter diuinas personas ratione fundamenti sit realis, & perfectissima, quia ijs inest omnimoda indistinctio perfectionis diuinæ: non est tamen realis relatiuè, sed est tantum relatio rationis; sicut Deus est realiter dominus, & creator, sed non reali relatione dominij, quæ in ipso sit.

89. Opposita sententia est diui Thomæ 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. vt vult Capreolus in 2. d. 31. q. 1. Caietanus & Iauellus in illo articulo, alijque Thomistæ: tamen D. Thomas ibi non dicit simpliciter relationem æqualitatis, & similitudinis, non esse relationes reales, sed non esse relationes reales distinctas à personalibus: sic enim habet: *æqualitas, & similitudo in diuinis personis non est aliqua realis relatio distincta à relationibus personalibus, sed in suo intellectu includit, & relationes distinguentes personas, & essentiæ vnitatem.*

Caietanus autem probat, ejusmodi relationes esse tantùm rationis, quia in relationibus primi generis, quæ sunt identitas, similitudo, & æqualitas, ipsa fundamenta sunt extrema, quæ primò & per se referuntur, alia verò referuntur ratione ipsorum. Esse enim æquale, primò conuenit quantitati, & per ipsam conuenit subjecto. Cùm igitur extrema debeant esse distincta ex communi consensu, non potest relatio esse realis, si fundamentum sit vnicum in vtroque extremo, quia ipsum fundamentum est id, quod primò & per se refertur, & non est relatio realis ejusdem ad seipsum.

Ad hoc respondetur negando distinctionem fundamentorũ requiri in hoc genere relationum, eoquòd fundantur in vnitate, non in distinctione, seu in fundamento, quatenus est vnum, non quatenus est distinctum, aut diuersum: & ideò quò maior est vnitas substantiæ, quantitatis, qualitatis, eò perfectior est relatio identitatis, æqualitatis, similitudinis: & consequenter, cùm in Deo sit vnitas numeralis fundamenti, quæ est maxima vnitas, cum distinctione extremorum, seu personarum in eo est perfectissima æqualitas, & similitudo: in creaturis verò est diminuta, quia fundatur tantùm in vnitate generica, vel specifica.

Neque verum est, fundamenta primò, & per se referri, sed ipsæ potiùs relationes primò, & per se referuntur, & opponuntur; extrema verò per ipsas. Vnde quod relatio æqualitatis habeat pro suo fundamento in creaturis duas quantitates, numero distinctas, & quòd hujusmodi quantitates dicantur per se primò æquales, hoc est omninò per accidens respectu illius in communi, quatenus est relatio realis. Verùm quia ista quæstio solet agitari in Theologia, nòlo eam longius prosequi, lege

Cajetanum & Scotum locis citatis, & Fabrum Fauentinum in 1. disputatione 47.

90. Circa secundum, & tertium, quod quærimus, vtrum terminus relationis prædicamentalis debeat esse realis, & actu existere: communis est sententia, hanc vtramque conditionem illi debere competere. Ita D. Thomas 1. p. q. 17. a. 7. q. 28. a. 1. ad. 2. q. 3. de potentia a. 3. ad 5. lib. 2. contra gent. c. 12. Ferrariensis, & Cajetanus suo quisque loco, cum alijs Thomistis. Item Scotus in 1. d. 31. & alij contra Gregorium Arimin. in 1. d. 28. q. 2. & 3. Vasquez disput. 76. primæ partis numero 5. & alios quosdam.

Probatur primò ex Aristotele 5. Phys. c. 2. vbi ait ad relationem non dari per se motum, sed fundamentum dici ad aliquid, ex sola mutatione alterius extremi, seu termini; ergo supponit relationem resultare in fundamento ex positione, seu mutatione termini, & consequenter ipsum debere ex parte rei existere.

Probatur secundò à priori, ex differentia relationis prædicamentalis à transcendentali: ista enim ingreditur rerum absolutarum essentiam, & eam intrinsecè perficit & complet, vt dictum est supra numero 19. Vnde per se intenditur, & producitur ab agente; atque adeò in sui productione, per se loquendo, est independens à quocumque termino extrinseco. At verò relatio prædicamentalis, cùm non intendatur, nec producatur per se, resultat tantùm per accidens ex proportione, & commensuratione extremorum inter se. Similitudo enim v. g. non sequitur intrinsecè albedinem, vt albedo est, sed vt proportionatur, & commensuratur alteri albedini. Ergò illa proportio, & commensuratio debet esse realis, vt relatio sit realis: non potest autem esse realis commensuratio, & proportio entis rationis, aut entis non existentis ad ens existens. Quod enim reale non est, realem proportionem non habet cum alio, vt per se patet.

91. Probatur tertiò à Ferrariensi loco citato contra gentes, ad tertiam rationem, sic: ideò aliquid refertur ad aliud, quia habet aliquam realem formam in se, ad quam talis ordo consequitur: ergò id quod terminat hujusmodi ordinem, habet vt terminet, ex aliqua reali forma, sibi inexistente, & consequenter debet esse in rerum natura, non verò tantùm ens in potentia, aut ens rationis.

Probatur quartò à D. Thoma ibi ratione tertiâ, quia si esset realis relatio fundamenti existentis ad terminum non existentem, in eodem numero binario v. g. essent actu infinitæ relationes ad numeros alios majores, qui sunt infiniti in potentia & qui habent proportionem duplam, triplam, &c ad ipsum: hoc autem est absurdum.

Hæc tamen ratio multis non placet, nec videtur efficax, tum in sententia eorum, qui non distingunt relationem a fundamento, quia sic omnes illæ relationes sunt vnica res realiter, & ideo non ponitur infinitum actu secundum numerum: tum in sententia, eam ex parte rei distin-

guente, quia potest dici, hujusmodi numeros possibiles, non esse infinitos, nisi in potentia, & syncategorematicè: deinde dari in continuo similem infinitatem partium proportionalium, atque etiam relationum inter illas partes, vt tactum est supra numero 38.

Probatur quintò, discurrendo per singulos modos relatiuorum. Nam similitudo, æqualitas, identitas, sunt relationes mutuæ: vnde si Petrus albus est similis in albedine Paulo non existenti, Paulus non existens erit similis Petro existenti, quod est impossibile: imò Petrus erit similis Paulo, simul & dissimilis, quia Paulus possibilis potest recipere nigredinem æquè ac albedinem. Item puerulus erit æqualis giganti, & gigas puerulo, quia puerulus potest excrescere ad magnitudinem gigantis. Petrus erit pater Pauli, quem nondum genuit, & Paulus erit filius Petri, à quo nondum est genitus.

Denique in sententia, quæ non distinguit relationem à fundamento, & termino, patet necessariam esse realem termini existentiam, vt relatio sit realis.

92. Objcies: Aristoteles 5. metap. c. 15. ponit relationem inter productiuum, & producibile: producibile autem, vt sic, non existit. Præterea inter repræsentans, & repræsentatum est relatio, vt patet: potest autem esse imago rei non existentis, sicut & memoria. Deinde relatio transcendentalis est vera relatio: hæc autem potest esse ad terminum non existentem. Nam scientia respicit objectum independenter ab illius existentia: & potentia actiua refertur ad actus, quos potest producere, & qui nondum existunt. Denique terminare actu est denominatio purè extrinseca, sumpta ex habitudine vnius rei tendentis in aliam: ergo potest cadere in terminum non existentem, quantum est ex parte termini, sic enim denominationes cogniti, amati &c. cadunt in obiecta, quæ licet non existant, sunt termini cognitionis, & amoris, quibus cognita, & amata denominantur.

Respondeo ad primum, hujusmodi relationes non esse reales, vt supra dictum est, vel esse transcendentales.

Respondeo ad secundum, illas etiam relationes esse transcendentales; & si ibi intelligatur relatio illa accidentalis, hæc est tantùm relatio rationis, quatenus intellectus res ipsas intelligit collatiuè, seu in ordine ad aliud, & deinde mediante tali conceptu ipsæ significantur nomine relatiuo, vt annotauimus supra,

93. Respondeo ad tertium, relationem transcendentalem posse esse ad terminum non existentem, imò ad ens rationis, non verò prædicamentalem. Ratio discriminis data est probatione secundâ præcedenti; & maximè patet in scientia, & habitibus cognoscitiuis: ipsi enim dependent tantùm à realibus actibus circa propria objecta, qui cum possint versari circa ens in potentia, imò circa ens rationis, non minùs, quàm circa ens reale, aut actu existens, possunt consequenter producere ve-

res, & reales habitus, veram habentes relationem transcendentalem ad hujusmodi objecta.

Respondeo ad quartum, terminum relationis prædicamentalis, & terminum relationis transcendentalis in hoc conuenire, quòd per actualem terminationem nihil intrinsecum acquirant. Nihilominùs cùm relatio prædicamentalis, per accidens resultet ex commensuratione, & proportione extremorum, vt diximus, necesse est in vtroque esse formam aliquam realem, ob quam vnum capax sit talem relationem fundare, & alterum illam terminare vt dixi probatione 3. & ideò terminus debet esse quid reale, & actu existere. Secùs se res habet in denominatione cogniti, amati &c. quando hæc prouenit a relatione transcendentali.

94. Quod spectat ad quartum quæsitum, an terminus debeat dici esse de essentia relationis, Respondendum est affirmatiuè, iuxta sententiam illam, quæ asserit relationem adæquatè identificari cum fundamento, & termino, tunc enim terminus est pars essentialis relationis, vt patet ex prima appendice. Supposito autem quod sit adæquatè idem cum fundamento solo, poterit etiam terminus dici esse de essentia relationis, vel meliùs de conceptu ejus quidditatiuo. Hoc patet ex definitione relationis, quia totum ejus esse est esse ad terminum, tendere ad terminum, respicere terminum; ergo terminus est de illius essentia. Illud enim communiter dicitur esse de essentia rei, sine quo res nec esse, nec concipi, nec definiri potest.

Quia tamen terminus secundùm hanc sententiam, est res à relatione condistincta, nec est pars illius intrinseca, non ita rectè dicitur esse de essentia relationis, ac de illius conceptu quidditatiuo. Eâdem quippe ratione in relatione transcendentali dicitur terminus, qui sæpe non existit, esse de conceptu quidditatiuo, & definitiuo illius, quia res, quæ hâc relatione referuntur, non possunt adæquatè concipi, nec definiri, nisi in definitione addatur id, ad quod ordinantur, vt patet in definitione materiæ, & formæ &c.

SECTIO X.

An terminus relationis sit alia relatio, vel quid absolutum.

95. NOTA pro quæstionis intelligentia, terminum actu terminare relationem, nihil esse aliud, quàm actu respici ab alio, seu esse id, in quod ipsa relatio actualiter tendit: ideòque actu terminare est denominatio extrinseca, petita ex eo quòd relatio tendat in illud, quod dicitur eam terminare: sicut dum paries dicitur actu terminare visionem, est denominatio extrinseca, sumpta ex eo, quòd visio tendat, seu versetur circa parietem.

Cùm ergo relatio prædicamentalis terminetur ab aliquo termino, realiter existenti; neque quodlibet ens indifferenter possit terminare quamcumque relationem, quærimus quid sit id, vi cujus terminus habet, vt possit relationem terminare: quod est quærere rationem formalem terminandi: sicut dum quæritur quid sit illud, vi cujus paries habet vt possit visionem terminare, hoc est quærere formalem rationem terminandi visionem, quod non est aliud, quàm ratio colorati.

Circa quæstionem istam triplex est sententia. Prima Scoti in 1. d. 30. q. 2. numero 9. & communis Scotistarum. Item Suares disp. 47. metaph. sect. 16. Vasquez disp. 159. primæ partis cap. 6. & aliorum multorum, omnem relationem creatam terminari à termino sub ratione absoluti, non verò sub ratione respectiui; seu rationem formalem terminandi in termino esse quid absolutum, non verò relationem oppositam. Verbi gratia rationem formalem, quâ filius est terminus paternitatis, non esse ipsam filiationem, sed generationem passiuam, seu quatenus est genitus à patre.

Secunda sententia, præcedenti omninò opposita, scilicet terminum omnis relationis Prædicamentalis esse formaliter relatiuum, est Caietani 1. p. q. 13. a. 7. Bannez ibidem, dubio vnico ad 2. Complutensium hic disp. 14. q. 6. & aliorum.

96. Tertia asserit terminum, vt respectiuum formaliter, terminare relationem in mutuis; in non mutuis verò, vt absolutum. Ita Masius hic sect. 3. q. 2. Ruvius q. 7. Valentia 1. p. q. 13. disput. 1. puncto 4. sub finem, & alij. Pro hac citatur etiam Ferrariensis 2. contra gent. c. 11. tum à Suares, Ouiedo, Ruuio; tum à Complutensibus: sed malè: sequitur enim ipse primam sententiam: vnde in responsione ad 4. secundæ sententiæ ait, *cùm dicimus relatiuum terminari ad absolutum, intelligi-*

mus, nisi ipsa relatio sit suppositum subsistens, sicut est in diuinis relationibus personalibus. Patet autem quod extra Deum relatio non est suppositum subsistens: & ita extra Deum omnis relatio terminatur ad absolutum, ex mente Ferrariensis.

Dicit præterea, quòd quando accipitur terminus vt definiens relatiuum, hoc est, dum in definitione relatiui ponitur terminus, ad quem tendit relatio, tunc oportet ponere relationem in termino, in quouis modo relatiuorum: in primo quidem, & secundo realem; in tertio verò rationis, quia non possumus concipere aliquid sub ratione termini, relatiuum definientis, nisi ipsum cum quodam ordine ad ipsum relatiuum apprehendamus: sed propter hoc non dixit in relatiuis tertij modi terminum terminare sub ratione relatiui formaliter relatione rationis, ergo neque in duobus alijs sub ratione relatiui relatione reali.

Cæterùm tres istæ sententiæ argumentis non contemnendis nituntur, quæ eas efficiunt probabiles. Ista autem vltima quoad primam sui partem ijsdem vtitur probationibus, atque secunda: quoad alteram verò, ijsdem, quibus prima refellit fundamenta secundæ: & ita vbi semel duas extremè oppositas problematicè sustinuerimus, tertia quoque in vtramque partem probabilis relinquetur. Sit igitur.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Terminum sub ratione absoluti terminare relationem.

97. PRIMVM hujusce opinionis argumentum, istud esse potest. In relationibus tertij generis, seu in non mutuis, terminus non potest terminare sub ratione respectiui, sed vt est quid absolutum: ergo neque in alijs terminat sub ratione respectiui.

Antecedens est certum, quia in hujusmodi relationibus terminus nullam habet relationem ex parte rei, alioqui relatio esset mutua. Ergo cùm Deus *v. g.* terminat relationem creaturæ ad se, & scibile relationem scientiæ, debent illam terminare formaliter per aliquid absolutum.

Consequentia autem probatur in relationibus mutuis: quia si in non mutuis terminus vt absolutus, intelligitur sufficienter aptus ad terminandam relationem fundamenti, ergo & in mutuis intelligitur ad hoc sufficienter aptus absque relatione: ita vt, etiam si non mutuò referretur, non minùs terminaret relationem oppositam, quod euidenter patet in sententia D. Thomæ 3. parte, q. 35. a. 5. Vbi ait Christum terminare relationem maternitatis Beatæ Virginis, absque reali filiatione in se existente: quod signum est in relationibus etiam mutuis, qua-

les sunt naturâ suâ maternitas, & filiatio, relationem esse superfluam ex parte termini, ad formaliter terminandum: ideòque ipsum terminare vt quid absolutum.

98. Respondeo negando primum antecedens, quod terrere solet nouicios, inquit Cajetanus, pro quo soluendo non quærit ipse latibula pro more, vt ei improperat Mendosa, sed ex ipso Aristotelis textu claram solutionem eruit. Aristoteles enim 5. metaph. c. 15. expressè ait, relatiua tertij modi esse per se ad aliquid, & esse ad aliquid per se secundum vtrumque extremum, quandoquidem ait, in illis vnum dici ad aliud, quia revera est ad aliud, hoc est, per denominationem intrinsecam: alterum verò dici ad aliud, quia aliud dicitur ad ipsum, & consequenter per denominationem extrinsecam, sumptam à relatione existente in altero extremo; sicut paries dicitur visus realiter extrinsecè ex eo quòd visio existens intrinsecè in oculo, terminata est ad ipsum: & agens denominatur formaliter, & realiter agens ab actione, quæ ex communiori sententia recipitur in passo distincto.

Itaque ex eo ipso quòd creator terminat relationem creaturæ, & scibile relationem scientiæ, & Christus relationem maternitatis in Beata Virgine existentis, eo ipso sunt formaliter ad aliquid, independenter ab intellectu, alioquin esset contradictio in verbis Aristotelis. Et consequenter cùm non habeant relationem sibi inhærentem, debent esse ad aliquid per denominationem extrinsecam relatiuam, à relatione extremorum oppositorum prouenientem: Vnde per eam constituuntur proximè in esse formali termini, quia per eam constituuntur formaliter in esse oppositi, & correlatiui; & id quod sunt, aliorum sunt; atque adeo per eam terminant formaliter relationem sui oppositi. Et quamuis in eis sit realis, & intrinseca perfectio, per quam intelliguntur proximè apta ad hujusmodi relationem terminandam: hæc tamen perfectio non est formalis ratio terminandi, sed tantùm materialis, & radicalis. Vnde soluta manet probatio consequentiæ.

99. Secundùm tertiam autem sententiam datur ratio, cur in mutuis terminus sit formaliter relatiuus, non verò in non mutuis: quia mutuæ sunt perfectæ, quatenus perfectam oppositionem relatiuam includunt scilicet ex vtraque parte: non mutuæ verò sunt imperfectæ, quoad hoc; & ita materiales tantùm terminos habent, non formales, quia in vno tantùm extremo reperitur relatiua oppositio.

Vnde scibile, sensibile, & alia relatiua tertij modi possunt denominari dupliciter à relatiuis oppositis, primò passiuè, & terminatiuè tantùm; secundò relatiuè. Prima denominatio est realis, & extrinseca, sumpta ex eo quòd scientia versetur circa scibile, tanquam circa proprium objectum per relationem transcendentalem; & tanquam circa propriam mensuram per relationem prædicamentalem. Secunda denominatio est tantùm rationis, quatenus intellectus non potest intelligere aliquid relatiuè

relatiuè dici ad alterum, nisi illud alterũ sub opposita habitudine intelligat, vt ait D. Thomas in 1. sent. d. 30. q. 1. a. 3. & notat Ferrariensis 2. contra gent. c. 11. Vnde relatio creaturæ est hoc modo causa denominandi Deum creatorem, Dominum, &c. sed non forma proximè denominans ipsum relatiuè formaliter, sed tantùm terminatiuè, & fundamentaliter, quia scilicet terminat relationem creaturæ ad ipsum, & ex hoc habet vt possit intelligi cum opposita relatione ad creaturam: per quam denominatur formaliter relatiuè, quod etiam docet D. Thomas 1. p. q. 13. a. 7.

Et sic ad authoritatem Aristotelis respondetur scibile, sensibile &c. dici per se ad aliquid, non correlatiue, sed terminatiuè, tanquam terminì per se connexi cum relationibus oppositis; & fundamentaliter, quatenus concipiuntur à nobis cum relatione rationis opposita, & ex eo quòd alia referantur ad ipsa.

100. Instabis primò contra primam responsionem: si in relationibus non mutuis terminus terminaret sub ratione respectui, omnia relatiua essent simul naturâ, vt constat: at hoc est falsum, & contra Aristotelem hoc capite, textu 5. vbi ait hoc quibusdam non conuenire, & pro exemplo affert sensibile, & sensum; scibile, & scientiam. Ergo saltem in non mutuis terminus est quid absolutum.

Respondeo in primis, patere in ipso textu Aristotelem loqui dubitanter, & vti verbo *videtur*. Deinde paulò antea simili modo dixit omnia relata dici ad conuertentiam, vt seruus domini seruus, & dominus serui dominus, & statim subdit exempla, in quibus hoc non contingit, vt ala, & auis: non enim auis est quidquid habet alas. Sed hoc inquit accidit ex eo quòd non rectè assignetur correlatiuum.

Idem ergo dicendum hic est, omnia nimirum relatiua esse simul naturâ: & si hoc in aliquibus videtur verum non esse, inde prouenit, quia correlatiua non sunt rectè assignata: vt patet in scibili, & scientia. Nam scibile secundùm modum suæ significationis est prius scientiâ, quia scientia dicitur secundùm habitum, aut actum; scibile autem secundùm potentiam. Si autem vtrumque sumatur secundùm actum, tunc erunt simul naturâ: nam quod est scitum, est aliqua scientia scitum.

Quapropter, vt optimè docet D. Thomas 1. p. q. 13. a. 7. ad 6. ad cognoscendum vtrum relatiua sint simul naturâ, vel non, oportet considerare non ordinem rerum de quibus relatiua dicuntur, sed significationes ipsorum relatiuorum. Vnde, quamuis Deus sit prior creaturis tamen quia in significatione domini clauditur quòd habeat seruum, & econuerso, ista duo relatiua *dominus*, & *seruus* sunt simul naturâ: & ita Deus non fuit dominus antequam haberet creaturam sibi subjectam.

101. Instabis secundò, inde sequi primò nullam relationem prædicamentalem esse non mutuam. Secundò rationem formalem terminandi esse posteriorem ipsâ relatione quam terminat: quod constat esse falsum. Probatur sequela, quia cùm Aristoteles dicat scibile dici ad scien-

tiam, quia scientia dicitur ad ipsum, interuenit ibi quædam causalitas, & aliquis ordo prioritatis, eo quòd prius est scientiam referri ad scibile, quàm scibile denominetur extrinsecè ad scientiam: atque adeò relatio erit prior hujusmodi denominatione extrinsecâ, quæ est ratio formalis terminandi.

Respondeo ad primum cum Cajetano, relatiua tertij modi non esse mutua quoad realitatem, seu intrinsecè, quia relatio realis existit tantùm in vno extremo: posse tamen dici absolutè mutua, quia vtrumque extremum, id ipsum quod est, ad aliud est; licet diuerso modo. Et hoc patet ex Aristotele 6. top. c. 12. his verbis, *omne enim scibile ad scientiam dicitur. similiter autem & in alijs, quoniam omnia relata reciprocantur.* Et in postprædicamentis c. 10. ait, *scientia quoque scibili opponitur vt ad aliquid, diciturque scientia id ipsum est, ipsius scibilis; & scibile quoque id ipsum quod est ad oppositum dicitur, nempe scientiam; nam scibile dicitur aliquo scibile, nimirum scientiâ.* Idem habet D. Thomas q. 7. de potentia, a 11. ad 1. & hoc nihil facit contra ea quæ diximus suprà Deum non referri ad creaturas, quia debent intelligi de relatione ipsi intrinseca.

Respondeo ad secundum, hujusmodi particulam causalem indicare solummodo necessariam connexionem, & concommitantiam vtriusque denominationis, & esse modum loquendi veluti formalem, ac si diceres *paries est albus, quia habet albedinem*, cùm reuera non habeat priùs albedinem, quàm sit albus. Item, *paries videtur, quia visio circa eum versatur*: cùm tamen visio non prius versetur circa parietem, quàm paries videatur. Denique in ipsis etiam relatiuis mutuis vtimur sæpe simili modo loquendi, vt cùm dicimus, *est pater, quia habet filium: est seruus quia habet dominum.* In quibus denotatur omnimoda simultas naturæ, & concomitantia extremorum.

102. Instabis tertiò: vel relatio, quâ Deus terminat relationem creaturæ, & quâ realiter ad creaturam correfertur, est eadem cum relatione creaturæ ad ipsum, vel diuersa? non diuersa, quia sic esset relatio in vtroque extremo contra suppositionem: & contra Aristotelem, qui ait scibile referri ad scientiam, quia scientia refertur ad ipsum: & ita vtrumque eandem relationem importat. Non est etiam eadem: tum quia vna simplex forma non potest dare diuersis subjectis tam diuersas denominationes, quales sunt *dominus, & seruus: scientia, & scibile*: tum quia simili modo filiatio posset denominare filium intrinsecè filium, eumque ad patrem referre: & ipsum patrem extrinsecè patrem, & eam refetre ad filium, quæ sunt valde absurda. Tum denique quia relatio creaturæ tendendo ad Deum, vt relatum per eam, tenderet ad seipsam, contra definitionem, quâ totum ejus esse est ad aliud; & idem relatiuum esset subjectum, & terminus ejusdem relationis. Ergo necesse est dicere Deum esse terminum formaliter per aliquid absolutum: & ita de alijs relatis non mutuis.

Respondeo Deum constitui in esse relatiui per eandem relationem, per quam creatura refertur ad ipsum, sed diuerso modo: quia creatura per eam constituitur intrinsecè relata; Deus autem extrinsecè: sicut per eandem actionem denominatur agens extrinsecè, & passum intrinsecè: & opus factum ab homine, denominatur extrinsecè humanum ab humanitate, quæ est inrrinsecè in homine. Vnde hujusmodi diuersitas afficiendi vtrumque extremum, sufficit ad hoc vt vna relatio concipiatur ad modum duplicis formæ: sicut in actione diuersitas afficiendi agens, & passum, sufficit vt eadem entitas tanquam duplex concipiatur, & diuersa constituat prædicamenta. Et ita soluta est prima probatio antecedentis.

103. Secunda verò nihil vrget. Nam in sententia D. Thomæ, maternitas denominat intrinsecè Beatam Virginem matrem, & Christum extrinsecè filium. Vt quis autem dicatur intrinsecè pater, aut filius, requiritur vt habeat in se relationem paternitatis, aut filiationis.

Ad tertiam dico, relationem esse formalem rationem terminandi, seu vt *quo*: compositum autem ex relatione, & termino materiali, esse terminum vt *quod*. Quare dum relatio creaturæ coniungitur per extrinsecam attingentiam, seu denominationem cum Deo, vt termino materiali, sufficienter distinguitur à seipsa, quatenus est conjuncta intrinsecè fundamento, ad hoc vt dicatur ad aliud, & vt possit seipsam hoc modo terminare vt *quo*, & vt ratio formalis terminandi,

Hoc potest confirmari ex sententia, quæ ait relationem esse adæquatè idem cum fundamento, & termino, de qua numero 77. Quamuis enim eadem sit relatio in vtroque extremo: tamen sufficienter distinguitur terminus à fundamento, quatenus, dum vnum extremum sumitur vt terminus, significatur in obliquo, & vt id, ad quod aliud tendit: quatenus verò aliud sumitur vt fundamentum, significatur in recto, & vt id, cui relatio superuenire intelligitur, ut ibidem explicatum est. Hoc argumentum latiùs prosequutus sum, quia cæteris difficilius apparet.

104. Secundum argumentum hoc idem probat directe in relationibus mutuis. In his enim illud quod est in fundamento ratio formalis fundandi propriam relationem, est in eo ratio formalis terminandi relationem oppositam: sed illud est quid absolutum quatenus est ratio formalis fundandi, ergo est quid absolutum prout est formalis ratio terminandi.

Probatur major. Nam illud est ratio fundandi relationem in fundamento, per quod redditur causa proxima, ob quam relatio conuenit fundamento: ergo similiter illud est in fundamento ratio terminandi relationem oppositam, per quod redditur causa proxima, ob quam fundamentum terminat relationem oppositam: sed hoc vtrumque idem est. Si enim quæratur cur paries albus *A* refertur ad parietem album *B*. rectè respondetur, quia habet albedinem ejusdem rationis cum ipso: & si quæratur cur terminat relationem similitudinis parietis *B*. rectè respondetur,

quia habet albedinem sicut ille, non verò quia est illi similis. Pari ratione si quæratur cur Petrus pater refertur ad Paulum filium relatione paternitatis, rectè respondetur, quia ipsum genuit: & si quæratur cur idem Petrus terminat relationem filiationis, ipsius Pauli, rectè respondebitur, quia ipsum genuit. Idemque in cœteris relatiuis mutuis cernere licet. Eadem ergo ratio est fundandi propriam relationem, & terminandi oppositam: & ita cum ratio fundandi sit quid absolutum, vt constat apud omnes; ratio quoque terminandi erit quid absolutum.

Respondeo concedendo rationem fundandi relationem in fundamento, esse rationem terminandi relationem oppositam radicalem, non verò proximam, & formalem. Vnde ad quæstiones ipsas rectè respondetur vt dicitur in argumento, modò intelligatur responsionem fieri tanquam per rationem terminandi radicalem, tantùm: hæc enim est quid absolutum, ex quo oritur, & super quo fundatur ratio formalis, ipsa nimirum relatio, per quam relatiuum per se primò opponitur alteri, & ad illud correfertur. Vt in datis exemplis ratio radicalis terminandi filiationem Pauli est potentia generatiua Petri, aut generatio ipsa, supra quam fundatur paternitas: ratio verò formalis est ipsa paternitas: & ita de alijs.

105. Tertiũ argumentum petitur ex communi effato, quo dicitur, posito fundamento, & termino resultare relationem: ergo terminus vnius relationis non potest esse relatio opposita. Probatur consequentia, quia relationes oppositæ sunt simul naturâ ex Aristotele: quod autem resultat ex alio, supponit illud prius. Igitur terminus relationis erit in se proximè constitutus in actu primo antequam relatio resultet, sicut fundamentum intelligitur proximè constitutum in esse fundamenti antequam recipiat relationem, atque adeò constituetur in esse termini per aliquid absolutum.

Respondeo communem illum modum loquendi: non esse aptum si intelligatur de termino, formaliter sumpto: bene autem si intelligatur de termino materiali, & radicaliter sumpto. Cùm enim terminus formalis sit purus terminus relationis, nec vllum causalitatis genus in illam exerceat, vt adnotatum est numero 20. non potest rectè dici quòd relatio resultet in illo vel pendeat ab illo, quia illæ propositiones indicant prioritatem, & causalitatem aliquam. Poterit tamen dici quòd dependeat ad terminum, vt loquitur D. Thomas opus. 37. cap. 1. quia totum esse relationis est ad terminum, & terminus formaliter sumptus, est de quidditatiuo ejus conceptu, vt dictum est numero 94. ideoque vt sic, non debet præintelligi in actu primo constitutus antequam resultet relatio. Secùs se res habet in fundamento, quia ipsum habet rationem causæ respectu relationis; & relatio habet *esse in* respectu illius sicut cœtera accidentia, ideoque præsupponi debet ante relationem in ratione formali fundamenti.

106. Quartum argumentum. Relatio patris ad filium, est relatio

causæ ad effectum, quia in actione fundatur: ideo enim refertur ad filium, quia illum genuit, & ita refertur in ratione causæ ad effectum. Sed substantia filij geniti est effectus patris, non verò filiatio propriè: tum quia ad relationem non datur per se motus 5. Physic. c. 2. tum quia filiatio esset hoc modo prior paternitate, eoquòd effectus debet esse priùsquàm resultet relatio ad ipsum in fundamento: & ita prius produceretur filiatio à patre, quam in ipso resultaret paternitas, quòd est falsum. Necesse est ergo dicere substantiam filij geniti esse terminum paternitatis, non verò filiationem.

Respondeo concedendo paternitatem, & filiationem esse relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam: sed non inde sequi paternitatem terminari ad substantiam geniti, vt ad rationem formalem terminandi, sed vt ad materialem, radicalem, causalem. Rectè enim dicitur ideò patrem referri ad filium, quia ipsum genuit, eoquòd generatio est ratio, & causa fundandi talem relationem: at in filio ratio formalis terminandi paternitatem est ipsa filiatio, quia per eam opponitur illi formaliter vt correlatum.

Adde quòd si substantia geniti esset formalis terminus paternitatis, terminus in ratione formali termini esset prior relatione, quam terminat, quod est falsum, quia cum sit de conceptu quidditatiuo relationis, vt supra visum est, oportet vt sint simul naturâ, & cognitione.

107. Quintum argumentum. Relatiuum non potest exactè cognosci, & definiri, nisi per terminum oppositum, ex communi consensu: ergo si terminus vt sic, est formaliter relatiuus, alterum relatiuum debebit definiri per ipsum, vt formaliter relatiuum: sed hoc est falsum, & contra naturam veræ definitionis: ergo falsum quoque est quòd terminus, vt terminus sit formaliter relatiuus.

Probatur minor primò, quia legitima definitio debet tradi per priora, & notiora vt communis est consensus, & traditur ab Aristotele 6. topic. c. 4. *cùm*, inquit, *definitio tradatur eius, quod dictum est, cognoscendi causa: cognoscamus autem non ex quibusuis, sed ex prioribus, & notioribus sicut in demonstrationibus manifestum est eum, qui non ex his definiuit, non definiuisse.* At vnum relatiuum formaliter sumptum, non est prius, & notius correlatiuo vt sic, quia hæc sunt simul naturâ, & cognitione ex Aristotele hic, & patet: dum enim definitur pater per filium, filius est æquè ignotus, cùm de eo nihil cognoscamus nisi per patrem. Adde quòd idem esset notius, & ignotius eodem, imò seipso: nam cùm definitur pater per filium, filius debet esse notior patre: & rursus cum filius definitur per patrem, pater debet esse notior filio: atque adeò pater est notior dum definit filium, & ignotior, dum definitur per filium: & sic idem est notius, & ignotius seipso.

108. Probatur secundò eadem minor, quia si relatiuum definitur per correlatiuum formaliter, committitur vitiosus circulus, quo in pri-

mis idem definitur per seipsum, & deinde in sui ipsius definitione repetitur. Nam si pater definitur per filium, & filius per patrem; duplum per dimidium, & dimidium per duplum, idem reuera definitur per seipsum, & in sui definitione ponitur. Aristoteles enim 2. Topic. c. 2. & lib. 6. c. 4. ait licere in definitione, loco nominis seu partis alicuius, ponere ipsius definitionem, vt in definitione hominis, loco animalis licet ponere definitionem animalis, nimirum viuens sensitiuum. Igitur dum pater definitur *qui habet filium*, loco *filij* licebit ponere hanc filij definitionem *filius est qui habet patrem*, & ita contexere patris definitionem, *pater est, qui habet eum, qui habet patrem*. Quod vetat Aristoteles 5. Metaph. c. 15. his verbis, *intelligibile significat quòd eius est intellectus: non est autem intellectus ad illud cuius intellectus est: idem enim profecto bis dictum esset. similiter & visus, cuiusdam est visus, non cuius est visus (etsi verum est hoc dicere) sed ad colorem.*

Probatur denique, ex eo quòd terminus habet rationem specificantis respectu relationis, vt dicemus infra: quod autem specificat, habet rationem causæ respectu specificati: ergo debet esse prius aliquâ prioritate: terminus autem vt respectiuus, non est prior relatione oppositâ; ergo vt relatiuus non potest esse terminus illius, neque, vt sic, poni in ejus definitione.

109. Respondeo negando minorem, quòd scilicet relatiuum non debeat definiri per terminum. vt formaliter relatiuum. Ad primam ejus probationem, ex Aristotele sumptam, dico hoc esse intelligendum de relatiuis, quod patet eodem sexto libro, paulò post citata verba, vbi ait tres esse locos ad probandum definitionem non esse ex prioribus: primus est si oppositum per opposita definiuit, quoniam opposita sunt simul naturâ: deinde subjungit. *oportet autem non latere quædam fortasse aliter definiri non posse; vt duplum sine dimidio, & quæcumque per se ad aliquid dicuntur. Nam omnibus huiusmodi idem est esse ei quod ad aliquid quodammodo se habere: quare non est possibile sine altero alterum cognoscere: proinde necesse est, vt in alterius definitione alterum quoque comprehendatur.* Quibus verbis ostenditur vnum relatiuum debere definiri per correlatiuum formaliter: vt sic enim sunt opposita, vt duplum, & dimidium, atque simul naturâ.

Non est igitur necesse in hujusmodi definitionibus, vt vnum relatiuum sit notius, vel prius alio, quia vnum ponitur præcisè vt terminus alterius, & vt extrinsecum additamentum, non verò vt pars intrinseca definiti: vnde sufficit vt sit æquè notum, modò ex ipso, & ex alijs definitionis partibus consurgat integra definitio, ipso definito notior. Et ita non sequuntur absurda, quæ in eadem probatione adduntur. Lege q. de specie numero 3.

Ad secundam verò probationem respondeo hujusmodi circulum non esse vitiosum, quia non est ita vniformis, vt relatiua se eodem omninò

modo definiant, quia vnum significatur modò in recto, & alterum in obliquo; modò econuerso: & esse filium, seu habere patrem, & esse ad patrem, non est idem ac esse patrem, seu habere filium, seu esse ad filium, vt per se notum est.

110. Ad id autem, quod ait Aristoteles, licere in definitione, loco nominis ponere definitionem rei per nomen significatæ, respondeo hoc verum esse quando res significata per nomen, est pars intrinseca definiti, quia cùm componat per se definitum, perinde est quod ipsa ponatur nomine proprio, vel ejus definitio continens propriam ejus naturam: secùs quando non habet rationem partis intrinsecæ definiti, sed ponitur tantùm vt additum extrinsecum, vel vt terminus, vel vt oppositum. Tunc enim non potest poni in definitione, nisi sub hac significatione, & sub his conditionibus vt per se patet.

Vnde cùm hoc modo ponatur alterum relatiuum in definitione alterius, quatenus scilicet ei opponitur relatiuè, & illud extrinsecè terminat, non verò quasi illud intrinsecè componens per propriam naturam: consequenter non potest loco eius poni propria definitio, quæ continet naturam propriam illius. Deinde relatiuum non habet rationem termini, vt respicit aliud relatiuum, sed vt ab eo respicitur, seu provt est aliquid in se aptum ab alio respici. Non debet ergo assumi definitio ejus vt relatiuum est, sed tantùm vt est terminus, quod est tantùm denominatio extrinseca. Denique tunc in definitione termini includeretur relatiuum oppositum, quod ita seipsum terminaret, sibique opponeretur, quod est absurdum.

111. Alium Aristotelis locum interpretatur Vasquez 1. p. disp. 104. c. 2. ad sensum objectionis: scilicet ideo aliquid vocatur intelligibile, quia circa illud versari potest intellectus: intellectus autem non refertur ad intelligibile, vt intelligibile, quia diceretur etiam referri ad id cujus est intellectus, & sic idem bis diceretur, hoc est fieret repetitio inutilis, cùm definitum in definitione ipsa repeteretur hoc modo *intellectus est qui est ad id, cuius est intellectus*: hoc est ad intelligibile. Sed rem acu non tetigit. Ibi enim non loquitur Aristoteles de definitione vnius relatiui per alterum: & quamuis hoc ita esset, iam solutionem haberet hæc authoritas ex præcedenti: quia si definitio *intelligibilis* hæc est, *cuius est intellectus*, non licet illâ vti hoc modo, *intellectus est qui est ad id, cuius est intellectus*, ob rationem iam traditam, sed potius, *intellectus est qui est ad intelligile, visus ad visibile*, sicut *pater qui est ad filium*; non verò *pater est, qui est ad eum, qui est ad patrem.*

Legitimus tamen sensus illius textus est, quem affert D. Thomas ibi lectione 17. & Cajetanus 1. p. q. 32. a. 2. ante responsionem ad 2. quòd nimirùm intellectus, quatenus ad aliquid dicitur, non refertur ad subjectum, cujus est intellectus, nempe ad intelligentem, sed ad intelligibile sicut ad objectum: neque visus ad videntem, sed ad objectum,

quod est color, alioquin bis diceretur ad aliquid: & ita cùm esse relatiui sit ad aliud se habere sequeretur quòd idem haberet duplex esse ad duos terminos totales. Potest tamen rectè dici quòd intellectus sit intelligentis: & visus videntis, vt ait in textu Aristoteles; non vt intellectus, aut visus, quia sic denominatur in ordine ad obiectum intelligibile, & visibile; sed in quantum est accidens, vel potentia videntis, & intelligentis. Relatio enim respicit aliquid extra, non autem subiectum: nisi in quantum est accidens.

Ad tertiam denique probationem respondeo terminum radicaliter sumptum habere rationem specificatiui ipsius relationis, modo inferius explicando, & vt sic habere rationem aliquam causæ respectu relationis: formaliter verò sumptum non sic specificare: ideoque vt ex Alberto magno notat Cajetanus loco citato primæ partis, relatiuum non definitur, propriè loquendo, per terminum, sed ad terminum, quia non habet esse per terminum in aliquo genere causæ, sed ad terminum.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Terminum relationis esse formaliter relatiuum.

112. PRIMVM hujusce partis argumentum nititur authoritate Aristotelis hoc præsenti capite vbi ait *si seruus ad hominem dicitur, circunscriptis omnibus alijs quæ accidunt domino, vt esse bipedem relicto tantummodo esse dominum semper seruus ad ipsum referetur.* Et paulò post. *Circunscribatur ab homine eum esse dominum seruus non amplius referetur ad hominem quia nisi sit dominus, non est seruus.* Ex quibus patet de mente Aristotelis dominum terminare relationem serui, formaliter vt dominus est, quandoquidem sublatâ solâ ratione domini, etiam si cœtera remaneant, non potest amplius hujusmodi relationem terminare. Idemque de cœteris relatiuis indicium esse debet. Huic authoritati calculum addit Porphyrius capite de specie, dans rationem quare genus per speciem, & speciem per genus definierit, hoc modo: *nosse oportet quod cùm genus alicuius sit genus, & species alicujus sit species, vtrumque vtriusque, necesse est in vtriusque definitionibus vtrisque vti.*

113. Respondeo ad primum locum, reuera seruum non respicere dominum quatenus bipedem &c. Sed quatenus dominum fundamentaliter: quia homo non terminat seruitutem alterius hominis, nisi quatenus est fundamentum proximum relationis dominij, seu quatenus habet potestatem

tem coercendi alium hominem, sibi subditum; quo fundamento sublato alter non refertur ad ipsum, quia seruus non est qui non habet dominum. Vnde nota Aristotelem non dicere relictâ solâ ratione dominij, sed relicto domino in concreto, quod includit relationem, & fundamentum, ad quod fundamentum terminatur relatio serui.

Ad secundum locum respondet Vasquez 1. parte. disput. 159. cap. 6. num. 28. nolle Porphyrium genus definiendum esse per speciem, quatenus species est correlata generi, hoc est quatenus illi subijcitur, sed quatenus aliâ ratione de pluribus differentibus numero prædicatur. Sed videtur non aduertisse textum Porphyrij dum dixit, species est id quod subijcitur generi, & de quo genus hoc ipso *quid est*, prædicatur; vbi patet definiri genus per speciem tanquam per subjectum, de quo prædicatur, & consequenter prout species respicit ipsum genus; non verò quatenus respicit inferiora, numero differentia.

Respondeo igitur speciem, per quam genus definitur, duo includere: nempe relationem subijcibilitatis, & naturam, cui talis inest relatio, quæcumque sit illa natura. Relatio generis terminatur ad naturam formaliter, non uerò ad relationem naturæ; sicut relatio dominij terminatur ad hominem subditum, non verò ad relationem seruitutis. Quidquid interim sit de modo definiendi vnum relatiuum per aliud, de quo in sequentibus argumentis.

114. Secundum argumentum. relatiua vt relatiua sunt formaliter, sibi opponuntur relatiuè; ergo vt relatiua sunt formaliter, se se terminant. Consequentia est clara, quia oppositio relatiua, necessariò includit vtramque rationem, referendi scilicet, & terminandi; quia cum relatio sit ad aliud, non potest intelligi vnum respicere aliud, quin istud respiciatur: respici verò ab alio, est terminare relationem ejus. Igitur si relatiua vt formaliter relatiua, sibi opponantur relatiuè, necesse est vt se quoque terminent, quatenus relatiua sunt formaliter.

Probatur verò illud antecedens, quod relatiua vt sic, opponantur sibi relatiuè, primò ex Aristotele in postprædicamentis cap. 10. dum ait, *quæcumque opponuntur vt ad aliquid* hoc est vt relatiua, *id ipsum quod sunt, oppositorum dicuntur, vt duplum dimidij*. Hoc autem modo opponi, est opponi formaliter quatenus relatiuum, vt per se patet. Secundò, quia relatiua non opponuntur sibi relatiuè per fundamenta, quæ secundùm se absoluta sunt: est enim contradictio in terminis. Tertiò oppositio contraria, est inter contraria formaliter, eodèque modo se habent oppositio contradictoria & priuatiua; ergo relatiua est inter relatiua vt sic. Quarrò si relatiua vt sic, solùm exercent munus referendi, non autem terminandi, oppositio relatiua, quæ vtrumque munus includit, non erit adæquate in genere relationis, sed ejus limites egredietur; atque adeò non erit propriè oppositio relatiua.

Pro responsione nota duplicem posse distingui oppositionem inter

relatiua, alteram inter relationem, & terminum ad quem tendit; alteram inter relationem vnius extremi, & relationem alterius; quando scilicet relatio est mutua, prima oppositio, est vera oppositio relatiua, quia conuenit relationi, vt sic, & consequenter omnibus relatiuis etiam non mutuis; & in hoc posita est, quod relatiuum vt sic, & terminus ejus ex proprijs rationidus, & conditionibus necessariò exigant distinctionem inter se, quia relatiuum respicit aliud, & non seipsum. Secunda verò oppositio, quæ est inter relationes ipsas, non consistit in hoc quòd vna respiciat aliam tanquam terminum, sed in incompossibilitate ad esse simul in eodem, quæ incompossibilitas prouenit ex eo quòd formale fundamentum vnius est formalis terminus alterius, & viceuersà. Vnde cùm non possit idem esse fundamentum, & terminus respectu ejusdem, ideo hujusmodi duæ relationes oppositæ non possunt simul eidem inesse; quo fit vt hæc oppositio sit veluti formalis, quâ vna forma expellit aliam ex eo in quo, est vt albedo nigredinem: potest tamen vocari relatiua, quia est inter relationes. His positis.

115. Respondeo negando primum antecedens, si per relatiua formaliter, intelligantur ipsæ relationes ad inuicem comparatæ: est enim oppositio potiùs formalis, quàm relatiua, vt explicatum est, & patet in relatiuis non mutuis, quæ non possunt dici opponi relatiuè, quatenus formaliter relatiua sunt, quandoquidem in vno extremo nulla est relatio.

Ad primam probationem illius antecedentis dicitur Aristotelem nihil ibi determinare de termino formali relationis, sed tantùm velle oppositionem relatiuam reperiri inter ea, quæ id ipsum quod sunt aliorum dicuntur. Quod verum est. Nam scientia dicitur alicuius scibilis scientia, licet scibile, non possit terminare relationem scientiæ vt relatiuum formaliter, cum ex Aristotele non referatur ad scientiam per relationem, quam in se habeat.

Ad secundam probationem dicitur relatiua opponi per fundamenta non nuda, sed prout in alterutro saltem extremo relationem supponunt, vt Petrus informatus relatione paternitatis, opponitur relatiuè Paulo, à se genito: & Paulus informatus filiatione opponitur relatiuè Petro, vt genitori: secùs si sumerentur præcisè vt duo homines, & vt quid vtrinque absolutum.

Ad tertiam respondetur. oppositionem relatiuam in relatiuis mutuis esse inter relatiua vt sic concretiuè sumpta, quia non possunt dici mutuò opponi relatiuè, nisi in his supponatur esse relatio, vt explicatum iam est, & ita vtrumque simul, nempe relatio vt *quo*, & fundamentum vt *quod*, opponuntur termino relatiuè. Vel oppositio relatiua est inter relatiua vt sic, partialiter & quoad munus referendi, concedo; totaliter & quoad munus terminandi, nego, quia non magis terminant formaliter per relationes, quàm in non mutuis.

Ad quartam dicitur oppositionem relatiuam esse per se, & directè in

prædicamento relationis quoad munus referendi; indirectè verò & reductiuè, tanquam quoddam additum secundum munus terminandi. Quod est dicere vnum extremum illius oppositionis nempe relationem per se poni in genere relationis, aliud verò nempe terminum non poni nisi reductiuè. Et certè fundamentum ejus non alio modo ponitur: nec major debet esse ratio de vno, quàm de alio: neque ob id oppositio ista non debet dici relatiua, cùm sit inter ea, quæ id ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur.

116. Tertium argumentum. Relata sunt simul cognitione, & definitione ex Aristotele hic: sed si relatio terminaretur ad absolutum, non essent simul cognitione, sufficeret enim ad cognoscendum patrem, cognoscere genitum sub ratione absoluti, & non vt respicit patrem: ergo relatio debet terminari ad relatiuum formaliter.

Respondeo relata dici simul cognitione, quia relatio vnius extremi non potest cognosci nisi dependenter à termino suo, vt sic, hoc est secundum propriam rationem terminandi: non autem quod terminus ejus sit alia relatio, vt patet in non mutuis: vnde ad hoc vt cognoscatur relatio seruitutis creaturæ ad Deum, non oportet cognoscere relationem realem dominij in Deo, quia ex probabiliori sententia, nulla est: sed sufficit, cognoscere ipsum vt dominum realiter.

Nota ex D Thoma q. 7. de potentia a. 10. ad 4. & Ferrariensi 2. contra gentiles cap. 11. hoc nomen, *dominus*, tria importare, scilicet potentiam coërcendi subditos, ordinem domini ad subditos, & terminationem ordinis subditorum ad dominum. Deus dicitur realiter dominus creaturæ ratione primi, & tertij: habet enim potestatem superiorem, per quam potest coërcere creaturam, & de ea prout libet, disponere: & inde est quòd terminet seruitutem, seu realem subjectionem eius ad ipsum, dicaturque dominus terminatiuè, & intrinsecâ denominatione ab hujusmodi relatione seruitutis ad ipsum terminata. Ad hoc ergo vt cognoscatur relatio creaturæ ad Deum, ipse debet cognosci vt dominus hoc vtoque modo; quatenus nimirum habet potestatem illam superiorem, & per eam terminat relationem creaturæ: quia, vt supra visum est, terminus est de conceptu quidditatiuo relationis, & ideo non potest cognosci relatiuum vt relatiuum, nisi vt formaliter terminatum, ac proinde est simul cognitione cum termino.

117. Nec aliter philosophandum est in alijs relatiuis, etiam mutuis. Cognitio enim relationis alterius extremi non dependet à cognitione relationis existentis in altero, sed tantùm â cognitione illius rei, quæ in extremo opposito vice termini fungitur. Vnde vt cognoscatur relatio paternitatis in Philippo, non est opus cognoscere filiationem in Alexandro; sed sufficit cognoscere Alexandrum, vt genitum à Philippo; sub qua ratione, ipse Alexander terminat paternitatem, & est simul cognitione cum illa. Ipse tamen relationes mutuæ ad inuicem comparatæ, pe-

BIBLIOTECA TOULOUSE UNIVERSITAIRE

culiari quodam modo dici possunt simul cognitione, quatenus intellectus simul videt causam vtriusque in vtroque extremo, vt albedinem in pariete *A.* & pariete *B.* generationem actiuam, & passiuam in Philippo, & Alexandro. Quare sicut ambæ simul oriuntur ex coëxistentia extremorum, ita ex natura rei simul cognoscuntur, cognitis & inter se collatis extremis.

Quod autem de cognitione diximus, de definitione quoque asserendum est: quia definitio est quædam cognitio, & ideo eodem modo sunt simul definitione, quo sunt simul cognitione. Igitur vnum relatiuum debet definiri per aliud non formaliter quatenus correlatiuum est, sed quatenus habet rationem termini, quæ absoluta est vt satis efficaciter probatum est per argumenta alterius partis. Vno verbo relatiua definiri debent per fundamentum & terminum. Sic enim definiuntur ab Aristotele 5. metaph. cap. 15. dum ait *eadem sunt quorum substantia est vna; similia verò quorum qualitas vna; æqualia autem, quorum quantitas vna.* Sic enim partes definitionis priores sunt, & notiores definito. Quod si definiantur per se inuicem, vt relatiua sunt formaliter, erit definitio accidentalis, descriptiua, & quasi à posteriori, quatenus simul sumpta, mutuò se declarant, & manifestant. Oportet tamen hic obiter adnotare relatiua transcendẽtalia mutua definiri ad se inuicẽ vt relatiua sunt, quia se inuicem etiam terminant vt relatiua sunt. Nam materia prima, verbi gratia, respicit, & consequẽter terminatur ad formam substantialem quatenus est perfectibilis, & actuabilis per illam, atque adeò quatenus forma est perfectio, & actus informatiuus materiæ: sed forma sub hac ratione respicit materiam, quia actus informans respicit subjectum seu potentiam informabilem: igitur se mutuò respiciunt, & terminant vt relatiua sunt. Vnde sequitur ea dependere à se inuicem quoad cognitionem, & definitionem: ideoque Aristoteles definit materiam per formam, & formam per materiam. Est enim materia subjectum primum formarum receptiuum, forma verò actus primus substantialis materiæ informatiuus, seu in materia receptibilis. Et ita possunt dici esse simul cognitione, & definitione: vel se habere vt prius, & posterius in diuerso genere causæ, materialis nempe, & formalis, qua de re tangit aliquid Cajetanus 1. p. q. 13. art. 7. ad 2. Scoti.

118. Quartum argumentum est Cajetani loco citato primæ partis. Si terminus relationis esset aliquid absolutum, sequeretur quòd in definitione alicujus creaturæ poneretur deus sub propria ratione absoluta, *v. g.* ad cognoscendam vel definiendam relationem vniuersi ad Deum vt vltimum finem, & relationem cuiusque particularis entis, vt dependentis à Deo per creationem passiuam, oporteret cognoscere entitatem & propriam Dei naturam absolutam. Hoc autem est absurdum, quia cùm non possit, hoc modo cognosci Deus naturaliter, non posset quoque naturaliter talis creatura perfectè cognosci, eo quòd definiti cognitio distin-

cta, & perfecta, dependet à distincta, & perfecta cognitione partium definitionis, sub ea ratione quâ definionem componunt.

Respondeo non esse necessariam perfectam, & exactam cognitionem termini secundùm propriam naturam, & prout in se est, ad hoc vt cognoscatur natura relationis, ad ipsum terminata; sed sufficit vt cognoscatur sub ratione aliqua communi & confusa, aptus ad terminandam hujusmodi relationem.

Ratio est, quia terminus est quid extrinsecum relationi; nec ponitur in definitione ejus tanquam pars intrinseca, & constitutiua; ergo non oportet vt cognoscatur, nisi sub præcisa ratione termini, & sub quadam objectiua capacitate, seu aptitudine ad relationem terminandam; vt est in Deo ratio primæ causæ, ratio vltimi finis, quæ naturaliter à nobis cognosci possunt.

Adde quòd aduersarij in eâdem incidunt difficultatem: non enim potest perfectè cognosci relatio seruitutis creaturæ ad Deum per solam extrinsecam denominationem, qua dicunt ipsum talem relationem terminare, nisi prius cognouerint potestatem illam superiorem, quam Deus habet ad coërcendam creaturam, quia hæc est ratio, & fundamentum cur possit eam terminare. Cùm ergo non possint cognoscere hujusmodi potestatem vt in se est, non poterunt quoque cognoscere perfectè talem relationem.

Denique ex probabili sententia Scoti, multi sunt conceptus Deo, & creaturis vnivocè communes: & ita possumus habere distinctam, & propriam cognitionem Dei quoad illos conceptus, vt sunt ratio causæ, ratio sapientiæ, potentiæ, intellectiui, substantiæ &c. vnde cognoscendo relationem Alexandri ad Philippum patrem, vt ad causam, rectè & propriè possumus cognoscere relationem creaturæ ad Deum, vt ad causam productiuam.

119. Quintum argumentum itidem Cajetani. In diuinis pater terminatur ad filium, vt filius est formaliter, & filius ad patrem, vt pater est formaliter, alioquin cum relatiuum exigat terminum à se realiter distinctum, pater, & filius distinguerentur secundùm aliquid absolutum, quod est falsum, & contra commune Theologorum effatum, *in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Ergo similiter in creatis terminus erit formaliter relatiuus: nam relationes diuinæ, & creatæ conueniunt in ratione & definitione communi relationis, & in vtsque reperitur perfecta ratio oppositionis relatiuæ.

Respondent aliqui relationes istas diuinas esse transcendentales, quia relatio prædicamentalis est accidentaria fundamento proximo, seu immediato: transcendentalis verò est à parte rei idem cum essentia, & entitate fundamenti proximi: ita vt res transcendentaliter relata respiciat terminum per suam met entitatem & essentiam, vt iam dicebamus, sic autem se habent prædictæ relationes diuinæ, nam paternitas fundatur proxi-

mè in generatione actiua, & filiatio in passiua, à quibus nequidem per rationem distinguntur vt multi dicunt. Quia tamen similes relationes in creatis sunt prædicamentales, vt paternitas, & filiatio: ideo videntur potiùs accedere ad prædicamentales: quare.

Respondeo secundò in diuinis hoc esse verum, in creatis verò falsum. Rario disparitatis est, quia in diuinis id quod est productum, non est productum ratione absoluti; sed ratione relatiui, & id quod producens est nempe pater, non est distinctum à termino producto, nisi ratione relatiui. Vnde cùm pater, & filius se mutuò respiciant sub ratione producentis, & producti, seu genitoris, & geniti formaliter quia vt sic tantummodo distinguntur, necesse est vt relatio vnius terminetur ad alterum vt relatiuum formaliter. At in humanis producens est quid absolutum, nempe ipsa substantia patris, & productum est ipsa substantia geniti quibus superuenit secundariò & accidentaliter relatio paternitatis, & *filiationis, vnde pater debet terminari ad genitum* vt sic formaliter tanquam causa ad effectum, & producens ad productum; non autem ad relationem, quæ per accidens resultat in genito, seu in effectu, idemque de cæteris dicendum est.

SECTIO XI.

Vtrum multiplicatis terminis eiusdem rationis multiplicetur relatio in eodem fundamento.

120. SENSVS hujus quæstionis est, an quando vnum relatiuum refertur ad plures terminos adæquatos, ita vt quilibet per se sufficiat ad terminandam ejus relationem, illique termini sunt omnes eiusdem omninò rationis essentialis, adeo vt solo numero inter se differant: an, inquam, hujusmodi relatiuum vnicâ relatione referatur ad omnes, vel tot relationibus numero diuersis, quot sunt termini. Exempli gratia an pater habens quinque filios, vnicâ paternitate omnes respiciat, an potiùs quinque singulis singulos. Quamuis autem relatio dicatur identificari cum fundamento; nihilhominus quæstio ista eodē modo debet procedere ac si re ipsa distingueretur. Nam & Theologi propter distinctionem terminorum admittunt in diuinis quatuor relationes reales, paternitatem, filiationem, spirationem actiuā, & passiuam; licet actiua non distinguatur ex parte rei à paternitate, & filiatione. Vnde si pater per eandem omninò rationem formalem relatiuam respiciat omnes filios, in eo vnica erit realis paternitas; si verò per plures, ratione

distinctas cum fundamento in re, poterit absolutè dici in eo plures esse relationes. Quæstio tamen melius intelligitur si relatio supponatur distingui a fundamento ex parte rei.

Duplex autem est hac in re sententia opposita, altera D. Thomæ in 3. sent. d. 8. q. 1. art. 5. & tertia parte q. 35. art. 5. Cajet. ibidem Ferrariensis 2. contra gentiles cap. 12. ante quartam rationem. Soncinnas 5. metaph. q. 32. Iauelli q. 8. Masij hoc capite sect. 3. q. 4. & Thomistarum cõmuniter asserentium patrem vnicâ relatione seu paternitate secũdùm rem ad plures filios referri, idemque iudicium de alijs relatiuis esse debet, vt de vno albo respectu aliorum omnium; de vna causa respectu effectuum similium &c.

Secunda sententia est Scoti in 3. sentent. d. 8. q. vnica, & discipulorum, qui volunt idem relatiuum tot relationibus numero distinctis referri, quod habet terminos adæquatos, numero diuersos, eandem tenet Suarez disp. 47. metaph. sect 17. numero 16. Vasquez supra quæstionem 91. tertiæ partis, art. 1. dubio 4. & alij multi. Vtraque probabilis est. Vtriusque rationes præcipuas & earum solutiones hic habes.

121. Prima ratio primæ sententiæ sumi potest ex authoritate Aristotelis 5. metaph. cap. 10. textu 15. Vbi ait ea esse diuersa specie, quæ cùm in eadem substantia sint, differentiam habent. Cujus rationem affert D. Thomas ibi lectione 10. eoquod impossibile est, inquit, plura accidentia vnius speciei in eodem subjecto esse. Et hæc ratio corroboratur ex triplici capite. Primò ex defectu capacitatis subjecti; hæc enim sufficienter actuatur, & perficitur vnico indiuiduo vnius formæ specificæ accidentalis, sicut materia prima sufficienter actuatur per vnicam formam substantialem. Secundò ex parte agentis, quod intendit assimilare sibi passum, quo facto cessat illius actio: hoc autem fit sufficienter per vnicam hujusmodi formam. Tertiò ex parte finis, quia quando secundùm accidens prorsus simile est primo, nihil omninò præstare potest subjecto, quod non præstetur per primum, & est omninò superfluum, & inutile: ad hoc autem abhorret natura.

Respondeo obmittendo controuersiam de principio indiuiduationis accidentium, & aliarum rerum, quam in Metaphysicam sæpè remisimus; esse duo accidentium genera quoad rem præsentem: alterum eorum, quæ ita solo numero differunt, vt nullam præterea habeant differentiam, sed conueniant in munere, seu in officijs, & in quacumque habitudine quàm dicere, seu habere possunt, vt sunt duæ albedines in 4. gradu, duo calores &c. & de istis concedo non posse esse duo in eodem subjecto, ob rationes allatas. Alterum verò genus est eorum, quæ licet in eadem specie solo numero differant, habent nihilominus diuersa numera, & diuersas habitudines, cujusmodi sunt duæ species intentionales procedentes à duobus albis in 4. gradu, hujusmodi enim species in eadem omninò parte medij necessariò recipiuntur, quandoquidem

ex quauis medij parte duo alba â quibus procedunt, videri possunt earum interuentu, quælibet autem ex his proprium munus habet repræsentandi albedinem à qua producitur, & ad quam transcendentaliter refertur vt virtualis illius imago. Et ad hoc genus referuntur accidentia relatiua, v. g. plures paternitates, quæ solo numero differentes habent diuersa numera, & diuersas haditudines, ideoque possunt in eodem esse subjecto ad diuersos terminos. Ibi enim cessant omnes rationes, propter quas alia accidentia non possint in eodem solo numero multiplicari: nam licet vna paternitas sufficienter actuet genitorem in ordine ad vnum filium, non tamen sufficienter in ordine ad plures.

122. Secunda ratio. Si pater referretur ad plures filios per plures paternitates, numero diuersas, vnus & idem pater esset plures patres: nam vna paternitas in ordine ad primogenitum facit vnum patrem, ergo plures paternitates in ordine ad alios filios, facient & constituent plures patres: quod est absurdum.

Respondeo plures paternitates in pluribus subjectis existentes, plures constituere patres; secùs si in vno tantùm subjecto existant. Nam, vt bene ait, Scotus loco citato numero 18. & Tataretus hoc cap. a. 2. dub. 3. ad multiplicationem concretorum non sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur multiplicatio suppositorum, vnde qui habet plures scientias non dicitur plures scientes, Sicut Christus non dicitur plures volentes, licet plures habeat voluntates. Item ad multiplicationem concretorum non requiritur multiplicatio formarum, sed sufficit plurificatio suppositorum. Nam si vna albedo poneretur diuinitus in pluribus subjectis, dicerentur plura alba. Lege si vis hac de re Ferrar. 4. contra gentiles cap. 11. post 4. conclusionem, & Scotum in 1. d. 12. q. 1. num. 14.

123. Prima verò ratio alterius sententiæ petitur quoque ex authoritate Aristotelis hoc capite, vbi ait relata esse simul natura, cognitione & definitione: sed si pater vnicâ paternitate plures respiceret filios, relata non essent simul naturâ, & cognitione. Ergo &c. probatur minor, quia posito primogenito ponitur relatio paternitatis ad ipsum; ergo hæc paternitas erit prior, & tempore, & cognitione, & definitione secundo genito: & sic pater, vt est genitor secundi filij; præcedit per paternitatem, ipsius secundògeniti filiationem.

Respondeo dupliciter intelligi posse paternitatem esse priorem filiatione secundi geniti. Primò secundùm substantiam: secundò secundùm extensionem, seu respectum. Primò modo est simul naturà cum primògenito: secundo modo est simul naturà cum secundògenito. Non enim priùs respicit pater secundògenitum, quàm ipse secundògenitus aspiciat patrem.

Et eodem modo loquendum est de conseruatione ejusdem paternitatis. Nam quoad substantiam dependet ab vnico filio, quicumque ille sit: quoad extensionem verò ab omnibus & singulis; ita vt vno moriente non

te non habeat tantam extensionem, hoc est non respiciat tot terminos: quod est per se notum. Vnde non est ita intelligenda hæc extensio quasi sit aliquid reale intrinsecum ipsi paternitati, sed supponit tantummodo nouum terminum productum quem de nouo respicit actu, cum antea respiceret tantum in potentia. Et ideò extenditur tantùm extrinsecè quod maximè patet in ea sententia quæ non distinguit relationem à fundamento, verbi gratia similitudinem ab albedine. Albedo enim dum de nouo respicit aliam albedinem, quæ antea non erat, nihil in se respicit, licet de nouo denominetur similis.

124. Secunda ratio. Posito fundamento, ratione fundandi, & termino, necessariò resultat relatio, vt per se constat: ergo posità nouâ ratione fundandi in eodem fundamento, & posito nouo termino, noua resultabit relatio: sed dum producitur secundògenitus, ponitur nouus terminus, & noua ratio fundandi, nempe generatio actiua in patre, & passiua in filio: ergo noua consurget paternitas in ipso patre.

Confirmatur primò ex eo quòd si mortuus esset primògenitus ante generationem secundi, reuera consurgeret in patre paternitas distincta à prima, ergo etiam si non sit mortuus, debet noua consurgere quia eodem modo ponitur nouus terminus, & noua generatio. Secundò ex eo quòd relatio nihil aliud est, nisi ordinatio *fundamenti ad terminum; sed* producto secundògenito, fundamentum, nempe pater, ordinatur de nouo ad illum, ergo per nouam relationem.

Respondeo poni nouam relationem quando ponitur nouus terminus, & noua ratio fundandi, si subjectum quod debet recipere talem relationem, non sit impeditum: in nostro autem casu subjectum est impeditum priori paternitate, quæ secundùm se non respicit potiùs vnum genitum, quàm alium, sed respicit per se primò communem rationem geniti, aut filij, quâ posità in secundo vel tertio, vel pluribus genitis statim ad eos extenditur modo explicato: & ideo frustra poneretur noua paternitas: cùm prima præstet quidquid simul plures præstarent. Quod non habet fortè locum in speciebus intentionalibus, de quibus facta est mentio in solutione primæ rationis. Vnde Caiet. 3. p. q. 35. art. 5. paragrapho ad secundam object. ait illas species esse plusquàm numero diuersas & consequenter specie. Nam plus differunt species duorum alborum, quam species ejusdem, existentes in oculis duorum hominum: sed istæ differnnt numero, ergo illæ differunt specie; nimirum in repræsentando, alioquin vna repræsentaret, quod repræsentat alia. Vnde alba à quibus procedunt licet sint ejusdem rationis secundùm rem; sunt tamen diuersa in esse sensato.

Sed quidquid sit de veritate hujus sententiæ, ita soluta manet prima confirmatio. Mortuo enim primògenito, perit prima paternitas, & ita subjectū non remanet incapax ad recipiendā nouam paternitatem. Quod potest à simili declarari, quælibet enim demonstratio in aliqua scientia

apta est producere habitum scientiæ in intellectu, sed sola prima producit: aliæ verò circa idem objectum non producunt habitum, quia subjectum iam est primò actuatum, sed tantùm illum augent, intendunt, & extendunt; cum hoc tamen discrimine quod habitus intrinsecè perficitur, prima verò paternitas extrinsecè tantùm extenditur, modo prædicto.

Ad aliam confirmationem patet etiam responsio. Non est enim noua ordinatio secundum substantiam, sed prima ordinatio, seu relatio extenditur extrinsecè ad nouos terminos.

SECTIO XII.

De distinctione, siue vnitate specifica relationis.

125. CIRCA quæstionem istam triplex est sententia. Alij volunt relationem specificari à solo fundamento: alij à solo termino: alij ab vtroque simul: & isti mihi melius sentire videntur, quia in eodem fundamento possunt esse plures relationes specie diuersæ ad diuersos terminos: ergo solum fundamentū non sufficit ad vnitatē specificam relationis, antecedēs patet, quia in eodē albo est relatio similitudinis ad aliud album, & dissimilitudinis ad nigrum: similitudo autem, & dissimilitudo sunt relationes specie differentes. Eodem modo possunt esse plures relationes diuersæ speciei ad eundem terminum, ergo non potest relatio à solo termino speciem, & vnitatem suam sumere. Antecedens patet, quia coruus habet relationem dissimilitudinis ad cygnum: alius verò cygnus ad eundem habet relationem similitudinis, quæ specie differunt.

Ex quibus patet ad distinctionem specificam relationis sufficere distinctionem specificam vel solius fundamenti, vel solius termini, & consequenter ad vnitatem specificam ejusdem relationis necessariò requiri vnitatem specificam vtriusque tum fundamenti, tum termini: & ratio est quia relatio est habitudo, & ordo vnius ad aliud, & ideo necessario postulat duo extrema, alterum in quo est, & à quo est, nempe fundamentum, in quo subsistit, & a quo suam entitatem accipit, vt dictum est supra: alterum ad quod est, nimirum terminum, ad quem per se, & essentialiter tendit, & ita dependet, dicitque ordinem ad vtrumque: vnde consequenter debet accipere ab vtroque vnitatem, & distinctionem: & hoc ipsi inter cætera accidentia proprium est, ob duplicem illam ordinationem & respectum.

Alio modo tamen specificatur à fundamento, & alio modo à termino; quia specificatur à fundamento in genere causæ efficientis, eo quod

fundamentum est radix & causa entitatis & relatitatis ipsius : à termino in genere causæ formalis extrinsecæ, quia ad illum tendit tanquam ad vltimam formam, in ordine ad quam definitur & vltimò completur. Vnde alij aiunt eam specificari à fundamento causaliter, initiatiuè, radicaliter: à termino verò formaliter: & completiuè; & ideo definiri potius per terminum, quia per eum specificatur, tanquam per vltimam formam extrinsecam.

126. Quia tamen communiter non dicitur res specificari à causa efficiente. Nam idem specie calor est, qui ab igne, & qui à sole producitur; ideo addunt alij fundamentum concurrere ad specificationem relationis, quatenus ejus vnitas, vel diuersitas redundat & refunditur in rationem formalem termini: sicut scientia specificatur à medio; & à principijs, quatenus eorum diuersitas refunditur in rationem formalem objecti scientiæ, à quo ipsa essentiam, & vnitatem sumere dicitur. Vnde existimo absolutè posse dici relationem specificari à termino formaliter sumpto, hoc est quatenus subest tali vel tali rationi fundandi. Sic enim illæ relationes erunt omnes ejusdem speciei quæ habebunt terminos ejusdem speciei formales, hoc est qui substant eidem rationi fundandi, vt omnes paternitates, omnes filiationes, neque potest contra hoc aliquid obijci quod sit alicujus momenti.

Cæterum supra dicta omnia sic intelligi debent, primò, vt reltiao specificetur à termino radicaliter sumpto, vt tactum est supra. Secundo, vt per fundamentum intelligatur fundamentum formaliter, vt subsstat tali rationi fundandi, quia idem materialiter sumptum potest diuersas relationes fundare per diuersas rationes fundandi, vt idem homo relationem identitatis ad alium hominem propter vnitatem naturæ; paternitatis propter generationem, &c. Tertiò debent intelligi de termino totali, & adæquato, & de integra & totali ratione fundandi, propter eos, qui volunt filium vnicâ relatione referri ad patrem, & matrem: sed de hoc iam loquemur.

Denique dum dicitur relatio specificari à termino, sensus non est quod terminus sit intrinseca differentia relationis, cùm sit ab ea distinctus, & aliquid ei extrinsecum; sed quod differentia essentialis, per quam relatio in suo esse intrinsecè constituitur, est specialis ordinatio ad specialem terminum: quemadmodum illius genus, quo a cæteris accidentis generibus discrepat, est communis ratio essendi ad aliud, seu ad terminum in communi: & ita terminus dicitur illam intrinsecè specificare.

127. Quæres vtrum filius vnicâ relatione, vel duabus distinctis referatur ad patrem, & matrem: & vice versâ pater, & mater duabus, vel vnicâ relatione filium respiciant? pro responsione

Nota Galenum cum medicis, quos Scotus sequitur in 3. d. 4. q. vnicâ, existimare matrem concurrere actiuè ad generationem filij, non se-

cius ac patrem: & ita ex ambobus tanquam agentibus partialibus constitui vnum integrum, & totale principium generationis. Ratio hujus opinionis est, quia pater, & mater sunt ejusdem speciei ex 10. metaph. c. Formas autem ejusdem speciei, consequuntur potentiæ naturales ejusdem speciei, vt patet in potentia vegetatiua, appetitiua &c. Deinde aliquando filius magis assimilatur matri, quàm patri: effectus autem non assimilatur causæ, nisi propter aliquam causæ actionem in illum, vt patet. Vnde communiter dicitur quòd agens intendit assimilare sibi effectum, seu passum.

At verò Aristoteles 1. de generatione animalium c. 2. & 19. & lib. 2. c. 4. ait matrem concurrere tantùm passivè ad generationem filij, ministrando materiam formationi corporis necessariam. Eum sequitur Diuus Thomas 1. 2. q. 81. a. 5. tertia p. q. 31. a. 5. q. 32. a. 4. q. 35. a. 5. ad 3. Caiet. q. 32. citatâ, & Thomistæ communiter. Vtraque hæc sententia probabilis est, & iuxta vtramque, resoluenda est quæstio.

128. Tenendo igitur postremam hanc sententiam, respondetur ad quæstionem primò ex Ferrariensi 2. contra gentiles c. 12. paulò ante quartam rationem Diui Thomæ, vnicam esse relationem in filio materialiter, duas formaliter: seu vnicam in esse rei, plures in esse relationis: quia sicut pater, & mater aliâ, & aliâ ratione sunt principium generationis filij: ita aliâ relatione filius accipit à patre naturam, & aliâ ratione à matre: ideo diuerso modo ab vtroque dependet. Vnde fundamentum filiationis est vnum materialiter in filio, duplex formaliter: & ita vnica est in eo filiatio materialiter, & secundùm rem, duæ verò formaliter; & secundùm rationem relationis. & sine dubio per illud *formaliter*, intelligit, *specie*, alioquin non responderet obiectioni, sibi factæ.

Respondetur secundò ex Caietano 1. p. q. 32. a. 2. ad 2. dubium; Banne ibidem; Complutensibus hic numero 87. in patre & matre esse duas relationes partiales, specie differentes; in filio verò vnicam filiationem specie, solâ ratione ratiocinatâ distinctam, quatenus ab intellectu comparatur modò ad patrem, modò ad matrem. Hoc expresè significat D. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. ad 3. his verbis, *in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, & alia maternitatis, quæ sunt specie differētes propter hoc quod aliâ ratione pater, & aliâ mater est generationis principium.* Et paulo infrà, *ex parte autem prolis est vna sola filiatio secundùm rem, sed duplex secundùm rationem, in quantum correspondet vtrique relationi parentum secundùm duos respectus intellectus:* eo modo quo, inquit ibi Caietanus, albedo est vna secundùm rem, & multiplex secundùm rationem, puta vt visibilis, vt terminatiua alterationis, vt extremitas perspicui.

129. Ratio hujus responsionis est, quia licet concursus patris, & matris sint in diuerso genere causæ, materialis scilicet, & efficientis: tamen vterque requiritur tanquam causa partialis, intrinsecè ordinata ad com-

plendum vnicum integrum, & totale principium geniti: & ita ex parte ejus est vnica natiuitas, seu productio passiua pro ratione fundandi filiationem; & ex parte parentum est etiam vnica completa, & integra ratio terminandi, coalescens ex concursu actiuo patris, & passiuo matris.

Vnde cum hic non sint plures termini formales totales, seu plures completæ rationes terminandi, specie distinctæ, non oportet vt in filio sint plures filiationes, specie diuersæ altera ad patrem, altera ad matrem. Secus se res haberet, si relationes patris & matris essent totales, & habentes integras rationes fundandi, & terminandi diuersas: sic enim verum esset quod ait D. Thomas 1. p. q. 32. a. 2. *necesse est dicere quòd duæ relationes non sunt diuersæ secundùm speciem, si ex opposito vnica relatio eis correspondeat.*

130. Hæc vtraque responsio, & doctrina probabilis est: potest tamen dupliciter instari contra postremam: primò, quomodo filius alterutro parente mortuo referatur ad superstitem; an scilicet per nouam filiationem, vel per præcedentem? non per nouam, quia nulla noua ratio fundandi assignari potest: & cùm in hac sententia fundamẽtum referatur vnicâ relatione ad plures terminos ejusdem rationis, v. g. album vnicâ similitudine ad omnia alba ejusdem gradus, sequeretur producto nouo albo, omnia quæ ante alba erant, nouas receptura esse relationes, seu similitudines, prioribus desinentibus, quod est absurdum.

Non potest etiam referri per præcedentem, quia præcedens respiciebat vtrumque patentem vt terminum adæquatum, & effectum suum formalem indiuisibiliter excedebat respectu vtriusque vt vnius completi: & ideo alterutro sublato non potest totum suum effectum formalem filio conferre, quia non potest referre ad vtrumque; neque etiam partem, quia tota manet indiuisibilis, & integra; atque adeo debet præbere subjecto integrum effectum formalem.

Ad hoc dicitur mortuo alterutro parente, nihil deperdi in filio quo ad rem: sed filiationem manere tantùm sub ratione, quâ antea terminabatur ad superstitem; non verò sub ratione, quâ antea respiciebat parentem iam mortuum: eo modo, quo relatio, quâ doctor refertur ad plures discipulos in eadem doctrina, vno mortuo nihil deperdit quoad rem, sed tantùm amittit extensionem illam extrinsecam, quâ priùs illum respiciebat, vt explicatum est numero 123.

131. Instatur secundò: quia relatio effectus ad causam diuersi generis, est diuersa. Nam forma ignis v. g. alio modo respicit materiam, in qua sustentatur, & alio modo ignem, à quo effectiuè procedit: ergo cum causalitas matris sit tantùm passiua, pertinens ad causam materialem; causalitas verò patris ad causam efficientem, oportet vt in effectu, nempe filio, sint relationes, specie diuersæ.

Ad hoc respondetur, illos duos concursus ordinari per se ad vnum totalem integrandum, ad hoc vt inde resultet vnum totale principium

effectus, quæ ordinatio non reperitur hoc modo in allato exemplo, vt constat. Quando verò dicitur matrem non concurrere actiuè, non ita debet intelligi quasi ipsa nihil agat; sed quòd ipsa non attingat effectiuè generationem, seu productionem ipsam filij substantialem. Nam aliunde ipsa effectiuè præparat, & disponit materiam proximam geniti. Vnde potentia generatiua vtriusque, nempe matris, & patris, actiua est, & ejusdem speciei; sed differunt in re facta, quia mater actiua est materiæ proximæ geniti, propter quod filius ei sæpe assimilatur: pater verò est actiuus ipsius generationis substantialis in materia præparata: sicut virtus concoctiua est actiua materiæ proximæ, in quam agit nutritiua: conuertendo eam in substantiam alitu. Ex quo solutæ manent rationes pro prima sententia allatæ num. 127.

Nihilominùs si quis contendere velit in filio duas esse relationes partiales, specie diuersas & secundùm rem distinctas, non improbabiliter certè sentiet; nam instantiæ factæ sunt multùm rationabiles, eisque commodiùs satisfieri potest, vt constat.

132. Secundùm alteram verò sententiam, quæ ait matrem attingere actiuè ipsam generationem filij, tamquam causam partialem actiuam, ad quæstionem.

Respondetur primò eandem esse relationem in patre, & matre ad filium, est eadem relatio in pluribus trahentibus nauem ad ipsam nauem tractam; & eadem in magistro ad plures discipulos in eâdem doctrina. Quod debet intelligi de eâdem relatione specie non eâdem numero, cùm sint plura subjecta distincta: & ideo in patre est vna partialis, & in matre altera partialis. In filio verò potest dici quòd sit etiam duplex partialis, ejusdem speciei, altera ad patrem, altera ad matrem, quia ab vtroque partialiter dependet in eodem genere causæ efficientis.

Respondetur secundò posse in hac sententia potiori iure quam in altera; admitti vnicam simplicem relationem in filio, solâ ratione ratiocinatâ distinctam per comparationem intellectus ita vt intellectus non faciat in illa relatione respectum ad patrem, aut ad matrem, sed distinctionem tantùm rationis, dum contelligit illam vt respondet patri, & iterum vt respondet matri, sicut loquitur Cajetanus.

133. Ratio hujus responsionis est, quia effectus est unicus, vnica natiuitate, & generatione passiuâ ab vtroque parente procedens. Vnde sicut nauis tracta refertur ad plures trahentes, quia licet ipsi agant multis actionibus partialibus; vnum tamen passiuè tractum nauis inuehunt, ipsaque vno numero motu trahitur: ita filius referetur vnicâ relatione ad vtrumque parentem, quia vnicâ natiuitate passiuâ est vtriusque filius: licet ipsi duplici actione partiali eum producere dicantur. Et hoc erit adhuc probabilius si vnica simplici generatione ipsum attingant, quod verum est si accidentia dicantur immediatè attingere productionem substantiæ, tanquam instrumenta: tunc enim accidentia patris, & matris

simul iuncta elicient per modum vnius causæ vnicam actionem generatiuam; sicut calor, & siccitas simul concurrunt ad vnicam actionem, ignis productiuam, & quatuor simul qualitates primæ ad vnicam mixti generationem.

Et hoc magis confirmatur ex eo quòd mater tanquam causa minùs principalis subordinatur per se patri, vt magis principali & perfectiori, vt rectè docet Scotus in 1. dist. 3. q. 7. numero 21. & 22. Vnde vis actiua patris reducit vim actiuam matris de potentia remota ad propinquam, nam potentia causæ inferioris est remota quando superior non agit: ideoque superiori ad agendum determinatâ inferior cooperatur, vt rectè docet idem Scòtus in 3. d. 4. q. vnicâ num. 12. quo fit vt ex vtraque oriatur vnica actio vnius effectus productiua.

Propter hanc autem subordinationem & majorem perfectionem virtutis actiuæ patris, dixit Aristoteles matrem concurrere passiuè: tum etiam quia corpus prolis magis formatur de materia ministrata à matre, quàm de materia ministrata à patre. Ita eum explicat Scotus. Cætera verò, quæ contra hanc vltimam responsionẽ obijci possunt facilè ex dictis soluũtur.

SECTIO XIII.

De summo genere; & proprietatibus relationis.

134. CIRCA primam sectionis partem dubitatur: vtrum poni debeat aliquod summum genus pro isto prædicamento, vel in abstracto, vt relatio in communi; vel in concreto, nempe relatiuum. Cùm enim relatio, & relatiuum sint ad aliud; summum genus relatorum debet esse ad aliud, quia natura summi generis, & inferiorum illius eadem est. Vel ergo per illud, *aliud*, intelligitur aliquid superius, aut inferius, aut æquale. Non superius quia nihil summo genere superius est in eadem categoria: non inferius quia omne superius est de essentia sui inferioris, & de eo prædicatur in recto: relatiuum autẽ non est de essentia sui termini, neque de eo prædicatur in recto, vt patet discurrendo per omnia relatiua: nam pater non est de essentia filij, nec majus de essentia minoris &c. Superest ergo vt sit aliquid æquale: & ita si terminus relationis sit alia relatio secundùm probabilem opinionem sectione decimâ examinatam, sequitur esse duo summa genera in hoc prædicamento, quia non est major ratio cur relatiuum sit summum genus, quàm terminus, seu correlatiuum, cum vtrumque æqualiter participet rationem relati, nec habeat supra se aliud genus. Nam si ab vtroque abstraheretur aliquis conceptus communis genericus, de eo

fieret eadem quæstio, an illud aliud ad quod diceretur, esset superius inferius, vel æquale. Nihilominus

135. Dicendum est in hoc prædicamento dari aliquod summum genus ita communiter Philosophi. Ratio est primò, quia in omni alio prædicamento est aliquod summum genus, quod omnia sub se complectitur, ergo est in prædicamento relationis. Secundò relatio realis dicitur vniuocè & *in quid* de multis speciebus in hoc prædicamento contentis; veræ enim sunt istæ propositiones, *paternitas est relatio, similitudo est relatio, æqualitas est relatio*, &c. ergo est summum genus. Denique definitio relatorum tradita ab Aristotele est vna, omnibus relatis conueniens, ergo illi debet respondere conceptus aliquis objectiuus, qui de omnibus dicatur. Hic autem est summum genus: vnde siue relatio exprimatur nomine abstracto relationis, siue concreto relati datur reuera summũ genus aliquod, sub quo constituuntur omnia quæ in hoc prædicamento collocantur. Non quòd genera accidentium velimus exprimenda esse nominibus concretis, contrarium enim statuimus q. 2. hujus libri numero 4. sed quia forma seu conceptus communis relationis potest applicari cuilibet fundamento apto, seu cuilibet subjecto referibili, & cum eo componere concretum, quod relatiuum dicetur, sub quo communissimè sumpto omnia particularia relata contineantur, sicut omnia alba sub hoc concreto, *album*.

136. Ad argumentum verò in contrarium, facilis est responsio si terminus relationis dicatur eam terminare sub ratione absoluti. Tunc enim illud *aliud*, in definitione positum, erit aliquid æquale, quod cùm non sit aliquid relatiuum, non constituet aliquod genus in prædicamento relationis, sed reduci potest ad aliud tanquam quoddam additum; imò neque in vllo alio prædicamento particulari stabiliri potest, sed vagatur per omnia, cùm nihil sit, nisi cujusque rei entitas, quatenus apta est ad terminandam relationem alterius, quod ipsi etiam Deo conuenit, vt patet ex dictis. Idemque dicendum est de fundamento ejusdem relationis; ejus enim ratio in communi non facit aliquod genus peculiare, sed vagatur per omnia, & indirectè reducitur ad illud non secùs ac terminus.

Si autem terminus dicatur esse aliquid relatiuum in relatiuis mutuis non verò in non mutuis, secundùm tertiam opinionem de qua sectione decimâ egimus, facilis etiam apparet responsio, quia cum in quibusdam terminus sit relatiuus, & in quibusdam absolutus, consequenter in sua communissima ratione sumptus abstrahit à relatiuo, & absoluto, solumque dicit sub ratione formali termini denominationem extrinsecam terminandi, petitam ex eo quod aliud ad ipsum tendat; & ideo non est per se in prædicamento relationis nisi tanquã aliquid additum vt ibidem dicebamus. atque adeo illud, aliud, ad hoc relatiuum in communi refertur, est ipsi æquale, sed non est genus relatiuum, & ideò non sunt duo suprema genera in hoc prædicamento.

Rursus

Rursus si sumatur relatio in abstracto, quatenus est genus summum huius prædicamenti, de omnibus relationum speciebus prædicabile *in quid*, tunc respondet Tataretus hoc capite in fine, & 8 *sciendum est primò*. Relationem hoc modo sumptam non referri ad aliud, sed esse rationem referendi, seu formam per quam formaliter aliquid refertur ad aliud, quod alij dicunt non referri vt *quod*, sed vt *quo*; & ideo non exigit terminum aliquem relatiuum, sibi adæquatum, & respondentem, sed tantummodo plura inferiora, de quibus prædicetur, vt genus. Atque ita non erunt duo summa genera.

137. Denique sumendo relatiuum in concreto, quatenus est id quod ad aliud per se refertur, atque etiam si relatio sumatur vt quid respiciens per se terminum, & statuēdo terminum esse aliquid formaliter relatiuum, tunc optima erit doctrina Boëtij, & Simplicij hoc capite, item Alberti magni ibidem, & 5. metaph. tract. 3. cap. 7. Scoti in 2. distinct. 21. q. vnica numero 7. & 8. Tatareti cap. de relatis, dubio 3. paulò ante tertium articulum. Videlicet relatiuum in communi, & generalissimè sumptum, non referri ad aliquod correlatiuum, sibi adæquatum. Cum enim in suo conceptu comprehendat quidquid relatiuum est, nihil extra relinquit à se distinctum, quod relatiuum sit, & ita si refertur ad correlatiuum, refertur ad seipsum, quod absurdum est. Vocatur tamen relatiuum, seu *ad aliquid*, quia licet per se proximè non referatur, refertur tamen remotè per sua scilicet inferiora, & ideo per illud, *esse ad aliquid*, vel *esse ad aliud*, per quod relatio, vel relatiuum definitur, importantur singulæ relationes vel singula correlatiua, quæ terminant singulas relationes, in oppositis extremis particularibus existentes; & ita dicitur relatum in communi non referri ad aliud in actu exercito, sed in actu signato: hoc est, designat rationem, & causam formalem, propter quam singula relatiua tendunt ad terminos oppositos, sed ipsum non tendit per se ad correlatiuum, sibi æquale, & oppositum, nec exercet hujusmodi habitudinem & *esse ad aliud*, nisi in particularibus relatiuis sibi subjectis.

Ruuius hoc capite q. tertiâ vocat hanc sententiam falsam, & ejus authores, licet philosophiæ lumina ignorantiæ accusat, satis insulsè. Hoc autē probat primò, quia conceptus communis abstractus ab inferioribus, debet continere rationem essentialem inferiorum: sed ratio essentialis quorumcumque relatiuorum particularium est referri ad terminum: ergo hanc debet continere conceptus communis relatiui, abstractus à particularibus. Vnde sequitur relatiuum in communi referri ad terminum in communi, sicut relatiuum in particulari refertur ad terminum in particulari.

Secundò; qui vult definire patrem in communi, non potest nisi per communem etiam terminum eum definire, videlicet per genitum in communi, aut per filium in communi: ergo pater in communi refertur ad filium in communi, sicut hic pater ad hunc filium, & consequenter relatiuum in communi ad terminum in communi.

138. Verùm ad hominem sic argumentor: conceptus communis abstractus ab inferioribus debet continere per se rationem essentialem inferiorum. Abstrahatur ergo conceptus communis ab omnibus relatiuis vnius speciei, verbi gratia ab omnibus relatiuis æqualitatis: iste conceptus communis debebit referri ad terminum in communi sibi adæquatum, quia quodlibet relatiuum æqualitatis in particulari refertur ad terminum in particulari, quid ergo est terminus ille communis respectu relatiui æqualitatis in communi spectati? non aliquid absolutum, quia per se in relatiuis mutuis terminus est altera relatio, seu relatiuum formaliter: neque etiam aliquid relatiuum adæquatum, quia conceptus ille communis omnia relatiua æqualitatis sub se claudit, nullo extra relicto: nec potest dici quo æquale in communi refertur ad aliud æquale in communi, nec simile ad aliud simile: ergo si refertur ad terminum adæquatum relatiuum, refertur ad seipsum, & non ad aliud: ergo tibi recurrendum est ad ignorantiam illam. Refertur ad aliud relatiuum in actu signato, concedo, in actu exercito, nego. Vel refertur per se proximè, & immediatè, nego; refertur remotè, & per sua inferiora particularia, concedo.

139. Itaque dico conceptum communem abstractum relatiui continere rationem essentialem inferiorum in actu signato, hoc est designat id, in quo ratio formalis, & essentialis relatiui, aut relationis posita est, quod est *esse ad aliud*: sed ipse non exercet munus, & habitudinem illam actu per se proximè, sed in inferioribus suis: & ideo relato communi conuenit essentialiter esse ad aliud, sicut particularibus, non proximè, sed remotè, vt dictum est. Præterea relatis disquiparantiæ, & diuersæ denominationis in communi conceptis, conuenit habere terminum communem, sibi adæquatum, & correlatiuum, vt pater in communi habet filium in communi, & vice versa: relatis vero æquiparantiæ vt æquali, simili, hoc non conuenit, vt explicatum est.

Ex dictis facilè erit ordinare seriem hujus prædicamenti: & primo loco ponetur relatio in communi pro summo genere: deinde tres species subalternæ pro diuersitate rationum fundandi, scilicet earum quæ fundantur in vnitate, in actione, & passione; in mensura, & mensurabilitate, quæ alias sub se habent species; vt quæ fundantur in vnitate, habent tres istas species identitatis, æqualitatis, & similitudinis. Item quæ fundantur in actione, diuersas habent species iuxta diuersitatem actionum & passionum in quibus fundantur: & similiter quæ fundantur in mensura, variantur iuxta diuersitatem proportionum inter mensuras ad mensurabilia quæ diuersitas petitur ex intrinseca perfectione cujusque rei mensurabilis ab alia. Cætera per se nota sunt.

140. Quod spectat ad secundam sectionis partem, Aristoteles numerat hoc capite quinque relationis, vel relatorum proprietates, quas breuiter hic perstringam.

Prima est habere contrarium. Quod potest intelligi ratione fundamentorum, quæ contraria sunt, vt relationes fundatæ in albedine, & nigredine contrariæ sunt, quia albedo & nigredo sunt contraria. Et si hoc modo intelligatur, non conuenit omni relationi. v. g. non conuenit fundatis in quantitate, quia nihil est ei contrarium, & ita Aristoteles c. de quantitate dicit magnum & paruum non esse contraria, quia fundantur in quantitate. Sed magis placet dicere Aristotelem cap. de quantitate asseruisse ex propria sententia relationi nihil esse contrarium: hic autem inferre ex definitione antiqua relationis, ipsi aliquid esse contrarium: eoquòd comprehendat relata secundùm dici, vt vitium & virtutem; scientiam & errorem, quæ contraria sunt. Itaque relationi nihil est contrarium nec secundùm se, nec ratione fundamenti: non secundùm se, quia ex præcisa sua ratione dicit ordinem ad terminum, non autem ad subjectum; contraria autem dicunt ordinem ad subjectum, à quo se mutuò expellunt. Nec etiam ratione fundamenti, quia contrarietas fundamentorum se habet per accidens respectu relationum. Nam ad fundandas relationes similitudinis, & dissimilitudinis, sufficit per se diuersitas specifica inter albedinem, & nigredinem, siue contraria sint, siue non.

141. Secunda proprietas est recipere magis & minus, seu intendi & remitti. Hoc autem ei non conuenit ratione sui, quia inuariato fundamento, & termino, ipsa inuariabilis permanet. Imò nec propriè ratione fundamenti, aut termini: tum quia duo alba in sexto gradu, non sunt magis similia quàm duo alba in quarto; tum quia minuitur similitudo crescente albedine & viceversa. Nam duobus albis existentibus in quarto gradu minuetur similitudo, si augeatur albedo vnius vsque ad sex: & rursus si minuatur ejusdem albedo vsque ad quartum, crescet similitudo. Quando ergo duo alba, quorum vnum est in quarto & alterum in sexto, fiunt magis similia si augeatur albedo minor: hoc non prouenit ex intentione, aut remissione prioris similitudinis, sed ex variatione, & mutatione illius: fundamenta quippe sunt diuersa, diuersique termini, atque adeo variatur proportio in qua similitudo consistit. Quo fit vt quælibet relatio majoris vel minoris inæqualitatis in indiuisibili posita sit, vt rectè docet Diuus Thomas 1. 2. q. 52. art. 1. sub finem, quando ergo Aristoteles hanc proprietatem tribuit relatis, non loquitur nisi ex communi more vulgi: vel intelligit per susceipere magis, & minus, denominari magis vel minus tale, per accessum vel recessum ab vno perfecto termino, vt magis æqualia, quæ magis ad æqualitatem accedunt.

Tertia proprietas est dici ad conuertentiam, hoc est vnum relatum exprimi per habitudinem ad aliud, & viceversa: seu vnum denominari cum adjectione alterius, vt pater est filij pater, scientia est alicujus scibilis scientia; & scibile aliquâ scientiâ scibile. Ad hoc autem vt aliqua dicantur ad conuertentiam, quædam assignantur conditiones: prima, vt sint pa-

ria, nec vnum alio latiùs pateat, vnde auis, & ala non sic se habent, quia multa habent alas, quæ aues non sunt, ideoque ala non dicitur auis ala, sed bene alati ala. Secunda est vt vnum denotet habitudinem ad aliud. Tertia vt vno defuncto alterum destruatur, & vnum per aliud definiatur.

142. Quarta proprietas est, relata esse simul naturâ. Duo autem requiruntur ad hoc vt aliqua sint simul naturâ, ex Aristotele in postprædicamentis, capite de modis simul. Primum est vt mutuò se inferant, seu vt ab vno ad aliud sit mutua consequentia; vt si est pater, est filius: si est duplum est dimidium: & viceuersa. Secundò vt vnum non sit causa alterius quod debet intelligi de relatis formaliter sumptis, vt relata sunt. Nam licet pater sit causa productiua substantiæ geniti, & consequenter fit hoc modo prior ipso, saltem naturâ, quia prius est rem esse quam producere effectum. Paternitas tamen non est causa filiationis, nec effectiua, nec finalis nec formalis, nec materialis vt patet, & ideo non priùs exurgit paternitas in patre, quàm filiatio in genito, sed positis fundamento, & termino, vtraque relatio statim necessariò resultat; adeovt non possit esse fundamentum vt sic, nisi sit relatio; neque esse relatio nisi sit terminus, neque esse terminus quin sit fundamentum. Vnde relationes nullum habent inter se ordinem prioris & posterioris, adeoque sunt simul naturâ, Simplicius tamen secundam conditionem sic explicat vt vnum non sit causa alterius tantùm, sed debent sibi mutuò esse causæ. Non enim minùs causa est Alexander, quòd Philippus sit pater, quàm Philippus causa est, cur Alexander vocetur filius, quia si Philippus non habuisset Alexandrum aut alios filios, nunquam vocatus fuisset pater. Sed tunc ratio causæ debet latè sumi pro mutua illatione, & consequentia vnius ad aliud, vt explicatum est.

Quinta proprietas est quod relata sint simul cognitione, & definitione, de qua fusè egimus supra numero 116. & hæc de relatione sint satis.

QVAESTIO VI.

De prædicamento Qualitatis.

SECTIO I.

De definitione Qualitatis.

1. QVALITAS multipliciter sumitur ex Aristotele 5. Metaphysicæ capite 14. & alibi, præsertim tribus modis: primò quidem pro differentia essentiali cujusque rei. Quia enim qualitatis ratio importat modum & determinationem substantiæ, vt rectè docet Diuus Thomas 1. 2. q. 49. art. 2. & differentia essentialis determinat potentiam generis, sicut forma potentiam materiæ, ideo differentia essentialis meritò vocatur qualitas substantialis ipsius rei: nec non ipsa forma qualitas materiæ: & ita vsurpatur ab Aristotele loco citato. Secundò sumitur pro quouis accidente, & vt comprehendit nouem prædicamenta accidentium: quâ ratione diximus in quarto, & quinto prædicabili accidens esse quod prædicatur de subjecto *in quale*, siue necessariò, siue contingenter. Tertiò denique sumitur propriè & strictè pro aliqua forma accidentali, quæ substantiam aliquo peculiari modo determinat, itavt ab ea purè & simpliciter denominetur qualis, hoc est ad quæstionem factam per qualis sit, respondeatur per accidentia hujus quarti prædicamenti, vt si quæratur qualis est Petrus, respondetur propriè, *est albus, est calidus, est iustus, est grammaticus.* &c. Nam vt bene docet Albertus magnus in hoc prædicamento, capite primo: aliquid non denominatur simpliciter quale à qualitate primo modo sumpta, sed cum aliquo addito; vnde differentia dicitur prædicari in *quale quid*: similiter à quantitate dicitur quantum, paruum, magnum, à relatione dicitur ad aliquid, non vero absolutè quale. A cæteris denique potius dicitur qualiter se habet, quàm simpliciter quale: vt an sedeat, quid agat, quid patiatur, an diu duret, quod etiam annotauit Porphyrius cap. de communitatibus, in comparatione generis cum accidente, vbi ait accidentia prædicari in quale, aut in quomodo se se habet res. *Qualis enim est Aethiops, si interrogatus fueris*, inquit, *respondebis, niger: & quomodo se se habet Socrates? respondebis, ambulat, aut sedet.*

2. In hoc igitur sensu hic describit Aristotele: qualitatem his verbis *qualitatem dico secundum quam aliqui dicuntur esse quales* Subinde verò enumerat, & explicat qualitatis species, & post hoc definit quale in plurali hoc modo, *qualia sunt quæ denominatiuè ab his dicuntur*: nimirum à qualitatibus iam enumeratis. Sed statim difficultas occurrit apud Boëtium: quia hoc modo fit circulus in definitione contra doctrinam ipsius Aristotelis, 6. topicorum cap. mihi 4. dum qualitas per quale, & quale rursus per qualitatem definitur, sic enim videtur idem esse prius & posterius, notius, & ignotius se ipso: & alia absurda inferuntur, quæ superiori quæstione annotauimus circa definitionem relatorum numero 107. Vnde Mendosa spretâ, vt solet, Aristotelis doctrina, irridet hanc definitionem disput. 14. metaphys. § 2. eamque vocat inanem nugationem.

Verùm in primis aduertendum est, vt rectè Boëtius respondet, cum Ammonio, & Simplicio, hanc definitionem non esse qualitatiuam, sed adumbratam naturæ qualitatis descriptionem. Nam summa genera non habent propriam definitionem, & si habere dicantur, multum difficile est eam tradere, & præsertim definitionem qualitatis, quia ratio eius in commum sumpta, cum abstrahat à materiali, & spiritali, non est ita proportionata nostro intellectui, qui conuerti debet ad phantasmata materialia, vt intelligat pro hoc statu. Et deinde talis ratio est absoluta, non respiciens aliquid extrinsecum præter subiectum, licet in particularibus speciebus reperiatur ordo quidam ad aliud, ideoque difficile est rationem ejus communissimam apprehendere, quod non contingit in alijs prædicamentis. Nam quantitas est per se sensibilis, relatio, & sex vltima, dicunt ordinem ad aliquid extrinsecum, per quod intellectus iuuatur ad clariorem cognitionem de illis habendam.

3. Aduertendum est secundò ex Aristotele 6. topic. cap. 4. citato: vbi ait definitionem debere tradi per priora, & notiora, dupliciter posse aliquid esse altero notius, primò secundùm se, secundò quo ad nos. Quod est in se prius, est simpliciter notius eo, quod posterius est, vt elementum syllabâ, linea plano, planum solido. Nobis verò contra interdum accidit, inquit, quia solidum sub sensum maximè cadit. Postea concludit loco 4. *simpliciter igitur melius est conari vt ex prioribus posteriora cognoscantur, quoniam ad scientiam gignendam hoc magis est accommodatum: attamen apud eos qui ex talibus cognitionem adipisci nequeunt, necesse est fortasse definitionem conficere ex ijs quæ illis nota sunt, tales sunt definitiones & puncti & lineæ, & plani: omnes enim ex posterioribus priora declarant, illud enim lineæ illud plani, hoc solidi aiunt terminum esse.* Eandem doctrinam habet 7. metaph. c. 4.

Ex his facile est tueri definitionem Aristotelis, quam Philosophi communiter recipiunt, exceptis recentioribus quibusdam. Cùm enim non sit definitio quidditatiua &, rigorosa, sed descriptiua tantùm explicatio,

sufficiet vt tradatur per notiora nobis. Quale autem est notius nobis, quam sit qualitas, quia concretum seu compositum notius est, quam abstractum, aut forma, vt ait commentator 1. physic. commento 3. eo quod, vt docet Aristoteles 7. Metaphys. cap. 1. concreta apparent magis entia, & facilius in sensus incurrunt. Vnde notior est nobis iustus, aut sapiens, cujus opera iusta cernimus, quam ipsa iustitia, & sapientia, quam solo intellectu apprehendimus.

Rectè igitur definiuit Aristoteles qualitatem per quale, tanquam per effectum formalem, significatum nomine concreto & nobis eo modo notiorem: postea verò definiuit quale per qualitatem tanquam per quid notius naturâ, & secundùm se. Vbi non incidit in circulum vitiosum, quia prius explicuit qualitatis species, & hâc explicatione reddidit qualitatem notiorem quali, quod ita definiuit per eam. Licet enim hoc modo regredi à notioribus nobis, ad notiora naturâ; & rursus à notioribus naturâ ad notiora nobis, absque vllo vitio, vt dicemus infra de regressu.

4. Cæterum quia hujusmodi definitio Aristotelis non ita exactè explicat quid sit qualitas. Videndum est, vtrum aliqua alia possit assignari, quæ naturam ejus euidentiùs aperiat: multi enim hoc præstare conati sunt, & quisque pro suo modulo propriam formauit.

Primo loco adest, ea quam multi recentiores admittunt hoc modo. *Qualitas est accidens absolutum consequens formam.* Hæc deducitur ex Diuo Thom. 5. Metaph. lect. 9. 3. p. q. 77. art. 2. alijsque in locis. Item ex Scoto in 4. sent. d. 12. q. 2. num. 10. Vbi dicunt quantitatem sequi materiam, & qualitatem formam. Sed in primis particulam illam, *absolutum*, existimo superfluam, si ad relationem prædicamentalem excludendam posita sit, quia hujusmodi relatio non potest dici propriè sequi formam, tum quia per se non intenditur à natura, tum quia sequitur etiam materiam, nam duæ materiæ numero distinctæ habent relationem identitatis: item sequitur quantitatem, qualitatem ipsam, & omnia prædicamenta, vt constat ex dictis de relatione.

Deinde obijcitur quod actio sequitur formam, & tamen qualitas non est. Item locus naturalis, qualis est locus ignis, terræ &c. non sunt qualitates, & tamen sequuntur formam, exigentem hujusmodi locum, & situm: materia enim secundùm se est indifferens ad quemcumque locum.

Tertiò: quantitas ipsa formam sequitur, debet enim esse proportionata magnitudo formæ recipiendæ, vnde alia est quantitas formicæ, alia bouis propter diuersam animam vtriusque. Denique in Angelis multæ sunt qualitates, in quibus tamen non est forma.

Nihilominus his omnibus facilè satisfieri potest, formando definitionem in hæc verba. *qualitas est accidens intrinsecum, & permanens, sedans consequens formam,* Particula *permanens*, excludit actionem &

passionem, quæ naturâ suâ fluxa est & quasi in motu posita. Locus, situs, habitus, & quando, non sunt propriè accidentia intrinseca, sed adjacentia, aut si sint aliquid intrinsecum connotant tamen seu involuunt ordinem ad extrinseca, vt vbi ad locum externum, quando ad externam temporis durationem &c. vt adnotauimus q. 2. hujus lib. num. 21. & sic non dicuntur simpliciter accidentia intrinseca.

5. Vel dicendum quòd hæc sequuntur etiam quantitatem, & materiam, substantiam, & accidens. Actio enim est etiam accidentis, vt calefactio caloris. Duratio item competit accidenti. Locus seu Vbi afficit etiam quantitatem, & materiam seu corpus: & multo magis ipse Habitus, & Situs, atque Relatio, vt dictum est. Quantitas denique dicitur sequi materiam, quia ad hunc maximè finem ordinata est vt extendat materiam, eique conferat corpoream molem, & impenetrabilitatem: & quamuis dicatur formam sequi, non tamen solam sequitur, & ita rectè excluditur à numero qualitatum; imò formam sequitur non absolutè, vt quantitas est, sed ratione figurationis, organizationis, terminationis, quam accipit à figura, & forma, quæ sunt qualitates, & quæ ei competunt iuxta formæ exigentiam.

Omnis igitur qualitas à forma procedit, aut ei competit, aut ad eam ordinatur, siue naturalis sit, siue supernaturalis. Tandem quod vltimò affertur de Angelis, non vrget, quia per formam intelligi debet, tum incompleta, tum completa. Nam Angeli dicuntur formæ simplices, itemque cœlum ab Auerroe & alijs existimantibus ipsum carere materiâ.

Ex his igitur patet definitionem hanc non malè qualitati competere: quia tamen non satis explicat, quæ sit ratio illa, propter quam conuenit qualitati solam sequi formam, ideo valde confusè declarat ejus essentiam.

6. Secundò igitur definiri potest qualitas, *accidens quo substantia absolutè in se perficitur.* Hæc deducitur ex Alberto magno in hoc tractatu, cap. 1. vbi ait cætera accidentia institutа esse ad præbendam substantiæ aliquam determinatam perfectionem: qualitatem verò hoc vendicare vt eam absolutè perficiat, quia cum latissimè pateat, multiplex genus perfectionis illi impertit, & ideo simpliciter, & absolutè conuenit qualitati perficere substantiam, reliquis verò secundùm quid, & secundùm aliquem determinatum afficiendi modum, vt quantitati conuenit extendere, relationi ad aliud referre. Actio verò & passio sunt viæ potiùs ad perfectionem: quatuor autem sequentia prædicamenta substantiam iam perfectam consequuntur.

Hæc doctrina subtilis est, & valde conformis definitioni Aristotelicæ, quâ substantia denominatur à qualitate simpliciter perfecta, vt commentatur Albertus. Hoc vnum illi officere videtur quòd multæ sint qualitates, quibus conuenire non potest, vt substantiam vllam perficiant. Nam habitus vitiosi, vt error, intemperantia, &c. nullius sub-

stantiæ

ſtantiæ poſſunt eſſe perfectio, neque in eſſendo, tanquam ornamentum, & connaturale complementum, vt notum eſt: neque in operando, quia inclinant, & flectunt ſubſtantiam ad operationem ipſi ſubſtantiæ diſſentaneam, & diſconuenientem. Perfectio enim ſubſtantiæ rationalis in operando, eſt vita ſecundùm rationem, cui repugnat habitus vitioſus.

7. Suares diſputatione 42. metaph. ſect. 1. numero 5. præcedenti Alberti doctrinæ innixus ſic qualitatem definit. *Qualitas eſt accidens quoddam abſolutum, adiunctum ſubſtantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius tam in exiſtendo quàm in agendo.* Hanc definitionem ſequuntur Conimbricenſes, de Raconis, alijque non pauci recentiores. Eam tamen multis impetit Callego hoc capite, controuerſiâ 27. & poſt ipſum Complutenſes q. 2. & alij. Nam in primis particula *quoddam*, eſt omninò ſuperflua, vt patet. Sicut & iſtæ, *adiunctum ſubſtantiæ creatæ* Tertiò hæc etiam verba ſuperflua ſunt, *ad complementum perfectionis eius.* Non poſſunt enim intelligi de complemento perfectionis ſubſtantialis, quia hoc eſt proprium ſubſiſtentiæ. Ergo de complemento perfectionis accidentalis: hoc autem conuenit qualitati ex eo quòd ſit accidens: nam omne accidens abſolutum, hoc ipſo quod eſt tale ens, complet ſubſtantiam in aliquo eſſe, & perfectione accidentali ſecundùm hanc doctrinam.

Vltima item verba, *tam in exiſtendo, quàm in agendo*, vitio non carent. Nam vel ſumuntur collectiuè, & ſic non conueniunt omni qualitati, quia ex opinione Suares, qualitates tertiæ ſpeciei non ſunt per ſe inſtitutæ ad agendum, & vix hoc conuenit figuræ, & formæ. Vel ſumuntur diſiunctiuè, & ita non erit vna definitio conueniens qualitati in communi, ſed erit multiplex, conueniens ſingulis qualitatis ſpeciebus, quarum aliæ perficiunt ſubſtantiam in exiſtendo tanquam ornamenta, alia in agendo.

Præterea aliquæ ſunt qualitates, quibus nullâ ratione competit complere perfectionem ſubſtantiæ, nec in exiſtendo, nec in agendo, vt ſunt habitus vitioſi ſicut notauimus in fine numeri præcedentis, & miror quòd Suares in tam longa verborum ſerie, quam in explicanda qualitatis natura conſumit, illud non aduerterit, aut ſimularit. Dicit quidem numero 6. ſuæ definitioni & doctrinæ non obſtare, quod aliquæ qualitates ſint diſconuenientes aliquibus ſubjectis, quia per accidens in eis exiſtunt: per ſe autem inſtitutæ ſunt ad completam perfectionem alicuius ſubſtantiæ. Sed hoc non poteſt quadrare habitibus vitioſis, vt oſtendimus. Denique hæc definitio competit quantitati. Ipſa enim adjungitur ſubſtantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus, vt connaturaliter exiſtat, & operari poſſit.

8. His tamen non obſtantibus, definitio iſta multa rectè dicta continet, multamque lucem affert huic materiæ, vnde ne penitus reijciatur: inprimis dico, eam non eſſe eſſentialem, ſed deſcriptiuam, declarantem à

posteriori naturam qualitatis per diuersa officia, seu effectus, qui varijs illius speciebus conueniunt. Eadem enim ratione supra descripsimus quantitatem ex diuisione illius in suas species. Deinde resecanda censeo quæ superflua sunt, vt particula *quoddam*, quæ nec ponitur vt genus, nec aliquid addit supra id, quod pro differentia collocatur. Particula, *absolutum*, potest assumi ad excludendam relationem prædicamentalem. quamuis etiam omitti possit, quia relatio non intenditur per se à natura, nec aliquod ornamentum substantiæ confert, nec illam complet in essendo vel operando, ideoque sufficienter excluditur per verba sequentia. Dicitur verò *adiunctum substantiæ creatæ*, non ad excludendam increatam; quamuis Suarez eo solum respexisse videatur; sed vt reijciatur quantitas, quæ non conuenit substantiæ creatæ in communi: non enim conuenit angelis, quibus tamen qualitates multæ insunt, vnde qualitas sequitur substantiam creatam in communi: hoc enim ipso quod creata est, est imperfecta, & limitata, ideoque perfici debet, & compleri per accidentia, & maximè per qualitatem, tanquam omnium accidentium perfectissimum, cui proinde munus hoc absolutè tribuitur.

Propter difficultatem verò de vitiosis habitibus allatam, possunt vltima verba aliquantulum mutari hoc modo ad perficiendam illam, vel determinandam in essendo, vel operando. Licet enim habitus vitiosus non sit perfectio substantiæ, eam tamen determinat ad sic agendum, cum alioquin ipsa sit per se indifferens ad bonas, & malas actiones. Vnde tandem resultabit hæc qualitatis descriptio, *qualitas est accidens adiunctum substantiæ creatæ ad perficiendam illam, vel determinandam in essendo, vel operando*. Quæ rectè hoc modo tradita nullis videtur patere calumnijs, & alteri accidenti conuenire nequit, quia actio, & passio sunt viæ ad perfectionem, aut determinationem: quatuor verò vltima prædicamenta supponunt iam perfectam, aut determinatam substantiam, vt dictum est numero 6.

9. Addam & istud in fauorem huius & antecedentis definitionis, ad soluendum illud quod de vitiosis habitibus opponitur: qualitati secundùm communissimum, & supremum prædicamenti sui conceptum conuenire, vt perficiat, compleatque substantiam in essendo, vel operando: per accidens autem esse, quòd aliquæ illius determinatæ species, ratione particularium differentiarum, malè afficiant aliquas particulares substantias, quia hoc eis non conuenit vt qualitates sunt, sed vt sunt tales qualitates, & ratione prædicati non generici, sed specifici. Quomodo albedini conuenit disgregare visum, non vt color, sed vt albedo est. Deinde omnes qualitates à natura institutæ, bonæ sunt, & ad perficiendam aliquam specialem substantiam ordinatæ; habitus verò mali, vt mali, non à natura sed prauitate creaturæ rationalis, & libertatis nostræ vitio procedunt, vnde vt à natura procedunt cùm sint effectus Physici illius, possunt dici illam physicè perficere, licet non moraliter.

Hoc igitur bene, & attentè considerato, legitima erit definitio postrema in hæc verba, *qualitas est accidens quo substantia creata perficiuntur in existendo, vel operando.* Et quia vltima verba, *in existendo, vel operando*, faciunt eam descriptiuam, & particularium specierum munera complectuntur vt adnotauimus numero 6. altera definitio numero sexto tradita, isti præferenda est, quia conuenit qualitati secundùm rationem supremam, & communissimum prædicamenti sui conceptum, qui deinde diuiditur per speciales perfectiones; quas substantia accipit siue in suo esse, siue in virtute agendi, à diuersis qualitatis speciebus.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Expenduntur quædam aliæ definitiones qualitatis.

10. ACCEDO nunc ad definitiones, quæ ex Doctrina D. Thomæ eruuntur multis in locis, præsertim prima parte, quæst. 28. art. 2. & prima secundæ q. 49. art. 2. In primo loco ait, propriam rationem qualitatis consistere in eo quod sit dispositio substantiæ: sicut propria ratio quantitatis consistit in eo quod sit mensura substantiæ. In alio vero loco hæc habet. *Propriè qualitas importat quendam modum substantiæ: modus autem est, vt dicit Augustinus super Genesim ad litteram, quem mensura præfigit: Vnde importat quandam determinationem secundùm aliquam mensuram* &c. Ex his Thomistæ, præsertim Complutenses, duas eliciunt definitiones qualitatis. Primam sic. *Qualitas est dispositio substantiæ, vel accidens dispositiuum rei in se ipsa.* Secundam verò sic. *Qualitas est accidens imponens modum, seu determinationem substantiæ.* Pro quarum intelligentia.

Nota disponere idem esse quod ordinare, seu ponere aliqua cum ordine: vide Arist. 5. metaphys. cap. 19. ait dispositionem esse ordinem habentis partes; hunc autem ordinem esse posse, aut secundùm locum, aut secundùm virtutem, seu potentiam, aut secundùm formam. Primus ordo, quo partes corporis correspondent partibus loci sic vel sic, ad prædicamentum situs pertinet: alij duo videntur proprij esse qualitatis. Ordo enim partium secundùm formam, potest referri ad quartam speciem qualitatis, nimirum formam & figuram, & ità comprehendere pulchritudinem, quæ est forma ex debita partium corporis dispositione resultans: item organizationem corporis animati, & alia id genus. Ordo ve-

rò partium ſecundùm virtutem ſeu potentiam poteſt ſic intelligi, cum Caiet. 1. 2. q. 54. art. 4. § *quoad ſecundum.* Quòd in ſubſtantia ſunt quædam partes, quatenus in ea eſt indifferentia, vel poteſtas ad plura. Nam ſecundùm illa plura, & diuerſa, quæ reſpicit, intelligitur eſſe multiplex, ſaltem virtualiter; & ita habere quaſi plures partes, quas diſponit, actuat, & ordinat qualitas.

11. Quod exemplo declarari poteſt, in anima rationali, verbi gratiâ, in qua ſecundùm ſe ſpectatâ, vt eſt radicale principium omnium proprietatum, & potentiarum, quæ ab ipſa oriuntur, intelligimus eſſe ſubſtantiales inclinationes, & partiales virtutes ad plura; quæ inclinationes intelliguntur quaſi confuſæ, & inordinatæ, donec determinentur &c. actuentur & ordinentur per ipſas potentias, ſcilicet per potentiam intellectiuam, volitiuam, appetitiuam, &c. quæ ſunt qualitates ſecundæ ſpeciei. Rurſus hujuſmodi potentiæ ſunt partes animæ, ſeu virtutes partiales illius, ſecundùm quas adhuc ipſa eſt indifferens ad multa, vt ſecundùm voluntatem ad bene, vel malè amandum: ſecundùm intellectum ad verè vel falsè intelligendum, ad hoc vel illud objectum percipiendum, &c.

Vnde in eis ſunt multæ veluti partiales virtutes confuſæ, inter quas ordinem ponunt habitus, qui ſunt prima qualitatis ſpecies: nam per habitum ϒ *g.* temperantiæ diſponitur voluntas, & per voluntatem anima ad ordinatè vtendum delectationibus cibi & potus: per habitum Geometriæ diſponitur intellectus, & per intellectum anima ad cognoſcendam ϒ *g.* naturam trianguli, deinde ad cognoſcendam naturam ſolidi, & alia hujuſmodi objecta, ad quæ intelligenda habet quaſi diuerſas vires, inter quas Geometria ordinem ponit, priùs actuando vnam, deinde aliam, ſiue per diuerſos partiales habitus, ſiue per nouam extenſionem ejuſdem ad diuerſa objecta partialia. De quo in libro de ſcientia.

Pari ratione in tertia ſpecie, quæ dicitur paſſio, & paſſibilis qualitas, licet demonſtrare. Nam quando in materia ligni ϒ *g.* quæ indifferens eſt, & habet quaſi innumeras, & confuſas potentias ad recipiendas omnes formas, recipitur calor, ſiccitas, frigus, albedo &c. per tales qualitates ponitur ordo, & determinata diſpoſitio inter hujuſmodi potentias materiæ: & hoc idem fit in forma quantum ad virtutem agendi, vt de anima rationali oſtenſum eſt.

Denique de quarta ſpecie, nempe forma & figura, dictum eſt numero 10. quomodo ipſa diſponit partes corporis in pulchritudine, in organizatione viuentium &c. figura quippe hominis, ϒ *g.* diſponit partes corporis ejus quodam, & certo modo, ita vt hæc coniungatur illi, & non alteri, hæc ſequatur illam ſic, vel ſic, iſta ſit oblonga, & in latum porrecta, iſta in rotundum conformata &c. & quidem abſque dependentia à loco, vel abſque ordine ad ipſum, ſicut præſtat ſitus; ſed in ordine ad ſeipſas, eas ordinando, & diſponendo inter ſe cum certa menſura, &

modo; quod quantitas sola nequit efficere, hæc enim sine figura, esset omnino informis & indeterminata, quia sine modo illo porrigeretur: & idem videre licet in figura mathematica, vt triangulo, quadrato, solido &c.

12. Ex quibus explicata relinquitur prima definitio, & simul ostenditur nulli alteri accidenti conuenire, quod sit dispositiuum substantiæ, modo tradito. Nam quantitas vt iam dicebamus, sine figura nullum teneret modum: relatio non ordinatur per se ad vllam substantiam: actio & passio sunt viæ, quibus medijs substantia per qualitatem actuatur, & disponitur res in seipsa: sed esse in loco, in tempore, in hoc situ, sub hoc habitu, conuenit ei ab extrinseco, vt per se notum est.

Ex his etiam explicata manet altera definitio, quod nimirum *qualitas sit accidens imponens modum & determinationem substantiæ*. Hic enim modus, & determinatio idem sunt ac dispositio, in sensu iam explicato. Vnde legitimæ sunt ambæ definitiones, imò eundem habent sensum, nec aliquid in contrarium obijci potest, quod sit alicuius momenti. Sunt tamen nonnulli, quibus primo intuitu displicent vocabula *dispositio, & modus*. Nam modus aliquid imperfectum intellectui primò obijcit: dispositio verò est prima qualitatis species: & sic genus definiri videtur per suam speciem: præter quam quòd cæteris accidentibus conuenit disponere substantiam, quantitas enim disponit eius partes, vt vna sit sursum, altera deorsum &c. Vbi determinat pariter substantiam ad esse hic: & non alibi: passio, & actio eandem disponunt ad recipiendam hanc formam: & sic de alijs. Vnde vocabulum hoc est valde ambiguum, & multa indiget disquisitione, vt intelligatur legitimam substantiæ definitionem componere, vt patet ex dictis numero præcedenti.

13. Propter hæc, duas sequentes formæ definitiones, ex 2. loco D. Thomæ *qualitas est accidens absolutum, determinatiuum substantiæ cum certa quadam mensura. Qualitas est forma intrinseca, & absoluta per quã potentia substantiæ determinatur ad aliquod esse accidentale cum certa quadã mensura & modo* ponitur *absolutũ* vt excludatur relatio prædicamentalis. Additur *intrinseca*, vt excludantur accidentia vltimorum prædicamentorum, si extrinsecè tantũ substantiam afficiant; vel alioquin etiam excluduntur, quia potius supponunt iam determinatam, & completam substantiam, vt dictum est num. 6. Actio verò & passio sunt viæ ad determinationem, vt notatum est ibidem. Verba sequentia ostendunt munus cuiusque formæ, quod est terminare potentiam aliquam subjecti. Per vocabula, *ad aliquod esse accidentale*, distinguitur qualitas à differentia essentiali, & à forma substantiali, quæ dicitur qualitas, vt notatum est numero 1. Additur denique *cum certa quadam mensura, & modo*, tum ad excludendam quantitatem, quæ licet terminet potentiam, quam habet materia, vt per eam extendatur, hæc tamen extensio non est limitata & determinata secundùm se, sed termina-

tur per formam, & figuram, vt explicatum est numero 11. in fine; tum vt ostendatur quòd omnis qualitas imponit modum substantiæ, seu eam actuat cum ordinata determinatione, vt explicatum est. Vnde hæ duæ definitiones eundem habent sensum cum duobus præcedentibus, vt constat, & tantùm aliquid videntur afferre claritatis, aut aliquam tollere ambiguitatem; magis autem explicabuntur sectionibus sequentibus: dum qualitatem in suas species diuiserimus.

SECTIO II.

De diuisione qualitatis.

14. ARISTOTELES post definitionem qualitatis, quatuor illius genera, seu species subalternas assignat. Prima est habitus & dispositio: secunda est potentia & impotentia: tertia est passio, & passibilis qualitas: quarta denique forma & figura. Circa diuisionem verò istam quatuor præsertim inquiruntur. Primum an sit essentialis, seu generis in proprias species: secundum an sit adæquata, ita vt nullæ possint assignari qualitates, quæ sub aliqua ex his speciebus, non comprehendantur. Tertium vnde sumatur sufficientia hujusmodi diuisionis. Quartum denique vtrum realiter distinguantur inter se, an sola ratione, ita vt eadem numero qualitas constituatur sub multis speciebus ex assignatis.

Dicendum est primò diuisionem hanc esse essentialem, seu generis in species. Est contra quosdam antiquos apud Albertum magnum hoc loco cap. 3. existimantes diuisionem istam non esse generis in proprias species, sed esse tantùm secundùm diuersos quosdam modos accidentales, conuenientes diuersis qualitatibus: aut etiam eidem. Hanc sententiam tenet etiam Scotus in hoc capite q. 1. & in 4. sent. d. 6. q. 10. numero 14. quem sequuntur aliqui recentiores.

15. Probatur conclusio primò ex Aristotele hoc capite, vbi vocat hujusmodi qualitates modò species, modò genera, nimirùm subalterna: ait enim, *atque vna quidem species qualitatis, habitus dispositioque vocatur.* Deinde, *aliud qualitatis genus est: tertium, quartum qualitatis genus est*, &c. At species, & genera subalterna debent sub aliquo genere superiori, quod in ea diuidatur, comprehendi; ergo ista diuisio erit essentialis, & generis in proprias species.

Probatur secundò. Categoria est series generum, specierum, & indiuiduorum: ergo cùm qualitas constituat vnam categoriam ex Aristotele, & communi sententia, debet habere genera, & species proprias;

vnde qui negant supra assignatas esse veras species, debent alias assignare, vel tradere differentias quidditatiuas, per quas hujusmodi species distinguantur.

Probatur tertiò: quia si illa diuisio esset in modos accidentarios, qualitas non diceretur essentialiter de illis, quod falsum est: nam istæ prædicationes sunt quidditatiuæ, *potentia naturalis est qualitas: habitus est qualitas:* sicut istæ, *virtus est qualitas, scientia est qualitas* &c. quæ sub habitu continentur.

16. Dicendum est secundò: hujusmodi diuisionem esse adæquatam, ita vt nec plures sint qualitatis species immediatæ, nec pauciores; est communis: licet aliqui sint qui formam & figuram nolunt esse qualitates, de quo infra: & aliqui etiam, inter quos, & Boëtius, velint alias esse qualitates, præter enumeratas, eo quod Aristoteles traditis illis quatuor, ista subjunxit *fortasse autem & alius quispiam qualitatis modus videbitur esse qui tamen maximè dici solent, hi ferè sunt.*

Sed ad hoc communiter respondetur Aristotelem modestiæ causa ita locutum fuisse, & ad ejus authoritatem, ac grauitatem pertinere similia verba singulis addere tractatibus, quasi rem absolutam non præstiterit, vnde fatetur hîc se non agnoscere alias qualitatis species, & si quæ videantur aliæ posse assignari, ad has facilè reuocari. Veritas autem hujus conclusionis patebit, quando de singulis speciebus egerimus, & ostenderimus in qua ex his quælibet qualitas reponi debeat: tum etiam ex modis colligendi quadripartitam istam diuisionem, quos hic præcipuos subijcio: & est tertium quod explicandum suscepimus.

17. Simplicius hîc rationem & sufficientiam hujus diuisionis sic explanat: omnis qualitas aut est aduentitia, aut naturalis: si aduentitia, constituit primam speciem, habitum scilicet, & dispositionem: si verò sit naturalis, vel dicit potentiam, vel actum: si potentiam consurgit secunda species, quæ dicitur potentia, & impotentia: si actum, vel est in profundo subjecti, & constituit tertiam, nimirum passionem, & passibilem qualitatem: vel in sola superficie, & constituit formam, & figuram.

Hanc rationem Simplicij non approbat D. Thomas 1. 2. q. 49. art. 2. quia in prima specie sunt etiam qualitates naturales, vt est sanitas, & pulchritudo. Nam Aristoteles hoc capite ponit sanitatem in prima specie, sicut & pulchritud. 7. phys. cap. 3. & tamen est qualitas naturalis. Item in tertia, & quarta specie sunt multæ qualitates aduentitiæ, & non naturales: Nam calor est aduentitius, & non naturalis aquæ, item figura quadrata, quam habet in vase quadrato, & ita de similibus. Denique hoc modo non seruatur debitus ordo, quia quod naturalius est, prius est; Simplicius autem primam speciem, nempe habitum ponit inter aduentitia.

18. Quia tamen ratio Simplicij satis probabilis est, potest responderi ad rationes D. Thomæ, sanitatem, pulchritudinem, calorem, frigus,

ægritudinem, & alia id genus, quæ ab Aristotele ponuntur in prima specie, non esse propriè habitus, vel dispositiones, sed tantùm per quandam analogiam, quatenus imitantur habitum, & dispositionem in eo, quòd facilè, vel difficilè dimoueantur, disponantque subjectum bene, vel malè: nec aliud velle Aristotelem quàm declarare, per hujusmodi res sensibiles, quâ ratione habitus bene vel malè afficiant substantiam, aut potentias, in quibus existunt. Vt explicant Alexander, & Albertus. Et reuera, quod spectat ad sanitatem, hæc non est aliquid distinctum à recto temperamento, & debita complexione quatuor primarum qualitatum viuentis: quod quidem temperamentum, non nisi valde impropriè habitus nuncupari videtur, cum non sit vna qualitas per se, sed aggregatum ex contrarijs. Nec aliter philosophandum est de pulchritudine: non enim est vna qualitas, sed ex colore, figura, & partium proportione resultat, & ad quartam speciem potius reuocanda videtur, quàm ad vllam aliam: quia tamen est ornamentum corporis, sicut habitus animæ, potest per analogiam habitus nuncupari: quod dictum volo absque præiudicio opinionis Diui Thomæ, vt qui voluerit, eam sequatur; de quo infra redibit sermo.

Ad aliud respondendum est, per accidens esse, quòd qualitates tertiæ, & quartæ speciei possint esse aduentitiæ respectu quorumdam subjectorum, quia per se sunt connaturales respectu sui proprij subjecti: habitus verò ab intrinseco, & per se est aduentitius, quia vel à Deo infunditur, vel proprijs actibus acquiritur per extrinsecam quasi efficientiam.

Ad vltimum dicemus statim, quare habitus, licet aduentitius sit, in prima tamen specie qualitatis reponatur. Aliam rationem huius diuisionis affert Ammonius, sed est satis longa, obscura, & minùs probabilis, ideoque eâ omissâ, venio ad Diuum Thomam.

19. Diuus Thomas loco citato 1. 2. q. 49. art. 2. hac ratione diuisionem istam deducit. Qualitas, vt patet ex dictis, importat modum, seu determinationem subjecti secundùm esse accidentale. Hæc autem determinatio potest accipi, vel in ordine ad ipsam naturam subjecti, vel secundùm actionem & passionem, vel secundùm quantitatem. Si in ordine ad naturam subjecti, constituitur prima species, scilicet habitus & dispositio. Natura quippe est finis & id, quod consideratur in re: vnde cum ex Aristotele 5. metaph. cap. 20. habitus sit dispositio, secundùm quam aliquis disponitur bene vel malè, hoc est conuenienter, vel disconuenienter ad naturam suam, vt per sanitatem, & ægritudinem; habitus ponitur prima species qualitatis.

Determinatio verò secundùm actionem & passionem constituit secundam, & tertiam speciem. Nam si pertinet ad principium actionis, & passionis, inquiunt Cajetanus, Complutenses, Sotus & alij, est naturalis potentia, vel impotentia, spectans ad secundam speciem, quæ præsup-

ponit

ponitur ad actionem. Quod si sit terminus actionis, & passionis, pertinet ad tertiam speciem, nimirum passionem, & patibilem qualitatem. Denique si accipiatur determinatio secundùm quantitatem, constituetur quarta species, nempe forma, & figura, quæ sequitur omnes alias, quia aliæ modificant, & disponunt totum, ipsamque substantiam; ista verò quantitatem exteriorem.

20. Hic discursus valde probabilis est, suis tamen non caret difficultatibus. Nam in primis qualitas cujuscumque speciei est actiua: ergo malè dicitur, quod determinatio quoad operationem, constituat secundam speciem, scilicet potentiam. Antecedens patet; nam aliquis habitus est actiuus, vt charitas producens actum amoris diuini: scientia actum scientificum &c. calor etiam qui est in tertia specie, actiuus est vt patet; idemque cernere licet in figura, nam acuta facilè scindit in ferro, rotunda multò magis facit ad motum quam angularis.

Secundò: omnis etiam qualitas est terminus actionis, vel proximè, vel remotè: omnis quippe producitur ab aliquo agente, vt patet in habitu, per iterationem actuum acquisito: in potentia per emanationem naturalem à principio radicali procedenti: in figura, & forma, quæ resultant ex actione primarum, aliarumue qualitatum, sicut colores, sapores &c. ergo omnes qualitates ad tertiam speciem pertinebunt. Nec valet dicere quod per actionem seu passionem intelligatur alteratio propriè dicta, quia sic lumen aëris, & lux solis non essent qualitates passibiles: & si intelligatur actio latè sumpta, tunc potentiæ, habitus, & figura &c. ad tertiam speciem pertinebunt.

Tertiò: ratio conuenientis, vel disconuenientis respectu naturæ, quæ assignatur habitui, conuenit alijs. Nam potentiæ naturales siue dubio benè afficiunt suum principium: item calor, qui est in tertia specie, benè afficit ignem, dulcedo saccharum, aut mel: figura pariter conueniens est suo subjecto, vt rotunditas terræ: ergo omnes pertinebunt ad primam speciem.

Quartò: Aristoteles hoc capite non dixit solam qualitatem esse, quæ fit per passionem, seu quæ est terminus passionis: sed quæ vel per passionem fit, vel quæ causat passionem in sensu. Ergo malè dicitur tertiam speciem constitui eoquod sit terminus passionis, aut motus.

21. Respondetur ad primum, solam potentiam ordinari per se primò ad operationem absolutè, non autem alias species, licet alioquin sint actiuæ; sed earum rationes speciales aliunde desumi.

Respondetur ad secundum, in tertia solum specie considerari quòd sit terminus passionis, in alijs verò rationem illam se habere per accidens.

Respondetur ad tertium similiter: neque enim in intellectu, v. g. consideratur quod sit principium operandi benè, vel malè, sed absolutè, quod sit principium intelligendi: in errore verò, qui est habitus, consideratur quod sit principium operandi malè, & disconuenienter ad

naturam rationalem; in virtute verò, quod sit principium operandi conuenienter ad eandem naturam: in calore autem, & alijs qualitatibus tertiæ speciei non consideratur ratio benè vel malè afficiendi subjectum: quod si sub hac ratione spectentur, pertinebunt ad primam speciem, vt vult D. Th. 1. 2. q. 49. citata, art. 2. ad 1. idemque de figura dicendum esse ait.

Propter quartum, existimo non esse coarctandam doctrinam D. Thomæ ad sensum prædictum, sed hoc modo intelligendam, quòd determinatio secundùm actionem, & passionem, constituat secundam, & tertiam speciem: secundam quidem, si talis determinatio fiat per principium naturale operationis: tertiam verò si fiat per formam natam ingerere passionem secundùm sensus, vt est calor, sapor &c., aut à passione aliqua procedere, modo inferiùs explicando: sic enim tertia species constituitur per hoc quod sit vel causa, vel terminus passionis.

22. Suares disput 42. Metaphys. sect. 5. num. 7. aliam hujus diuisionis rationem elicit ex sua qualitatis definitione, de qua nnmero 7. egimus. Po est autem breuiter sic proponi. Qualitatis essentia in eo sita est, vt sit perfectio, & complementum substantiæ tam in existendo, quam in operando: si ergo adueniat illi primò, & per se propter operationem, constituentur duæ primæ species; secunda quidem, scilicet potentia, si adueniat illi vt principium proximum operationis, insitum à natura: prima verò, nempe habitus, & dispositio, si adueniat vt principium operationis, superadditum ad iuuandam potentiam, & dandam illi facilitatem ad operandum. Quod si adueniat substantiæ ad complendum ejus esse, illudque ornandum, & perficiendum; vel est terminus extensionis illius, consequens, seu afficiens quantitatem, & sic erit forma & figura: vel est dispositio substantiæ, eam fouens, conseruans, & exornans; & constituetur tertia species, nimirum passio, & patibilis qualitas.

Hunc modum explicandi prædictam diuisionem, impugnant Sanches lib. 5. Logicæ q. 43. Mendosa, Ouiedo, & alij in metaphysica: sed nihil obijcitur, quod faceßat negotium, aut si sit alicujus momenti, illud proponemus, & soluemus sect. de patibili qualitate; ad hanc enim maximè pertinent quæ obijci solent. Vnde modus iste valde probabilis apparebit, iuxta quem redditur ratio ordinis quatuor illarum specierum qualitatis, quamuis non sit necesse dicere Aristotelem in tali enumeratione ordinem aliquem ex proposito obseruasse. Primo igitur loco ponitur habitus; quia majorem habet perfectionem & actualitatem: res enim tunc magis perfecta est, quando est magis determinata, minusque potentialis: vnde tunc maximè perfecta est, quando est in actu vltimo, ad quem proximè accedit habitus. Sequitur Deinde potentia, quæ per se primò ad hujusmodi actum vltimum ordinatur: deinde passio, & patibilis qualitas, quæ vel actiua non est, aut non est per se primò ordinata ad actionem. Vltimo loco venit forma, & figura, vt pote cæteris mi-

nùs perfecta. Deinde habitus, & potentia sunt etiam in substantijs intellectualibus: passibilis verò qualitas, & figura in solis corporibus propriè loquendo. Et ideo duæ priores sunt alijs perfectiores, etiam ex parte subjecti. Dicendum est tertiò pro quartò quod proposuimus.

23. Probabile esse quatuor supradictas species non esse realiter distinctas, sed solâ ratione ratiocinatâ, ita vt vna eademq; particularis qualitas possit in multis speciebus reperiri. Hæc est sententia diui Thomæ loco supra citato, Soti, Toleti, aliorumque multorum. Ratio petitur ex Aristotele in hoc capite, vbi eandem qualitatem sub diuersis speciebus collocat: nam calorem, & frigus, quatenus aliquo modo disponunt subjectum benè vel malè, ponit in prima specie: quatenus verò passionem efficiunt in sensibus, ponit in tertia specie; & possunt etiam poni in secunda, quatenus sunt virtutes actiuæ naturales elementorum ignis, & aquæ. Sed ad hæc responsum est numero 21.

24. Dicendum est quartò probabile etiam esse hujusmodi quatuor species esse realiter impermixtas, & distinctas. Hanc sententiam mordicùs tenet Suarez in disputatione citatâ, sectione 4.

Probatur primò, quia vna, & eadem res non potest constitui essentialiter in diuersis, & oppositis speciebus eiusdem generis, sicut idem non potest esse essentialiter homo, & equus: ergo vna, & eadem qualitas, vt est ꝛ. g. calor, non poterit pertinere ad duas qualitatis species oppositas. Probatur antecedens, quia vnius simplicis entitatis vnica tantùm potest esse constitutio essentialis; ergo vnica tantùm differentia essentialis: nam differentia est id quo res in suo esse constituitur, atque adeò in sua specie: & consequenter ad vnam tantùm speciem pertinere potest.

Probatur secundò, quia vel plures illæ rationes formales, per quas eadem qualitas sub diuersis speciebus ponitur, distinguntur inter se ex natura rei, vel per solam intellectus considerationem? Non primum, quia calor per eandem indiuisibilem entitatem, per quam est passibilis qualitas, est etiam potentia, seu virtus productiua alterius caloris, atque insuper habitus bene, vel male afficiens subjectum, vt per se constat. Non etiam secundum: quia vel hujusmodi rationes formales erunt æquè essentiales illi simplici entitati, vel vna erit principalis, & altera veluti modus illius? Si primum; ergo duæ differentiæ oppositæ conuenient ad constituendam eandem simplicem qualitatem; quod est absurdum in prima ratione illatum. Si verò dicatur secundum, iam non intelligetur talis qualitas poni in vna specie per se, sed per suum modum; seu potius non qualitas illa sed modus ejus in illa specie collocabitur, & sic habebitur intentum; quod nimirum in vnica specie essentialiter reponetur.

25. Respondeo ad primum, negando antecedens. Si enim in sententia Suares eadem entitas constituitur sub diuersis prædicamentis, ꝛ. g. albedo in prædicamento qualitatis, vt albedo est; & in prædicamento re-

tonis, quatenus est similitudo: multo magis poterit constitui sub diuersis speciebus ejusdem prædicamenti, quia duo prædicamenta in nullo superiori vniuocè conueniunt in illius opinione; bene autem duæ species eiusdem prædicamenti. Idem patet in actione, & passione, quæ vnica entitas cùm sint, duo tamen prædicamenta constituunt. Deinde duæ differentiæ subalternæ possunt eandem speciem infimam constituere vt probabiliter ostensum est q. de differentia, n. 13. eademque species reponi sub diuersis generibus, etiam non subalternatim positis, vt homo ponitur sub genere substantiæ intellectiuæ, & sub genere substantiæ corporeæ: ergo & idem calor poterit poni sub genere passibilis qualitatis, & sub genere habitus, & sub genere potentiæ. Vide sectionem quintam anteprædicamentorum.

Respondeo ad secundum tales rationes formales solâ consideratione intellectus cum fundamento in re esse dictinctas secundùm D. Thomam: posse tamen dici distingui formaliter ex natura rei, distinctione formali Scoti, vel etiam distinctione virtuali: quamlibet autem in suo ordine esse æquè principalem, & essentialem, quia hujusmodi vnius qualitatis entitas ex omnibus illis differentijs, & formalitatibus integrè completur & in diuersis ponitur speciebus.

SECTIO III.

De Prima specie qualitatis, habitu scilicet, & dispositione.

26. HABITVS ab habendo deriuatur, vt vocabulum ipsum indicat: habere autem valde ambiguum est, & in communi significat ius in rem aliquam, dominium, possessionem quocumque modo, & ita dicitur aliquis habere pecunias, habere amicos, habere Regem, & alia id genus, quæ ex vsu grammaticæ dependent. Vnde habitus totidem modis vsupari potest, quia sic est participium à verbo illo deriuatum, & significat rem habitam; atque adeò vagari potest per omnia prædicamenta; & in hoc sensu non agimus hic de habitu, sed quatenus nomen est: vt sic autem tres maxime habet significationes: & primò significat vestes seu indumentum corporis, etiamsi de facto non circumadjaceat corpori: sed magis philosophicè sumitur pro medio quodam per modum actionis & passionis inter vestes, & corpus, hoc est, esse vestitum, seu vestitionem ipsam vt ita loquar: & hac ratione habitus constituit speciale prædicamentum, vt dicemus infra.

Secundò significat quancumque rei dispositionem, per quam dicitur illo vel illo modo se habere, in qua significatione tribui solet partibus corporis, & rebus etiam inanimatis. Sic enim dicitur habitus loci, habitus regionis, habitus vultus, oris, totiusque corporis. Tertiò magis strictè sumitur pro eo, quo res benè vel malè se habet, vel in se vel in ordine ad aliquid aliud: aut vt ait Aristoteles 5. metaph. cap. 20. Habitus dicitur dispositio secundùm quam benè, vel malè disponitur dispositum, aut secundùm se, aut ad aliud. Quomodo sanitas dicitur habitus, quia per eam subjectum benè disponitur: item ægritudo, error, vitium, quibus subjectum malè afficitur. Et in hoc sensu dicere solemus, *quomodo tehabes?* quæ accep tio est hujus loci propria, & significat primam qualitatis speciem.

27. Quod attinet ad dispositionem, de ea iam supra numero 10. multa præmisimus: dicitur enim à disponendo; disponere autem est ponere aliqua cum ordine; quod fit vel in ordine ad locum, vel in ordine ad rem ipsam quæ in se disponitur: primus modus pertinet ad situm, secundus ad quālibet qualitatem, vt ibi explicatum est: vnde vt ista pertineat ad specialemqualitatis speciem debet sumi tertiò pro certa quadam affectione, seu quadam forma, quâ subjectum benè, vel malè se habet siue facilè transeat, siue sit permanens, quomodo est quid commune, & genus ad habitum, & dispositionem propriè dictam. Vnde vt distinguatur ab habitu debet sumi 4. & specialiter pro qualitate fugaci, & facilè mobili à subjecto suo; cum habitus sit qualitas permanens & difficile mobilis. Hoc enim discrimen ponit Aristoteles in textu. His positis, doctrinam de ista prima qualitatis specie per sequentes conclusiones explico.

Dico 1. habitum, & dispositionem sic bene definiri. *Habitus est qualitas, per quam subiectum benè vel malè se habet, difficilè ab eo mobilis. Dispositio verò est qualitas, per quam subiectum benè vel malè se habet, facilè ab eo mobilis.* Pro intelligentia.

Nota in primis non debere definitiones istas reputari vitiosas, eoquod sub disiunctione ista *benè, vel malè*, tradantur, quia non suppetit nomen abstrahens à conuenienti, & disconuenienti, & ideo cogimur definiendo tradere simul diuisionem habituum, quorum alij sunt naturæ consentanei, per quos ipsa benè se habet, vt sanitas, virtus: alij verò repugnantes, quibus malè afficitur, vt ægritudo, vitium.

28. Nota 2. rem aliquam posse bene, vel malè se habere per habitum, & dispositionem duobus modis: primò in seipsa, & in ordine ad propriam naturam: 2. in ordine ad operationem. Sunt enim aliquæ dispositiones, & aliqui habitus, qui per se non respiciunt aliquam potentiasm subjecti in quo sunt, sed ipsum subjectum, vt est pulchritudo, sanita, ægritudo: gratia item supernaturalis, quam D. Thomas, 1. 2. q. 110. a. 3. & 4. distinguit à charitate, & ponit in ipsa animæ substantia, eam re-

uocando ad istam speciem, tanquam bonam mentis habitudinem, & sanitatem vt loquitur in 2. sent. d. 26. q. 1. art. 4. ad 1. ex D. Chrisostomo. Et si habitus benè vel malè disponunt subiectum in se ipso, primò & principaliter: secundariò verò & consequenter disponunt illud ad operationem, in quantum operatio, aut aliquid operationem consequens, est finis ipsius naturæ: quomodo sanitas benè afficiendo subjectum, & disponendo ad benè esse naturæ, illud ex consequenti disponit ad benè, seu robustè agere. Aliæ verò sunt dispositiones, alijque habitus, qui per se respiciunt potentiam aliquam operatiuam, eique immediatè insunt tanquam in subjecto, vt scientia in intellectu, virtus in voluntate: & isti primò & principaliter dicunt ordinem ad operationem, non secus ac ipsæ potentiæ: cum hoc tamen stat communis, & vniuersalis conceptus istius primæ speciei, nimirum importare primò, & per se habitudinem ad bene, vel malè esse naturæ, quia isti habitus sunt in re cujus ratio & & natura est vt sit principium operandi, & cujus benè esse, est benè opereri; & malè esse, malè operari, seu disconuenienter naturæ. Et hæc est doctrina D. Thomæ quem vide loco citato, art. 3.

Nota 3. aliquas esse qualitates quæ sunt stabiles, & fortiter inhærentes subjecto vt est scientia multis actibus acquisita, febris ethica, quæ nullo ferè remedio expelli potest. Et hæ dicuntur habitus. Aliæ verò qualitates sunt labiles, & facilè euanescunt, vt est virtus vno, aut altero actu comparata: item pulchritudo, sanitas, calor, frigus, quia causas habent facilè mutabiles, & insunt corporibus quæ continuis alterationibus obnoxia sunt, & hæ dicuntur dispositiones, non habitus, quia inquit Sotus habitus ab habere denominatur, res autem non dicitur propriè haberi, nisi firmiter teneatur.

Ex quibus probata manet conclusio. Nulla est enim qualitas hujus primæ speciei, cui non conueniat benè, vel malè afficere naturam, vel in se, vel in ordine ad operationem: & nulla est alia extra hanc speciem, cui hoc conueniat, vt patet ex dictis supra num. 21. in responsione ad 3, quia statim atque concipitur benè, vel malè afficere subjectum, intelligitur ad hanc speciem pertinere sub tali consideratione.

29. Dico 2. habitū sic etiam rectè definiri. *Habitus est qualitas permanens per se primò ordinata ad operationem addita potentiæ naturali, vt eam iuuet, & facilem reddat ad operandum.* Hæc traditur secundùm opinionem Suarez, quam supra, vt probabilem recepimus: & sic explicatur. Dicitur *qualitas permanens*, vt differat à dispositione, quæ facilè labitur, & ab ipsis etiam actibus vitalibus, qui sunt quasi in continuo fieri: & à perenni causarum suarum influxū pendent. Additur, *per se primò ordinata ad operationem*, vt differat à forma, & figura, quæ per se operatiua non est; & à passione, & passibili qualitate, quæ licet aliquando actiuæ sint, vt est calor respectu ignis, frigus respectu aquæ: non sunt tamen per se primò ordinatæ ad agendum, sed vt conuenienti

modo afficiant subiecta sua, aut conseruent vnionem formæ cum materia, aut ad illam disponant: quòd verò sint principia agendi, habent quasi concomitanter ex eo quòd sint talis perfectionis, vt possint producere similes qualitates, aut aliquid aliud. Sequitur *addita potentiæ naturali*, vt distinguatur à secunda specie qualitatis, scilicet potentia, quæ quidem per se primò ordinatur ad operandum, sed ipsa est primum principium operandi, non radicale, quia hoc est substantia, sed formale, & ideo præsupponitur ab habitu, qui illi dicitur superaddi.

Vltimæ particulæ ostendunt munus, quod habitus præstat respectu potentiæ. Licet enim simpliciter loquendo, habitus, qui consequitur ex actibus, non sit necessarius, vt potentia absolutè versetur circa obiectū suū; est tamen necessarius secundùm quid, & ad melius esse; vt nimirum ipsa faciliùs eliciat actus suos. Vt enim supra diximus numero 11. potentiæ animæ rationalis, vt intellectiua, volitiua ex se sunt indifferentes, & indeterminatæ ad varios actus: vnde eis natura prouidit innatam quandam vim, & aptitudinem, vt vsu & exercitio actuum frequentium possint indifferentiam illam, & indeterminationem tollere, acquirendo facilitatem aliquam, & promptitudinem ad operandum circa propria obiecta: quam facilitatem frequentatis actibus comparari, ipsâ notum est experientiâ. Et hanc habitum dicimus.

30. Ex his collige primò, hâc definitione comprehendi habitus infusos, vt est fides, spes, charitas: licet enim dent simpliciter posse, & vt sic videantur referri debere ad secundam speciem: tamen quia præsupponunt potentias naturales, eisque infunduntur ad eas eleuandas, & iuuandas ad operationes supernaturales, habent rationem habitus, & non potentiæ.

Collige secundò qualitates illas, quæ per se non ordinantur ad operandum, nec alicui potentiæ operatiuæ insunt, vt est sanitas, gratia item supernaturalis, si distinguatur à charitate, & in substantia animæ ponatur vt vult Diuus Thom. Hujusmodi inquam qualitates & similes non esse habitus, nisi analogicè, sed ad tertiam speciem potiùs reuocari debere, ut n. 18. dictum est, vbi inuenies responsionem ad Aristotelis authoritatem in contrarium.

Collige tertiò species intentionales ad hanc primam qualitatis speciem pertinere; adduntur enim potentijs naturalibus, & per se primò ordinantur ad operandum, adiuuando ipsas potentias ad eliciendas suas operationes circa propria obiecta; suntque naturâ suâ qualitates permanentes, saltem illæ, quæ inhærent intellectui, & sensibus internis, ideoque habitus dici debent: quæ verò in externis recipiuntur, si non ad habitum, saltem ad dispositionem spectant; ad quam etiam referendi sunt actus vitales, si puræ actiones non sint, de quo in libris de anima: non enim videntur posse referri ad vllam aliam qualitatis speciem; non ad quartam vt patet, neque ad secundam, aut tertiam, quia non

sunt naturales potentiæ, neque objecta sensuum, ergo pertinent ad primam: & verò per eos benè vel malè afficimur, cùm denominemur boni vel mali. Præterea ipsi actuant potentias, easque certo quodammodo determinant; disponunt etiam ad faciliter operandum medijs habitibus, qui per eos acquiruntur, & producuntur in potentijs quæ habitus sunt capaces. Et ita secundùm vtramque præcedentem sententiam, rationem primæ speciei videntur participare.

31. Dico tertiò probabile esse habitum & dispositionem accidentali tantum discrimine inter se distingui. Ita Boëtius & antiqui ferè omnes, nullã aliam constituentes differentiam inter habitum & dispositionem, nisi sicut inter perfectum, & imperfectum in eadem specie: ita vt eadem qualitas in gradu remisso, sit dispositio; habitus verò in gradu intenso. Eandem tenet Scotus hic q. 9. Vasquez 1. 2. disput. 8. cap. 3. Suares sectione 6. num. 15. & sequentibus. Contrariam enim sententiam admittit tantũm respectu actuum secundorum qui habent rationem dispositionis, & differunt specie ab habitibus, à quibus procedunt.

Probatur primò ex Aristotele hoc capite, vbi ait omnes habitus esse dispositiones, non contra: quia illi qui habent habitus, per eos aliquo modo dispositi sunt: qui autem dispositi sunt, non omninò habent habitus: vnde ait habitum differre à dispositione, quia diuturnior est, & dispositionem fieri habitum, si multum radicetur in subiecto. Hæc autem vera esse non possent, si habitus & dispositio, specie essentialiter differrent; non posset enim dispositio prædicari de habitu, nec in eum transire per solam radicationem majorem in subjecto. Vnde Diuus Thomas huic addens suum calculum q. 7. de malo, art. 2. ad 4. ait, *difficile mobile non est differentia constitutiua habitus: neque enim dispositio & habitus sunt diuersæ species alioquin non posset vna & eadem qualitas quæ prius fuit dispositio, postea fieri habitus: sed facile mobile & difficile mobile se habent sicut perfectum, & imperfectum circa eandem rem.* Ex quo

Probatur secundò, quia habitus à dispositione differt tantùm ex eo quod sit difficilè mobilis à subjecto; dispositio verò facilè: at hoc non potest essentialem inducere differentiam, alioquin calor qui est in ferro, differret specie à calore existente in stupa; nec valet dicere hoc esse per accidens ratione subjecti, quia saltem calor intensus differret specie à calore remisso: nam intensus non tantum difficiliùs expellitur à subiecto ratione subjecti, sed naturâ suâ, vt constat.

32. Sic igitur omnis dispositio erit habitus essentialiter, & secundùm rem, sed non secundùm modum: omnis item habitus erit dispositio essentialiter & secundùm rem, sed non secundùm modum: quatenus enim dispositio est, non habet modum habitus, qui est difficilè moueri à subjecto; quatenus autem est habitus, non habet modum dispositionis, qui est facilè à subecto moueri; quæ omnia vt patet sunt accidentalia.

dentalia. Aliquæ tamen sunt qualitates, quæ numquam videntur habere modum & rationem dispositionis: aliquæ verò, quæ difficillimè modum habitus consequuntur. Primi generis est scientia, quæ per vnicum actum parta, firmissimè adhæret subjecto, quod fit propter euidentiam, quæ intellectum conuincit, illique infert necessitatem, determinando omninò illum. Secundi generis sunt opinio, & virtutes morales. Opinio enim non ita determinat intellectum ob ineuidentiam, & debilitatem medij, ideoque habitus illius per plurimos actus acquirendus est, vt rectè ait D. Th. 1. 2. q. 51. art. 3. Virtutes verò morales ob repugnantiam contrariæ inclinationis, aut ob formalem voluntatis libertatem, difficilè quoque modum habitus consequuntur.

Ad supradictas tamen rationes facilis est responsio. Ad authoritatem quidem Aristotelis ex tertia acceptione dispositionis tradita num. 27. in fine, secundum quam est quid commune ad habitum, & dispositionem specialiter dictam. Vt sic enim rectè dicitur habitum esse dispositionem, non verò contra: quia species participat genus, non verò genus speciem. Quod enim homo est, animal est, non contra.

Ad aliud verò & ad cætera Aristotelis dicta respondendum est posse intelligi dispositionem specialiter dictam diuidi contra habitum duobus modis, vt rectè notat D. Th. 1. 2. q. 49. art. 2. ad 3. Primo sicut perfectum & imperfectum in eadem specie, vt scilicet dispositio dicatur retinens nomen commune quando imperfectè inest, & facile amittitur: habitus autem quando perfectè inest, & facilè non amittitur: & sic dispositio fit habitus sicut puer fit vir, licet Aristoteles si græcus textus consulatur, non dixerit dispositionem fieri habitum, sed tanquam habitum. Quidquid sit habitus & dispositio sic sumpta differunt accidentaliter tantum, vt probat ratio facta, & dicit D. Th. qu. citatâ de malo. Secundo autem modo distinguntur tanquam duæ diuersæ species, vt dicetur sequenti conclusione.

33. Dico 4. Probabile etiam esse habitum & dispositionem specie, & essentialiter inter se distingui. Hæc est Diui Thomæ 1. 2. q. 49. art. 2. ad 3. Soti hoc cap. ad 2. principale: Iauelli ibidem, Toleti, Masij, Complutensium, & multorum aliorum. Ratio conclusionis est, quia vna, eademque species, non potest sibi vendicare intrinsecè, & ex naturâ suâ oppositas, & pugnantes conditiones, seu proprietates: sed habitus, & dispositio vendicant naturâ suâ oppositas conditiones & proprietates, scilicet, facilè remoueri à subjecto, & difficile remoueri à subjecto: ergo non possunt esse vna eademque species qualitatis. Maior ex se patet: minor verò est Aristotelis hoc capite; & probatur. Negari enim non potest quasdam esse qualitates, quæ naturâ suâ fugaces sunt, & facilè labiles, ob conditionem causarum, à quibus per se pendent, vt est febris ephimera, vt est pulchritudo, sanitas, & aliæ id genus, quarum causæ facilè transmutantur. Sunt item aliæ qualitates quæ naturâ suâ, & ex vi cau-

sarum suarum, sunt fixæ, stabiles, & firmiter permanentes, vt est febris ethica, quæ est calor confirmatus, & Paralysis, quæ est frigiditas confirmata, vt loquitur Sotus. Item scientiæ, virtutes morales, v. g. iustitia, prudentia. Non potest autem melius cognosci, & indicari cuiusque rei natura, & diuersitas ab alia re, quàm ex diuersitate causarum per se vtriusque.

Confirmatur exemplo, quo solo motus est Suares. Ponendo enim actus vitales sub dispositione, & per habitus intelligendo qualitates, quæ sunt simul cum potentijs principia huiusmodi actuum, dubitari non debet quin habitus, & dispositio specie differant. Nam actus vitales pendent ex continuo influxu, & actuali attentione potentiarum, à quibus procedunt; & ita ex suo genere fluxam habent naturam: at habitus, etiam non operante potentiâ, in ea fixè permanent, & ex sua natura difficilè ab ea remouentur. Quod euidens est argumentũ diuersitatis specificæ actus ab habitu, & consequenter inter habitum & dispositionẽ in genere spectata.

Propter hæc, multi existimant, inter quos Sotus, opinionem, etiam intensissimam, non esse ex genere suo habitum, neque difficilè mobilem à subjecto; si enim accedat euidentia medij in contrarium talis opinionis, statim intellectus deseret primam persuasionem, & adhærebit firmiter cognitioni nouæ. Idemque de errore dicendum est: quia, cùm falsis nitatur principijs, potest ex se facilè remoueri à subjecto.

Ex paritate rationis excludunt alij à ratione habitus vitia moralia; repugnant enim rectæ rationi, & ipsi consequenter naturæ rationali sunt contraria: vnde quantum est ex se possunt facilè expelli. Neque obstat quod virtutes facilius amittantur, quàm vitia; & error firmissimè sæpè intellectui inhæreat. Hoc enim tantùm accidit ratione subiecti, & prauitate nostræ naturæ, quæ primò vitiata peccato, ad malum pronior est, quàm ad bonum. Vnde per accidens est quòd hæc, & similia modum habitus induant, quia secundum rem, & essentialiter sunt tantum dispositiones: sicut per accidens est quod virtutes initio acquisitionis, habeant dispositionis modum, quia ex se & ex genere suo rationem habitus vendicant.

34. Nihilominus facilis quoque est solutio præcedentium rationum. Nam in primis ostensum est ratione secundâ tertiæ conclusionis, eandem specie qualitatem pro diuerso statu vendicare prædictas conditiones, nempe facilè & difficilè à subjecto moueri: atque adeo eas esse tantum accidentales differentias. Præterea charitas est potentissimus habitus; & tamen facilè nimis perit. Tertiò quid est Ethicam esse calorem confirmatum, & Paralysim esse confirmatam frigiditatem? hæc enim firmitas non aliunde oritur, quàm ex substantia quadam morbifica, quæ calorem illum, aut frigiditatem continuò ex se fundit, quæque remedijs attingi non potest, aut expelli, non ob suam firmitatem, sed artis humanæ imbecillitate, aut ignorantia. Neque enim calor ille, aut frigiditas firmiùs in-

hærent illis subiectis, quàm frigus aquæ, & calor aëri, à quibus tamen expelluntur satis facilè. Adde quod hac ratione inuehuntur plures species caloris, & frigoris, distinguendo calorem Ephimeræ à calore Ethicæ; & frigus Paralysis ab alio frigore.

Quartò albedo Cygni causas habet difficilè transmutabiles, cùm nunquam expelli valeat: albedo autem niuis causas habet facilè transmutabiles, vnde facilè rubescit: & tamen nullus dixerit albedinem Cygni specie distinctam esse ab albedine niuis. Idem ergo dicendum de sanitate, pulchritudine, &c. per accidens enim est quòd earum causæ facilè mutentur; ratione nimirum subjecti, & contrariorum, quia semper habent eundem conceptum, quocunque modo se habeant earum causæ.

Denique Aristoteles 7. Phys. cap. 3. vitia ponit inter habitus: sic enim habet, *Habituum alij quidem virtutes; alij verò vitia.* Et certè illis omnibus conuenit, tum etiam opinioni & errori, esse qualitates permanentes ratione suæ causæ, quia iteratis actibus producuntur, & consuetudine pro natura inolescunt: habent etiam communem rationem habitus, explicatam conclusione secunda; videlicet determinare potentiam, & facilem reddere ad operandum.

Quod autem ait Suares de actibus, non vrget: tum quia certum non est an sint qualitates; Aristoteles enim 10. Ethic. c. 2. expresè ait operationes virtutis, & fœlicitatem ipsam qualitates non esse: tum quia referri possunt ad tertiam speciem; quatenus sunt termini actionum sibi respondentium; juxta prædicta numero 19. præsertim si sint materiales & corporei. Nam & Aristoteles iram, gaudium, amorem, & cæteras passiones, quæ sunt actus vitales, & immanentes, in ea specie collocat: quâ tamen ratione hoc verum sit, dicetur infra. Tandem solum inde probatur aliquam dispositionem particularem differre essentialiter ab habitu: non autem dispositionem in communi.

SECTIO IV.

De secunda specie qualitatis, potentia nimirum, & impotentia.

35. POTENTIA multis modis sumitur. Primò pro non repugnantia ad existendum, quomodo possibile dicitur esse in potentia, quia nihil repugnat quo minùs esse possit in rerum natura: vnde in hac significatione duo connotantur, vnum negatiuum, scilicet ipsa non repugnantia; alterum positiuum, videlicet ipsa denominatio possibilis, quæ fundatur, & sumitur ab aliqua potentia reali actiua, à qua potest produci res illa, quæ dicitur esse in potentia: & hoc modo sumpta

Potentia dicitur potentia obiectiua, seu logica; quia, cùm nihil positiuum dicat in re possibili, sed solam non repugnantiam extremorum inter se, magis videtur spectare, & dicere ordinem ad actus, & considerationem intellectus, compositionem aut diuisionem huiusmodi extremorum efficientis, quod proprium est Logicæ.

Secundò sumitur pro reali vi agendi, aut reali capacitate aliquid patiendi, seu recipiendi: quomodo conuenit tum substantiæ, tum accidenti: nam forma substantialis & accidentalis vim habet producendi sibi simile, vt ignis ignem, calor calorem: materia item prima capacitatem habet recipiendi in se formas tum substantiales, tum accidentales. Et ipsa quantitas, saltem, *vt quo*, recipit alia accidentia. Quod si talis potentia recipiendi non dicat aptitudinem positiuam, sed tantum non repugnantiam, qualem habet anima rationalis ad gratiam, & habitus supernaturales, referetur ad primam acceptionem, aut vocabitur, vt solet, potentia obedientialis passiua.

Tertiò sumitur potentia pro qualitate aliqua substantiæ naturaliter insita ad operandum, cuiusmodi est intellectus, voluntas, item potentia ridendi, admirandi, &c.

Additur ex Aristotele hic quarta acceptio, quâ sumitur potentia pro naturali vi, secundum quam aliquid fortiter resistit contrariis, vt est duricies, quâ lapis resistit diuisioni & sectioni: salubritas, seu robusta corporis constitutio quâ difficilè cedit infirmitatibus. Et in hac tertia, & quarta acceptione agimus de potentia: vtrum tamen potentia resistendi sit specialis qualitas, examinandum erit.

Impotentia multis etiam modis vsurpatur; primò enim significat negationem, seu carentiam alicuius potentiæ realis, sic homo dicitur impotens ad volandum. Secundò significare potest potentiam aliquam realem, quæ comparata ad actus alterius potentiæ, dicitur impotentia respectu illorum, vt potentia auditiua dicitur impotentia ad videndum. Tertiò significat potentiam actiuam, sed imbecillem & infirmam ad eliciendos actus, qui illi secundum se conueniunt, vt potentia visiua senis, dicitur impotentia videndi, clarè scilicet & acutè: ingenium hebes, dicitur impotentia ad intelligendum, &c. Quartò denique sumitur pro potentia itidem infirma & inepta ad resistendum, vt mollities in cera dicitur impotentia ad resistendum diuisioni & sectioni. Et hæ duæ postremæ acceptiones, sunt huius loci propriæ, respondentque, vt patet, duabus postremis acceptionibus potentiæ. Vnde duplex distinguetur potentia, altera ad agendum, altera ad resistendum: & similiter duplex impotentia, altera ad agendum, altera ad resistendum. His positis.

36. Dico 1. potentiam sic rectè definiri. *Potentia est qualitas per se primariò ordinata ad operationem, vt primum illius principium.* Ponunt alij *principium proximum*, & non *primum*, ad hoc vt potentia differat à forma substantiali, quæ est principium primum, & radicale

operationis, sed sufficienter excluditur per primam particulam, quâ potentia dicitur absolutè qualitas; forma enim substantialis dicitur qualitas, cum addito, vt notatum est suprà n. 1. vel poterit addi particula *formale*, hoc modo, *vt primũ formale principium illius.* Sic enim differet à substantia quæ est principiũ radicale, & habitu, qui est formale, sed non primum in hoc ordine.

Ponitur ergo *qualitas* pro genere. Additur *per se primario ordinata ad operationem*, vt excludatur passio, & patibilis qualitas, quæ licet operatiuæ sint, non sunt tamen per se primò ad operandum institutæ; sed ad disponendum, & perficiendum formaliter subjectum proprium, in quo sunt, vt dicemus sectione sequenti. Excluditur etiam forma, & figura, quæ per se actiua non est. Vltimæ particulæ excludunt habitum, & dispositionem, quæ per se primariò ad operationem ordinantur, secundũ opinionem n. 29. approbatam: sed tamen non sunt principia prima operationis, quia supponunt potentias, eisque subordinantur, & adduntur vt eas iuuent, & faciles ad operandum reddant, vt explicatum ibi est.

Cæterum secundùm opinionem Diui Thomæ, quæ rationem habitus, & dispositionis ponit in hoc quod benè vel malè rem disponant in ordine ad naturam, sicut explicui numero 28. non erit opus addere vltimas particulas, scilicet, *vt primum illius principium*, per quas diximus potentiam ab habitu discrepare.

Præterea si potentia quarto modo sumpta, nempe pro vi resistendi, sit specialis qualitas, ad hanc pertinens speciem, vt in prædicta definitione comprehendatur, per operationem debet intelligi, non solùm actio propriè dicta, hoc est productio alicuius effectus, sed etiam ea, quæ habet modum actionis, vt resistentia quâ lapis obsistit sectioni & diuisioni. Item si detur qualitas aliqua in hac specie, quæ sit purè passiua, seu receptiua, ad hoc vt illi definitio data competat, nomine operationis intelligi debebit tam actio, quam receptio, vt vult Suares: sed tunc definitio illa esset valde ambigua & imperfecta, ideoque fieri deberet descriptiua, & tradi per disiunctionem hoc modo *ad actionem, vel passionem ordinata, &c.*

37. Dico 2. Potentiam & impotentiam non distingui essentialiter inter se; sed solùm accidentali discrimine. Est communis, & probatur primò ex Aristotele hic, vbi dicit impotentiam esse qualitatem naturalem, non potentem facilè præstare id quod potentia facilè præstare potest: sed aliquid agere perfectè, vel imperfectè, facilè, vel non facilè, non faciunt discrimen essentiale, vt notum est.

Secundò potentiæ distinguntur per actus & objecta: sed potentia, & impotentia ad eosdem actus, & eadem objecta ordinantur: nam potentia auditiua, siue sit acuta, siue debilis, respicit sonum, & eundem actum audiendi: potentia visiua acuta, & debilis respicit colorem & lumen, & eosdem actus videndi.

Denique eadem potentia visiua dicitur potentia in juuene, & impotentia in eodem facto sene: quis enim dixerit hujusmodi potentiam visiuam, ætate mutatâ, mutasse speciem? & hoc idem euenit respectu ingenij: sæpè enim hebes est in juuenibus ob crassiora cerebri organa, quod fit acutius, causis illis mutatis.

Non est autem existimandum impotentiam constitui in genere qualitatis, formaliter quatenus impotentia est, & prout dicit imbecillitatem, & impedimentum agendi. Quia nulla qualitas instituta est per se ad reddendam potentiam imbecillem, minusque aptam ad operandum: & ideo talis imbecillitas non spectat per se ad rationem potentiæ, cùm sit præter naturam, vt ait Arist. 2. de cœlo textu 37. & per accidens eam consequatur. Refertur ergo ad qualitatem quatenus positiuè dat facultatem ad operandum, quamuis ex aliquo accidenti debilis sit, & impedita ne ritè actum suum exerceat, propter quod impotentia nominatur.

38. His tamen non obstantibus probabile est potentiam, & impotentiam specie & essentialiter distingui; ea scilicet ratione vt impotentia non dicat simplicem imbecillitatem, siue ineptitudinem eiusdem potentiæ ad operandum, vel ad resistendum, sicut se habet eadem potentia visiua, hodie acuta, & cras debilis effecta, ob vigilias, ob studia, ob humores, & alias causas: sic enim non differunt specie: sed dicat qualitatem positiuam, contrariam potentiæ naturali, siue quoad actionem, siue quoad resistentiam: quoad actionem quidem, vt est ineptitudo naturalis ad cursum, ad luctam; hebetudo item naturalis ingenij, &c. quoad resistentiam verò, vt ægrotatiuum, seu insalubre, quo aliqui sunt à natura valetudinarij, & impotentes ad resistendum nocentibus, morborumque causis: item mollities secundum quam cera, aliæque res similes facilè diuisionem admittunt, & impotentes sunt ad resistendum contrarijs.

Negari enim non potest aliquos esse suapte natura aptos, aut ineptos ad aliquid agendum, vel resistendum, vel patiendum, quod prouenire ait Boëtius ex victoria formæ super materiam, aut materiæ super formam. In quibus enim forma dominatur, fortis est constitutio; in alijs verò debilis, & infirma. Eodemque modo de similibus philosophandum est, & simul aduertendum, quòd aliud est esse infirmum, aut sanum; aliud esse naturaliter aptum aut ineptum ad sanitatem; primum enim pertinet ad primam speciem juxta dicta numero 28. secundum verò ad naturalem potentiam aut impotentiam. Et hanc sententiam tenet Soto hic q. vnica in responsione ad confirmationem tertij argumenti, Toletus in expositione textus 4. Balforeus q. posteriori & alij.

Ratio huius opinionis est, quia potentia & impotentia naturaliter ordinantur ad actus contrarios, vt durities ad fortiter resistendum; mollities ad non resistendum, aut facilè suscipiendum. Item pugillatus ad fortiter luctandum; & ineptitudo contraria ad actum contrarium. Hæc autem indicant essentiale discrimen.

Sed huic rationi facilè respondetur ex dictis, quia nulla qualitas ponitur in hac specie ex eo quòd ineptam reddat potentiam ad operandum, sed ex eo quòd dat capacitatem ad operandum, vel resistendum; & ideo cætera se habere per accidens. Id autem quod dicitur de duritie & mollitie, & alijs similibus, ad contrarios actus ordinatis, indicat tantum distinctionem specificam inter particulares illas qualitates, non autem inter potentiam & impotentiam in communi: nam leuitas & grauitas ordinantur simili modo ad actus oppositos, & tamen neutra est impotentia.

39. Superest nunc inquirendum primò an potentia resistendi, sit specialis qualitas, in hac specie collocanda. Pro responsione autem notandum est ex Ægidio romano libro 1. de generatione cap. 9. qu. 3. nomen resistentiæ tribus præsertim modis vsurpari posse: primo pro resistentia negatiua, quæ consistit in incapacitate subiecti ad aliquam formam seu actionem: quomodo Cœlum Lunæ dicitur igni attiguo resistere. Secundò pro resistentia contraria, quâ aliquid congreditur actione suâ cum aduersario, eiusque vim, contra pugnando, debilitat, vt cùm ignis resistit aquæ, debilitando & retundendo frigiditatem illius per suum calorem. Tertiò sumitur pro retardatione & resistentia, quasi formali, per quam vna forma actuando, & disponendo subiectum, impedit ne alia forma, vel actio in illud introducatur, aut eam retardat & infringit, quomodo nauis obsistit immota conatui trahentis, & saxum præ duritie frangi nescium, respuit ictum mallei. Hoc autem genus resistentiæ reperitur absque vlla actione; nam formis etiam conuenit nullam habentibus vim agendi, vt albedini & nigredini: albedo quippe resistit introductioni nigredinis, nihil agendo, quia nec producit albedinem, nec gradus nigredinis minuit. Et deinde eadem res sæpè magis actiua est, & tamen minùs resistit, vt ostenditur in libris de generatione. Nam ignis est magis actiuus, quam aqua: & tamen aqua magis igni resistit, quam è conuerso. His prænotatis.

Respondeo, non esse hic controuersiam de potentia resistendi, sumendo resistentiam secundo modo, pro resistentia contraria. Huiusmodi enim qualitas est verè actiua, & consequenter si ad istam speciem pertineat, sine dubio erit specialis potentia resistendi, solà ratione distincta à potentia agendi, quatenus actiua dicitur per ordinem ad actionem, quam elicit; restitiua verò ex eo quod debilitat vires, & actionem alterius: vnde in tantum resistit in quantum agit, & consequenter tantum est restitiua hoc modo, quantum actiua.

40. Est igitur controuersia de potentia resistendi, sumendo resistentiam tertio modo, pro resistentia nimirum formali, & immediata repugnantia, seu incompossibilitate. Et in hoc sensu existimo potentiam resistendi non esse specialem qualitatem, quæ sub hac ratione debeat in hac specie collocari.

Ratio est, quia iste modus resistendi, potiùs dicit incapacitatem quan-

dam recipiendi contrariam actionem, quam facultatem per se ordinatam ad huiusmodi actionem impediendam, aut retardandam. Potentia quippe naturalis non potest esse per se ordinata ad carentiam, aut priuationem aliquam; sed ex eo quòd per se ordinetur ad aliquem effectum formalem, suo subiecto tribuendum, hinc habet ex consequenti, quòd formaliter repugnet cuicumque actioni, vel formæ contrariæ. Vnde sub hac consideratione non potest particularem constituere potentiæ speciem distinctam à potentia actiua, & passiua. Quod confirmatur ex eo quod potentia dicatur respectu actus, & actus respectu potentiæ: actus autem tantum dicit habitudinem ad potentiam, vel tanquam ad id à quo fit, & est potentia actiua: vel tanquam ad id in quo, vel ex quo fit, & est potentia passiua.

Tribus autem modis intelligi potest qualitas aliqua magis resistere, quam alia isto tertio modo resistentiæ: primò ex ipsa specie, & ratione vnionis, quia vna qualitas potest hoc à natura sua habere, vt firmiùs, & tenaciùs informet subjectum, non solùm ratione maioris intensionis, sed ratione ipsiusmet vnionis, atque ita magis resistat actioni contrariæ.

Secundò ex eo quod subiecto accedit quædam maior disproportio ad virtutem agentis, quomodo durities, & siccitas cogendo, & addensando plures subiecti partes, efficit, vt agens non possit ita facilè agere in omnes si nul, ac si seorsim ei applicarentur, & ita confert ad maiorem resistentiam.

Tertio denique ex eo quòd resistentia formalis coniungitur cum resistentia contraria, seu actiua, vt si qualitas, quæ naturâ suâ firmiùs vnitur subiecto suo, ab illo etiam emanat. Sic enim frigus in aqua existens magis resistit contrario, quàm frigus existens in aëre, quia prior resistentia roboratur à continua resultantia, per quam fluit ab aqua: & similiter in exemplo allato, nauis, quæ natiuâ grauitate retinetur in loco, trahenti contranititur; non secus ac lapis actiuè resistit motui sursum, dum proprio pondere conseruare nititur existentiam in proprio loco.

Verùm si quis oppositam sententiam sequi maluerit, poterit in primis niti authoritate Aristotelis, qui hoc capite verbis expressis ponit in specie potentiæ, potentiam resistendi in sensu prædicto, vt duritiem, quæ non patitur sectionem & diuisionem: & 5. Metaph. cap. 12. inter alias acceptiones potentiæ ponit habitus secundum quos aliqua sunt immutabilia, seu passionis expertia. Dicere enim quod Aristoteles hic nominauerit qualitates secundum modum intelligendi vulgi, arbitrarium videtur. Præterea nihil obstat quò minùs qualitas aliqua data sit à natura eo fine, vt à contrariis conseruet subiectum suum per hoc genus resistentiæ. Tertio resistere hoc modo non est agere, vt patet ex dictis: neque etiam est pati, sed potiùs impedire passionem: & tamen est aliquid reale vt notum est, ergo vis resistendi est aliquod genus potentiæ distinctum à potentia actiua & passiua.

41. Quæritur

41. Quæritur secundò vtrum detur qualitas aliqua, quæ sit potentia purè passiua & receptiua, nullam habens actiuitatem, sicut in genere substantiæ est potentia materiæ primæ, & in genere qualitatis ea per quam ipsa, *vt quo* recipit alia accidentia.

Respondeo breuiter, quòd licet nulla appareat repugnantia, quin dari possit talis potentia accidentalis, purè passiua, in hoc genere qualitatis: nullam tamen assignari posse, quæ ita se habeat, imò nullam esse rationem quâ ostendatur eam esse necessariam, aut commodam ipsi substantiæ. Nam in primis materia prima, quantitate affecta habet potentiam passiuam proportionatam ad recipienda omnia accidentia materialia, nec oportet ei concedere qualitatem, quæ sit potentia eorum receptiua, & per ea informabilis. Potentiæ item vitales, licet recipiant in se actus suos, eos tamen actiuè eliciunt, vt dicetur in libris de anima. Diaphaneitas quoque existens in aëre, in crystallo, &c. est quidem necessaria dispositio ad lumen recipiendum, sed non est potentia receptiua illius, itaut eo actuetur, & informetur, tanquam proprio actu, & propriâ perfectione connaturali. Nam multa sunt diaphana, quibus nullum lumen ineft, quod non contingeret si diaphaneitas esset potenia per se ordinata ad recipiendum lumen, tanquam cõnaturalem perfectionem.

Nec aliter dicendum est de charactere Baptismi, qui ponitur in specie potentiæ, purè passiuæ ad alia Sacramenta recipienda. Ipse enim disponit quidem hominem, vt sit capax recipiendi alia Sacramenta, sed non ideo est potentia purè receptiua alicuius actus, aut formæ: sicut quantitas dicitur necessaria dispositio in materia ad recipiendam formam substantialem, per quam tamen ipsa non actuatur, nec informatur, vt notum est. Et ex his omnibus planus fit sensus definitionis potentiæ, primâ conclusione assignatæ, & declaratur sufficienter natura huius speciei qualitatis.

SECTIO V.

De tertia specie qualitatis, scilicet passione, & patibili qualitate.

42. PASSIO sumitur primò pro receptione alicuius rei in aliquo subiecto, siue id quod recipitur, sit disconueniens tali subiecto, siue non. Et ita calefactio per quam manus calorem recipit, passio nuncupatur: & per passionem hoc modo sumptam constituitur prædicamentum passionis, de quo infra.

Secundò strictiùs, & magis propriè sumitur pro receptione alicuius contrarij naturæ subiecti, in quo recipitur, vt est receptio caloris in

aqua. Et ita Aristoteles 5. Metaphys. cap.21. ait tunc maximè passionem dici quando id quod recipitur, tristitiam & molestiam affert. Vnde factum est vt animi affectus, ira, tristitia, amor, &c. passiones vocentur, quia vtplurimum contingunt cum alteratione aliqua corpori nociua, præsertim si vehementes sint; nam & ingens etiam lætitia, sæpè mortem intulit: aut etiam quia voluntas per eas violentiam quamdam patitur. Rationem huius acceptionis affert D. Th.1.2.q.22. art.1.quia pati dicitur ex eo quod aliquid trahitur ad agentem: quod autem recedit ab eo quod est sibi conueniens, maximè videtur ad aliud trahi.

Tertiò denique sumitur pro qualitate, quæ est causa, vel effectus, seu terminus passionis secundo modo dictæ. Quod si passio ex qua oritur hæc qualitas, citò transeat, qualitas illa dicetur passio, quia passio magis videtur significare rem transeuntem, & in fieri, quàm permanentem, & in facto esse: huiusmodi est rubor ex verecundia, & pallor ex subito timore. Si verò diuturnior sit, & difficilè mobilis à subiecto, dicetur qualitas passiua, seu passibilis, aut patibilis, vt est pallor ex morbo relictus, aut color à naturali complexione proueniens, sicut albedo in Cygno.

43. Qualitatem passibilem sic definiunt, seu declarant Complutenses; *qualitas passibilis est qualitas sensibilis, seu obiectiua.* Id est, constituens obiectum alicuius sensus, vt sunt calor, frigus, humiditas, siccitas, lux, color, odor, sapor, sonus, & si quæ sint aliæ qualitates, quæ sint obiecta sensuum.

Hæc tamen definitio aliquas patitur difficultates, quas ipsi contempsisse videntur, vtique non contemnendas. In primis enim forma, & figura, quæ ad hanc speciem non pertinet, qualitas est ex ipsis, & tamen est sensibilis tum visu, tum etiam tactu. Item pulchritudo & deformitas, sensu percipiuntur: & tamen eas ponunt sub prima specie, si sint accidentia distincta à figura, colore, &c. quod ipsi non respuunt num. 29.

Secundò passiones animæ, vt ira, gaudium, &c. item amentia & insania ponuntur in hac specie ex textu Aristotelis expresso in hoc capite: & tamen non sunt obiecta sensuum: nec sufficit dicere ista pertinere ad hanc speciem ratione qualitatis sensibilis, quæ producitur per alterationem corporalem, quæ cum huiusmodi passionibus coniungitur. Nam Aristoteles hic docet huiusmodi passiones pertinere ad hanc speciem, quatenus denominant hominem amentem, aut iracundum, &c. Homo autem non denominatur iracundus, aut amens à rubore, à pallore, à calore, frigore, &c. sed ab ipsis passionibus formalibus appetitus, vt sunt qualitates interiores, in ipso appetitu permanentes, aut citò transeuntes.

Denique idem Aristoteles ait expresè colores non dici qualitates passibiles, quia efficiant passionem in sensu sicut aliæ, sed quia à passione oriuntur, videlicet ex primarum qualitatum actione & passione: ergo non pertinent ad hanc speciem, vt sunt obiectum visus, sed quatenus à passione ortum habent: atq; adeò malè definitur passibilis qualitas per ordinem ad sensum.

44. Propter primam difficultatem, definitio prædicta potest in hæc verba concipi. *Qualitas possibilis, est qualitas per se primò sensibilis*, vel *constitutiua proprij obiecti alicuius sensus*. Sic enim excluditur forma & figura ab ista specie, quia non est sensibile proprium, sed commune, hoc est à multis sensibus externis perceptibile: vel non est sensibilis per se primò, sed tantum per se secundò; id est non per propriam speciem, sed quatenus modificat speciem proprij sensibilis, vt dicitur in libris de anima; aliter enim album, v. g. imprimit suam speciem in oculo si sit quadratum, aliter, si rotundum, &c. Quod si pulchritudo & deformitas dicantur accidentia simplicia, & non aggregatum ex multis, poterunt poni in prima specie ex Diui Thomæ opinione, quatenus benè, vel malè afficiunt naturam; atque etiam in hac tertia, quatenus erunt obiecta sensibilia.

Ad secundam difficultatem, rectè ibi respondetur, passiones nimirum animæ non pertinere ad tertiam speciem, quatenus præcisè sunt actus vitales; sed ratione alterationis, quam in corpore efficiunt; seu ratione termini huiusmodi alterationis. Si enim vt sunt actus vitales appetitus sensitiui, sint actiones simplices, & non qualitates, ad prædicamentum actionis & passionis pertinent; si verò habeant aliquem terminum, ad primam speciem ipse reuocabitur, quia vel erit habitus firmiter inhærens in ipso appetitu, vel dispositio citò transiens, vt explicatum est numero 30. in fine.

Ad instantiam verò, ex Aristotele sumptam dicitur, hominem denominari iracundum, amentem, &c. non ex qualitate secundaria, quæ oritur ex primarum commixtione, vt ex rubore, pallore, &c. sed ex qualitate, seu potiùs ex temperamento, orto ex alteratione, quæ immediatè comitatur passiones appetitus. Quando enim quis irascitur, non solùm rubet, aut pallet in vultu, sed prius ardet & efferuescit in corde. Si ergo cordis temperamentum sit nimis feruidum, procliuis erit homo ad iram, & inde denominabitur iracundus; & si inde turbentur organa sensuum internorum, à quorum cooperatione pendet intellectus in suis operationibus pro hoc statu, cadet in amentiam, quæ si multo duret tempore, denominabitur amens. Idemque de cæteris iudicium esse debet. Vnde Aristoteles sectione 27. problematum q. 4. ait homines habentes magnum pulmonem sanguinem, esse audaciores propter maiorem cordis caliditatem inde promanantem. Et lib. 3. de partibus animal. c. 4. habentes paruum cor, minùs timidos esse ait. Calor enim naturalis fortiùs calefacit paruum cor, quàm magnum.

45. Non est ergo cur Ruuius adeò vehementer inculcet prædictam instantiam, vt propter eam asserat falsam esse oppositam opinionem: imò eius opinionem contra ipsummet, & contra Aristotelem pugnare ostendo. Dicit enim Aristoteles iracundiam, amentiam, &c. à quibus homines dicuntur iracundi, aut insani, posse eis inesse ab ipso ortu & genera-

tione. Ruuius autem num. 40. in fine ait, quòd si terminus actionis appetitus citò transit, vocatur passio; si verò per actionem quasi permanentem producatur, vt est iracundia, aut dementia ab ipsa natiuitate habita, inquit, vocatur passibilis qualitas. Quæro igitur ab ipso, quænam actio appetitus sensitiui potuit esse in puero, ab ipsa natiuitate, per quam producta sit illa qualitas interna, ipsi appetitui impressa, quâ vult hominem denominari iracundum, audacem, amentem, &c. nullam certè poterit assignare: & ideo necesse est dicere, posse talem qualitatum complexionem cordi, alteriue parti in qua appetitus residet, inuri ab ipsa natiuitate, vt inde homo naturaliter iracundus denominetur. Ergo si per iteratos iracundiæ actus, talis fiat alteratio in corde, vt similis temperamenti constitutio consurgat, denominabitur homo iracundus ab huiusmodi temperamento, tanquam à causa impellente appetitum ad frequentem iram, non verò ab illis actibus, aut ab immediato eorum termino, nisi denominatione pertinente ad primam speciem, vt dixi ad initium huius difficultatis.

46. Ad tertiam difficultatem dicitur in primis, Aristotelem hoc modo loquendi velle explicare potiùs nominis etymologiam & originem, quàm tradere rationem essentialem qualitatum huius speciei: ratio enim essentialis communis, debet esse eadem in omnibus; & consequenter dici non potest, quòd aliæ pertineant ad istam speciem, quia passionem in sensibus efficiunt; aliæ verò, quia à passione efficiuntur, nisi ad dandam rationem impositionis nominis, vt dixi. Vnde ratio illa communis essentialis non malè statuitur in eo, quòd istæ qualitates constituant obiecta propria sensuum externorum.

Præterea dicitur, dum hoc scriberet Aristoteles, communem opinionem fuisse, visionem fieri per emissionem radiorum ab oculo in obiectum, non verò per receptionem specierum obiecti in oculo, quam postremam sententiam tenuit & explicuit deinde Aristoteles in 3. de anima, c. 12. & de sensu & sensili c. 2. Ne igitur nouam opinionem, importunè huic loco intermisceret, dixit colores passiuas qualitates vocari, non quia efficiant passionem in visu, sicut aliæ in alijs sensibus, sed quia ex passione oriuntur: & eâdem forte ratione non meminit lucis & luminis, quia suo tempore communiter censebantur substantia, & non accidens.

Denique Aristoteles tantùm voluit colores non efficere passionem in sensu, eo modo, quo calor, odor, sapor, videlicet passionem corruptiuam, quæ vocari solet realis, & Physica: non negauit autem passionem quæ intentionalis dicitur, id est receptionem specierum, quas colores imprimunt visui, vt cum eo ad visionem, tanquam vicariæ colorum concurrant. Ex quo planè prædictis difficultatibus factum est satis.

47. Cæterum ex sententia, quam superius tradidimus num. 22. rectè etiam potest definiri passibilis qualitas hoc modo, *qualitas formam con-*

sequens firmiterque inhærens subiecto, & primariò ordinata ad illius ornamentum, aut conseruationem. Dicitur *formam consequens* modo explicato supra num. 5. Per *firmiter inhærens*, distinguitur à passione, quæ citò transit. Per alias particulas differt à potentia & habitu, quæ primariò operationem respiciunt, secundum dicta num. 29. & 36. licet ergo multæ qualitates huius speciei sint actiuæ, vt calor, frigus, lux, non sunt tamen per se primò ad munus agendi destinatæ, sed tantùm ad disponendum & perficiendum formaliter subiectum, in quo sunt, & ad conseruandam vnionem formæ cum materia, aut vt sint debitæ dispositiones ad illius introductionem: sic calor conseruat ignem, sic albedo Cygnum exornat, sic frigus aquam fouet, sic lux Solem perficit.

Neque obstat quod aliquæ ex his sint disconuenientes aliquibus subjectis, vt calor aquæ, quia hoc est per accidens, & respectu subiecti extranei, non autem proprij.

Cognoscetur autem quæ qualitates ad istam speciem pertineant, hâc ratione. Si seclusâ actione & operatione, aliqua sit qualitas, quæ necessaria censeatur substantiæ propter formalem illius perfectionem, aut conseruationem, signum erit eam ad istam speciem reuocari. Si verò seclusâ operatione censeatur inutilis & superflua, signum erit eam esse primariò institutam ad operandum, & ita ad primam, vel secundam speciē pertinere.

48. Objicit Ouiedo efficaciter, vt credit, illud quod per se primò à natura, seu ab actione causæ naturalis attingitur, per se primò ab eadem natura intenditur: sed omnia prædicata, quæ sunt identificata, in calore, v.g. vt est ratio producendi alium calorem; ratio conseruandi suum subjectum; ratio illud perficiendi, ornandi, &c. per se primò attinguntur à causa producente calorem, quia actio non est prædicatorum præcisiua: ergo illa omnia æque primò, & per se à natura intenduntur; falsum ergo est calorem non esse primò & per se intentum à natura ad operandum: & ita de aliis qualitatibus actiuis huius speciei. Maior patet, quia illud natura intendere dicitur, in quod causæ naturales propendent; earum enim propensio est naturæ intentio: in id autem propendere dicuntur, quod naturaliter & sponte sua producunt, & eâdem ratione illud intendunt, quâ illud producunt: sed causæ productiuæ caloris, sponte suâ, & naturaliter illum producunt vnà cum virtute actiua illi indita ad producendum alium calorem, ergo illum intendunt cum hac virtute actiua.

Respondetur, eodem modo philosophandum esse de intentione causæ naturalis, quo de intentione causæ intellectualis, & liberæ, quia causa naturalis à Deo in suos dirigitur fines. Si ergo virtus actiua caloris censetur non esse per se primò necessaria respectu proprij subiecti, rectè infertur talem virtutem non intendi per se primò à natura, licet per eius actionem attingatur simul cum alijs attributis caloris ob identitatem eorum: aut non intendi, nisi in quantum necessaria est ad conse-

uationem ſubjecti, tanquam ad primarium finem. Vnde reuera talis virtus nihil agit juxta Lunæ concauum, quia nullum ibi inimicum contrarium reperit. Et idem dicendum eſt de luce, de frigore, & alijs. Addi poteſt conformiter ad opinionem num. 23. explicatam, calorem vt actiuus eſt, pertinere ad primam vel ſecundam ſpeciem; ad iſtam verò ſub ratione jam tradita, & ſic poſſe per ſe primò à natura intendi ſub vtraque.

49. Quæres utrum paſſio, & paſſibilis qualitas ſpecie differant? Reſpondeo non differre ſpecie, ſed tantum accidentaliter ob longiorem, vel breuiorem durationem. Ita communiter Philoſophi, fere omnes. Patet primò ex Ariſtotele hic, qui paſſionem in eo ſolum à paſſibili qualitate diſtinguit quòd paſſibilis qualitas ſit diuturnior in ſubiecto: at hoc facit tantùm diſcrimen accidentale. Nam idem Ariſtoteles 1. Eth. c. 6. ait album diuturnius non differre ſpecie ab albo minùs durante: & hic ait eundem ruborem, qui oritur à pudore, & citò tranſit; poſſe eſſe naturalem, ſeu à conſtitutione naturali poſſe oriti, & eſſe permanentem.

Secundò: eſſentia colligitur ex effectu formali: paſſio autem & patibilis qualitas eundem effectum formalem habent, vt rubor ex verecundia, & rubor à natiuitate, facere rubeum: lux in Sole, & in aëre reddere lucidum, &c. quòd autem paſſio minùs duret, quàm paſſibilis qualitas, hoc pendet ex cauſis extrinſecis, quæ magis, vel minus durant: per accidens autem eſt reſpectu caloris, ruboris, palloris, &c. quòd eorum cauſæ citò tranſeant, aut permanentes ſint, vt per ſe notum eſt.

Dices: probabile eſſe diximus ſupra, habitum, & diſpoſitionem diſtingui ſpecie, quia diſpoſitio eſt fugax, & minùs ſtabilis, quam habitus: ergo paſſio ob eandem rationem poterit dici diſtingui ſpecie à paſsibili qualitate. Deinde: qualitas eſt à qua denominamur ſimpliciter quales: ſed à poſſibili qualitate denominamur ſimpliciter quales; non autem à paſſione, vt expreſsè docet Ariſtoteles. Nam à rubore ex verecundia, non dicitur quis ſimpliciter rubeus, ſed ruborem paſſus: ergo paſſio, & paſſibilis qualitas eſſentialiter differunt.

50. Reſpondeo ad primum, eſſe diſparitatem, quia habitus poſtulat naturâ ſuâ ſtabilitatem & immobilitatem à ſubjecto, vt dictum eſt n. 33. diſpoſitio verò poſtulat eſſe facilè mobilis naturâ ſuâ; quæ ſunt conditiones oppoſitæ & diuerſæ: at paſſio, & paſsibilis qualitas habent eũdem effectum formalem, & conſequenter eandem naturam eſſentialem; ſolumque differunt ex parte denominationis, quia cùm vna citò tranſeat, denominatur ad modum paſsionis, quæ ſignificat rem tranſeuntem, & quaſi in fieri: altera verò denominatur ad modum qualitatis permanentis, quia diuturnior eſt.

Reſpondeo ad ſecundum ex Caiet. duplex eſſe genus qualitatis. Alia eſt enim qualitas ſecundùm rem & modum, quæ permanens eſt, & diuturna in ſubiecto: alia verò ſecundum rem quidem, ſed non ſecundum modum, quia citò tranſit, & ita habet potiùs modum paſsionis.

A prima denominamur simpliciter quales, quia à modo inhærendi potissimum sumitur denominatio: à secunda verò dicimur quales, tantum secundùm quid, hoc est pro breui tempore, non autem simpliciter & absolutè, & sic Aristoteles ait aliquem simpliciter dici iracundum, quando naturâ suâ procliuis est ad iracundiam; secùs quando naturâ suâ mitis est, & aliquando irascitur. Ex quo tantùm inferri potest accidentale discrimen.

51. Non existimo tamen oppositam sententiam improbabilem, quòd nimirum passio, & passibilis qualitas specie, & essentialiter inter se differant, quam sequitur Canterus, Balforeus, aliique, & probabilem iudicat Sotus hic, respondendo ad confirmationem quarti. Ratio autem fundamentalis sumi debet eodem modo, quo supra de habitu & dispositione: quia in hac specie quædam sunt qualitates, quæ naturâ suâ, & ab intrinseco permanentes sunt, nec pendent in facto esse à suis causis, sed tantum in fieri, vt albedo Cygni, nigredo Corui, lux Solis. Aliæ verò, quæ naturâ suâ fluxæ sunt, & à perpetuo causarum influxu pendent, vt lumen in aëre, in Luna; species intentionales sensuum externorum, quas aliqui ad hanc speciem reducunt; item sonus: rubor etiam ex verecundia, qui à sanguinis & spirituum ad faciem recurrentium præsentia dependet.

Istæ & si quæ sint aliæ huius rationis qualitates, poterunt dici passiones essentialiter ab aliis distinctæ. Huiusmodi enim diuersitas dependentiæ, est signum manifestum diuersitatis naturæ, vt in simili diximus de actibus, & habitibus supra num. 33. vnde negandum est eundem esse specie effectum formalem passionis & patibilis qualitatis, nisi quando passio est passibilis qualitas secundum rem, & tantum ab ea differt secundum modum, vt dictum est de habitu & dispositione, eodem numero in fine.

SECTIO VI.

De quarta specie qualitatis, forma nempe, & figura.

52. MVLTIPLICITER sumitur forma, sicut & figura: primò pro quouis actu informante subiectum aliquod, & ita anima dicitur forma substàtialis hominis, & quodlibet accidẽs forma accidentalis. Secundò pro pulchritudine, quæ ex debita partium proportione, & ordine resultat, vnde dicuntur homines formosi, & hoc modo vult Boëtius formam hic sumi ab Aristotele; itaut forma sit decor superadditus figuræ. Ait verò Sotus hoc non esse ad mentem Aristotelis, quia Aristoteles ponit pulchritudinem in prima specie. Sed hoc non vrget, quia ex mente Soti, & Thomistarum, eadem qualitas potest ad diuersas

ſpecies reuocari: & ita D. Th. 1. 2. q. 49. art. 2. ad 1. ponit figuram in prima ſpecie quatenus ſpectatur vt rei conueniens. Tertiò ſumitur forma pro externa diſpoſitione partium corporis inter ſe: & ſic dicimus formam bouis, formam cathedræ, &c. & in hac acceptione pertinet ad iſtam ſpeciem.

Figura, omiſsâ ſignificatione metaphoricâ quâ dicuntur in Rhetorica eſſe figuræ, item ſyllogiſmorum figuræ, &c. Sumitur primò pro ſigno alicuius rei, vt immolatio Agni Paſchalis dicitur figura Dominicæ Paſſionis. Secundò ſignificat idem quod forma tertio modo ſumpta, videlicet externam diſpoſitionem, & terminationem partium corporis, vnde vocatur circulare, triangulare, &c. cum certo tamen diſcrimine quod varij variè explicant.

53. Et in primis Boëtius, & Smplicius figuram volunt eſſe eam ſpeciem quæ in ſola quantitate exiſtit, vt eſt circulus, quadratum, &c. Formam verò aiunt addere ſupra figuram, accidentia ſenſibilia, quibus ſic decoratur & ornatur figura, vt inde pulchritudo nominetur.

Ammonius per figuram intelligit eam, quæ eſt in rebus, vitâ carentibus: per formam verò eam, quæ eſt in rebus animatis. Sed hic non datur ratio cur figura dicatur de inanimatis potiùs quam de animatis.

Albertus Magnus vult figuram reſpectu ſolius quantitatis dici, quia eſt extrinſeca illius terminatio & limitatio. Formam verò per reſpectum ad ſpeciem & formam ſubſtantialem rei. Nam res diuerſarum ſpecierum, diuerſas habent formas, ſeu figuras. Et hoc modo forma & figura ſolâ ratione differunt per comparationem ad diuerſa. Verùm inquit Sotus figura rei in quantum conueniens ſpeciei & formæ, pertinet ad pulchritudinem quæ ponitur in prima ſpecie.

Iamblicus teſte Simplicio, per figuram intelligit eam, quæ conuenit magnitudini, ſeu quantitati conſideratæ in abſtracto & mathematicè, hoc eſt ſine materia. Quomodo Ariſt. 5. Metaph. c. 14. vocat hanc qualitatis ſpeciem, immobilia Mathematica: ideſt figuram, vt abſtrahit ab ente naturali mobili, & à tali, vel tali corpore, ferro, lapide, ligno, vt eſt triangulus, quadratum, circulus, abſolutè ſumpta: per formam verò intelligit eam quæ materiam connotat, ſeu quæ eſt in corporibus, vt in homine, in lapide.

Diuus Thomas lib. 7. Phyſ. lect. 5. litera 4. ait formam & figuram ab inuicem differre quod figura importat terminationem quantitatis. Eſt enim figura quæ termino, vel terminis comprehenditur, vt circulus vnico termino, ſeu lineâ clauditur; quadratum quatuor terminis, ſeu lineis, & ita de alijs. Forma verò, inquit, dicitur, quæ dat eſſe ſpecificum artificiato, vt eſt figura domus, figura Cathedræ, ſtatuæ, nauis, &c. huiuſmodi enim formæ ſunt accidentia, & ita ad hanc ſpeciem qualitatis pertinent.

54. Exiſtimo dicendum Ariſtotelem valdè indifferenter vſurpaſſe nomen

men formæ & figuræ: nam in libris de cœlo, figuram tribuit rebus naturalibus, vt astris, cœlo, terræ: item in libris de animalibus, passim vtitur nomine figuræ pro illa exteriori specie, quæ animalibus conuenit: similiter 7. Phys. c. 3. rebus artificiatis hoc idem attribuit vt statuæ lecticæ, pyramidi. Denique nomen formæ tribuit etiam rebus naturalibus, vt dum lib. 4. de generat. animal. c. 3. in fine ait monstra esse quæ prodeunt forma multimembri, scilicet multis pedibus, aut multis capitibus. Idemque alibi sæpè vsurpat. Si tamen differentia quædam inter vtrumque assignanda sit, præ cæteris arridet, quam tradit Iamblicus, vt nimirum figura dicatur, quæ ex terminatione quantitatis Mathematicæ, hoc est abstrahentis à materia & forma sensibili, resultat: forma verò dicatur, vt intelligitur in aliqua esse materia, seu corpore, siue naturali, siue artificiato. Ratio autem cur figura vt in corpore naturali est, aut artificiato, forma dicatur, hæc assignari potest, quia communiter forma dicitur dare rei perfectionem & speciem; inter omnes autem qualitates, figuræ maximè consequuntur, & demonstrant speciem rerum, quod præsertim in plantis & animalibus videre licet, in quibus nullo certiori signo inferri potest naturarum diuersitas, quam ex figurarum diuersitate, vt rectè docet D. Th. loco citato Physicorum. Vnde imago quæ est expressa rei repræsentatio magis attenditur secundùm figuram, quam secundùm colorem, aut aliquid aliud. Quia verò artificiatum est quædam imitatio naturæ, figura artificiati, est forma eius, dans illi speciem in suo genere. His prænotatis.

55. Dico 1. Formam & figuram, prout indiscriminatim hanc speciem constituere intelliguntur, sic rectè definì i. *Figura est qualitas afficiens quantitatem illamque determinans & disponens certo quodam modo.* Hæc conclusio patet ex dictis supra sectione 2. præsertim num. 11. in fine. Ratio definitionis est, quia quantitas ex se nullum habet modum, sed est indifferens vt sic, vel sic partes eius ordinentur & disponantur in seipsis. Cùm ergo proprium sit qualitatis determinare subiectum accidentaliter, vt patet ex dictis & quantitas non determinetur ad talem, vel talem modum à prima, secunda, & tertia specie qualitatis, vt de se constat, oportet vt id fiat à forma & figura.

Scio Aristotelem 5. Metaph. c. 14. figuram tribuere numeris compositis, qui consurgunt ex ductu & multiplicatione vnius numeri in seipsum, vel in alium, vt senarius ex ternario in binarium ducto: nouenarius, ex ternario in seipsum, vel per seipsum multiplicato. Sed hæc figuræ ratio, metaphorica est, & desumitur tantum per quamdam analogiam, seu proportionem ad figuras continuæ quantitatis. Sicut enim figura quadrata consurgit ex ductu vnius lineæ rectæ in latus secundùm propriam longitudinem: ita ex ductu ternarij in seipsum, intelligitur consurgere figura quædam quadrata, quæ potiùs est obiectiuè solùm in intellectu, quam in ipsa re. Vnde concludendum est prædictam definitionem figuræ, & consequenter figuram ipsam soli quantitati continuæ con-

uenire. Quod autem dicimus figuram præstare in quantitate, hoc idem præstari in substantia per formam mediante ipsa quantitate asserendum est, vt constat ex dictis.

Diuus Thomas 3. sent. d. 16. qu. 2. art. 1. ad 1. hanc figuræ definitionem assignat: *Figura est qualitas ex terminatione quantitatis resultans.* Nos autem dicimus figuram huiusmodi terminationem conferre, non verò ex ea resultare. Sed aduertendum est duplicem terminationem inesse quantitati, alteram intrinsecam, alteram extrinsecam. Intrinseca est punctum respectu lineæ, linea respectu superficiei, & superficies respectu corporis. Extrinseca verò & accidentalis est ipsa figura, quæ consequitur intrinsecam illam terminationem. Nam figura, v. g. quadrangula, constans quatuor angulis, supponit quatuor lineas, suis punctis terminatas, & cubus supponit sex superficies, suis terminatas lineis, quibus superueniens eas formaliter, & non effectiuè ordinat & disponit, & in specie cubi constituit: atque ita de similibus. Vnde definitio Diui Th. non est nostræ contraria.

56. Dico 2. Formam & figuram accidentaliter tantùm differre inter se. Est communis opinio. Ratio est, quia forma & figura, vt ex dictis sequitur, sunt eadem qualitas, & solum in hoc differunt quòd vna spectetur mathematicè, & vt abstracta ab omni materia & corpore naturali: altera verò physicè, & vt existens in materia sensibili, seu in corpore naturali: hæc autem non faciunt discrimen specificum, alioquin idem homo physicè consideratus, vt constat materiâ & formâ, differret specie à seipso, metaphysicè spectato, vt constat genere & differentia, abstrahendo a materia.

Verùm in hac specie non aliter, quàm in præcedentibus philosophari conuenit: probabile nimirum esse formam & figuram essentialiter, & specificè inter se distingui. Et in primis secundùm differentiam, quam Boëtius & Simplicius ponunt inter formam & figuram, hoc clarè constat, quia figura solam respicit quantitatem, eiusque terminationem: forma verò addit alia accidentia sensibilia, quæ pulchritudinem, adde & deformitatem, componunt. Et licet multæ includantur qualitates in forma, hoc modo sumpta; habent tamen aliquam vnitatem proportionis & subordinationis, non secùs ac artefacta, ratione cuius censeri possunt aliquo modo vna qualitas huius speciei.

Deinde si figura posita sit in vnione partium quantitatis, & in tali earum ordine, vi cuius hæc petit talem præsentiam, talem distantiam, talem situm: & similiter forma in vnione partium substantiæ, & in tali ordine, vi cuius hæc est caput, hæc manus, &c. vt aliqui sentiunt: cùm vnio partium quantitatis inter se, & vnio partium substantiæ inter se, essentialiter differant, tum in se, tum ratione partium vnitarum, quia vna est substantialis, altera accidentalis: figura consequenter, & forma essentialiter inter se distinguentur.

Prætetea: secundum generalem differentiam, quam inter formam & figuram admisimus num. 54. rectè etiam concluditur, huiusmodi differentiam essentialem esse: quia figura abstrahit à subiecto, seu corpore sensibili: forma verò non abstrahit, sed intelligitur esse in corpore. Abstrahere autem à corpore, & illud sibi determinare, sunt conditiones, & rationes essentialiter diuersæ. Simili quippe ratione diximus qu. 6. lib. 1. num. 8. & dicemus in postprædicamentis, negationem, & priuationem essentialiter inter se discrepare, quia negatio abstrahit à subiecto, vt *non homo, non equus* priuatio verò dicit negationem formæ in subiecto: & ita modus negationis abstrahit à modo constituente priuationem, ideoque illi respectus, vt sic, sunt illis essentiales, atque adeò essentialiter diuersi.

57. Pro fine huius sectionis potest aliquis quærere vtrum forma & figura sint reuera qualitates, an aliquid aliud? Respondeo, varias esse hac de re sententias. Scotus in 4. sent. d. 12. q. 4. n. 19. ait figuram nihil dicere vltra quantitatem, nisi relationem partium ad se inuicem, vel terminorum includentium partes, quæ relatio, & consequenter figura mutari potest, manentibus eisdem partibus quantitatis, & in se, & in toto, vt patet dum aqua eadem aliter, & aliter figuratur in alio, & alio vase.

Diuus Thomas in 3. d. 16. q. 2. art. 1. ad 1. & 7. Physic. lect. 5. & 1. 2. q. 49. art. 2. & alibi vult formam & figuram esse qualitates, à quantitate distinctas, & ex eius terminatione resultantes, vt visum est num. 55. Eum sequuntur Ferrariensis 3. contra gentiles cap. 105. circa medium, Scotus, Suares, Complutenses, alijque Thomistæ.

Vnde mirum est quomodo Ouiedo in Metaphys. controuersia 8. puncto 2. num. 10. dicat communem sententiam asserere figuram Mathematicam, non distingui ab vbi intrinseco, seu à præsentia, motu locali acquisita, vi cuius res in loco constituitur: cum duo Scholæ parentes Diuus Thom. & Scotus, totque Philosophi insignes contrarium asserant. Contra eius autem opinionem, in primis stat Aristotelis authoritas, qui expressè hic asserit formam & figuram esse qualitates, quia per eas aliquid denominatur quale sicut per alias. Nec valet dicere Aristotelem eas annumerasse qualitatibus, vt vulgò indulgeret; quia etiam secundum vulgus, rarum, densum, asperum, læue, qualitates videntur esse, imò secundum multos Philosophos Albertum, Auerroem, qualitates sunt, saltem secundariò; & tamen ab Aristotele à qualitatis diuisione reiciuntur, & reuocantur ad quandam positionem partium, propriam quantitatis. Et quamuis probabiliter dici possit non esse propriè qualitates, sed tantùm vt vulgo videtur: tamen contra ipsum.

58. Stat secundò ratio ex eius opinione sumpta: dicit enim figuram physicam consistere in vnione partium substantiæ, cum hoc ordine vnitarum, ex vi cuius dicitur *est manus, est caput*, &c. seu ex vi cuius hæc pars exigit præsentiam, quâ sit anterior, & ista, quâ sit posterior, & alia

quâ sit media, &c. ergo pari ratione figura mathematica posita erit in vnione & ordinatione partium quantitatis, vi cuius hæc pars est in hoc angulo, & illa est in illo, & ista in medio, in ordine ad seipsas, ex quo deinde sequitur talis, & talis præsentia ad locum extrinsecum.

Sicut enim prius est corpus habere tales & tales partes, nempe brachia, caput, pectus, &c. sic & sic dispositas in ordine ad se, quàm habere talem & talem præsentiam in ordine ad locum: ita prius est quantitatem habere partes sic, vel sic extensas & vnitas in ordine ad se, & consequenter talem figuram, quam esse sic vel sic in loco, seu quàm habere talem, vel talem præsentiam in loco. Ergo sicut forma, seu figura physica non consistit in præsentia, sed eam antecedit: ita figura mathematica, non erit posita in præsentia, sed quid prius illâ.

Denique: si figura mathematica esset ipsa præsentia quantitatis in loco, non posset quantitas moueri de loco ad locum, quin figuram mutaret, quia mutaret præsentiam; quod vltro concedit Ouiedo. *Ex his inferes*, inquit, *globum rotundum amittere hanc numero rotunditatem, seu figuram mathematicam, cùm hanc perdit præsentiam: dicitur tamen permanere cum eadem rotunditate, quia aliam eiusdem rationis per motum acquirit: sicuti dicitur caput eandem habere distantiam à pectore, siue homo sit in hoc spatio siue in illo, quia etsi distantiæ sint distinctæ in spatijs diuersis, sunt tamen valde similes & æquales.* Hæc ille: an autem rectè, alijs judicandum relinquo: mihi enim perabsurdum videtur dicere quòd caput hominis non seruat eandem, sed similem tantùm distantiam à pectore, si mouetur homo: & quòd pila, dum projicitur, continuò figuram rotundam mutet, & eandem tantùm per æquiualentiam seruet.

SECTIO VII.

De proprietatibus qualitatis, & serie predicamentali illius.

59. PROPRIETATES qualitatis tres enumerantur hic ab Aristotele: prima est contrarietas. Conuenit enim maximè qualitatibus sibi contrariari, & ab eodem subjecto se mutuò expellere, vt patet in frigore & calore; in albedine & nigredine, &c. Sed hæc proprietas non conuenit omni qualitati: nam figuræ non est aliquid contrarium, nec potentiæ naturali, vt intellectui, voluntati, &c. Nec item luci: addit Aristoteles, nec medijs coloribus, vt est rubeus, viridis, flauus, fuscus: cuius tamen oppositum dicitur 5. Phys. cap. 1. vbi Aristoteles ait media esse extremis contraria, vt fuscum albo & nigro. Item 2. Ethic.

cap. 8. dicit extrema vitia pugnare, & contraria esse virtuti mediæ, vt prodigalitatem, & auaritiam liberalitati.

Verùm, vt rectè ait Sotus, contrarietas est maxima distantia & perfecta oppositio, & ideò simpliciter & absolutè non reperitur, nisi inter duo extrema, vt inter album & nigrum; medij verò colores sunt tantùm contrarij secundùm quid, & quatenus participant de extremis, magisue accedunt ad vnum extremum, quam ad aliud: sic enim fuscum est nigrum per comparationem ad album; & album per comparationem ad nigrum, vt ibi ait Aristoteles. Vnde extrema sunt per se contraria: media verò ratione extremorum. Si verò medium nihil participet de extremis, vt virtus, quæ nihil habet de vitijs oppositis, respondet Albertus hic cap. 9. virtutem esse contrariam vitijs, quia est bonum morale, vitia verò sunt mala moralia. Bonum autem & malum extrema sunt. Vnde virtus dicitur media, quia consistit in mediocritate, seu in medio rectæ rationis, vel quia duobus hinc inde vitijs plerumque impetitur.

60. Secunda proprietas est susciperе magis & minus. Quid sit autem susciperе magis & minus, transeunter diximus in quinta proprietate substantiæ, quod ibi vide. Non conuenit etiam ista omnibus qualitatibus: neque enim vna figura est magis figura, quam alia, vt vnus triangulus magis triangulus quam alius, hoc est non est maior perfectio naturalis in vno triangulo, quàm in alio, licet possit esse maior extensio per maiorem linearum extensionem. Item non conuenit potentiæ naturali secundum multos vt intellectui, voluntati: neque enim intenditur & remittitur, saltem successiuè. Conuenit ergo potissimum qualitatibus primæ & tertiæ speciei. Propriè enim vnus calor est magis intensus, quàm alius: vna albedo quam alia; vnus habitus, quam alius, vt vna virtus temperantiæ magis intensa, quàm alia; imò intensior seipsâ pro diuersis temporibus.

Tertia proprietas conuenit qualitati quarto modo, & ideò vocatur ab Aristotele proprium, non autem duæ præcedentes. Quod scilicet à qualitate res dicantur similes vel dissimiles; sicut à quantitate dicuntur æquales vel inæquales. Vnde duo parietes albi, propriè dicuntur similes: vnus verò albus, & alter niger, dicuntur propriè dissimiles. Sicut autem diximus q. de quantitate, nomen quantitatis per analogiam multis alijs rebus tribui, & inde æqualitatem & inæqualitatem ad multa alia extendi per metaphoram & imitationem: ita nomen qualitatis solet extendi ad multa extra hoc prædicamentum, atque adeò similitudo & dissimilitudo sæpè transferuntur ad significandas relationes, quæ in rebus aliorum prædicamentorum fundantur. Hoc enim modo duo homines dicuntur similes in specie: duæ item paternitates, duæ actiones, &c. similes vocari solent: sed propria similitudo & dissimilitudo Soli conuenit qualitati.

61. Est autem hic controuersia vtrum similitudo & dissimilitudo, quam tribuit qualitas, fundetur in vnitate specifica qualitatum, an verò in in-

tenſione graduali earum: ita ut album in quarto gradu, & album in ſexto, dici debeant ſimilia, quia habent eandem ſpecie albedinem; an diſſimilia, quia albedo eorum non eſt in pari gradu intenſa. Si enim hoc ſecundum dicatur, iam iſtud attributum, non erit proprium quarto modo, quia non conuenit omnibus qualitatibus, ijs nimirum quæ non ſuſcipiunt magis & minus, vt eſt figura, & ex multorum opinione potentia naturalis, vt in præcedenti proprietate adnotauimus. Si verò dicatur primum, hoc etiam attributum non erit proprium quarto modo, quia vnitas & conuenientia ſpecifica conuenit indiuiduis aliorum prædicamentorum, vt duabus ſubſtantijs, duabus actionibus, &c. vt iam dicebamus.

Accedit quod ita ſe habet ſimilitudo ad qualitatem, ſicut æqualitas ad quantitatem: ſed æqualitas non fundatur in vnitate ſpecifica quantitatum, ſed in pari extenſione earum: ergo ſimilitudo non debet fundari in vnitate ſpecifica qualitatum; ſed in pari graduum intenſione.

Circa iſtud dicendum exiſtimo ad hoc vt hæc proprietas conueniat omni qualitati, fundamentum ſimilitudinis & diſſimilitudinis debere abſtrahere ab vnitate ſpecifica, & ab vnitate graduali; ita vt duo parietes albi in quarto gradu dicantur ſimiles, & quia habent qualitates eiuſdem ſpeciei, & etiam quia habent eas in eodem gradu. Vnde ſi intenſio gradualis non conueniat aliquibus qualitatibus, non deerit tamen eis vnitas, vel diuerſitas ſpecifica pro fundamento ſimilitudinis vel diſſimilitudinis.

62. Ad illud autem quod de quantitate objicitur, dicendum eſt hoc peculiare eſſe qualitati, vt per vnitatem, aut diuerſitatem ſpecificam fundare poſſit ſimilitudinem & diſſimilitudinem, & non tantùm ratione intenſionis gradualis; ob contrarietatem ſcilicet, & oppoſitionem, quæ inter diuerſas eius ſpecies reperitur: ob eam enim poſſunt inter ſe ſpecialiter comparari ſecundum ſimilitudinem & diſſimilitudinem; ſecùs quantitates, quæ contrarietatem non habent, ideoque comparantur ſecundum extenſionẽ tantum quando de æqualitate & inæqualitate ſermo eſt.

Ad aliud quod afferturde ſimilitudine, quæ reperitur inter res aliorum prædicamentorum. Reſpondetur hanc ſimilitudinem non eſſe propriam, ſed analogicam, aut per participationem & imitationem quantitatis, vt iam dictum eſt. Vt enim rectè ait Sotus in fine quæſtionis ſuper hoc caput, duo homines dicuntur ſimiles in ſpecie, quia ſpecies habet ſe vt qualitas ſubſtantialis indiuidui, & duo patres ſunt ſimiles in paternitate, quia paternitas in quantum accidens, habet ſe vt forma & qualitas ſubjecti: & duæ calefactiones ſunt ſimiles, quia producunt ſimiles qualitates. Hæc ille. Vnde qualitati per ſe primò conuenit eſſe fundamentum ſimilitudinis propriæ, alijs verò impropriæ, in quantum aliquam rationem analogicam qualitatis participant.

63. Quod ſpectat ad ſeriem huius prædicamenti, hæc facilè poteſt ex

præcedentibus ordinari. In primis enim ponitur qualitas pro ſummo genere, quod deinde diuiditur in quatuor ſpecies ſubalternas, iam enumeratas; quæ quidem erunt immediatæ, ſi duo cuiuſque diuiſionis membra accidentaliter tantùm diſcreparint, vt habitus & diſpoſitio inter ſe; potentia & impotentia inter ſe, &c. geminis tamen vocabulis ſingula membra exprimi oportuit, ad declarandum illud diſcrimen accidentale: ſi verò differant eſſentialiter, diuiſio erit in octo membra, ſeu genera eſſentialia.

Sub primo genere, nempe ſub habitu & diſpoſitione variæ ſunt ſpecies. Alij enim ſunt habitus intellectus, alij voluntatis: intellectus autem alij veri, vt ſcientia; alij falſi, vt error; alij medij, vt opinio: alij naturales, vt iam numerati, alij ſupernaturales, vt fides; alij ſpeculatiui, vt Phyſica; alij practici, vt prudentia & Philoſophia moralis. Item in voluntate varij ſunt habitus, naturales, vt temperantia, ſupernaturales, vt charitas, ſpes, &c.

Sub potentia & impotentia variæ quoque ſunt ſpecies, vt potentia intellectiua, volitiua, appetitiua, locomotiua, viſiua, auditiua, &c. Item ſub paſſione, & patibili qualitate, color, lux, ſonus, ſapor, frigus, calor, humiditas, ſiccitas. Sub figura denique circulus, triangulus, quadratum, pentagonum, exagonum, pyramis, &c.

QVAESTIO VII.

De ſex vltimis prædicamentis, & de poſtprædicamentis.

SECTIO I.

De actione & paſsione.

1. AVTHOR Græcus, nomine Gilbertus Porretanus, ſupplere volens, quæ Ariſtotelis doctrinæ videbantur deeſſe circa ſex iſta prædicamenta, libellum edidit cui titulus eſt de ſex principijs, vnde author ſex principiorum nominatus eſt: hoc eſt, ſex ſupremorum generum. Principium enim eſt ex quo res conſtare dicitur, & in quod reſoluitur. Vnde ſuprema genera dicuntur genera, quia ſunt prædicata quidditatiua rerum & quædam tota ſub ſe continentia ſpecies: principia verò, quia ſunt conceptus, ex quibus res conſtituuntur, & in quos reſoluuntur vltimò.

Iſte itaque Gilbertus ſic actionem deſcribit. *Actio eſt forma ſecundum quam denominamur agere in ſubiectam materiam.* Vbi quatuor ad actionem concurrentia inuenimntur. Primum eſt ipſum principium actiuum, quod dicitur agens. Secundum eſt ſubiectum, in quod agens agit, quod dicitur paſſum, & ita non comprehenditur creatio, quæ nullum ſubiectum ſupponit. Tertium eſt actio ipſa, à qua agens denominatur agens: & quartum eſt effectus, per actionem productus. Verbi gratia quando ignis calefacit aquam. Agens eſt ipſe ignis, ſeu virtus actiua illius: paſſum eſt aqua, quæ calefit: actio eſt ipſa calefactio, ſeu productio caloris: & calor eſt effectus productus: vnde nihil poteſt hic aſſignari, quod habeat rationem actionis, præter ipſam productionem caloris: non quidem ipſe ignis, aut virtus illius calefactiua, nempe calor, quia per eum dicitur ignis calidus, non verò calefaciens: nam iuxta Lunæ concauum nihil calefacit, & tamen habet calorem. Non etiam aqua, quia ſubſtantia eſt, non actio; nec agit, ſed patitur calefactionem. Nec ipſe denique calor productus, quia ceſſante actione ignis, igneque remoto, remanet calor in aqua, & ab eo denominatur aqua calida, tanquam à qualitate. Supereſt ergo, vt calefactio, ſeu productio caloris, ſit actio.

2. Verùm, vt notat Albertus in Commento illius operis tract. 2. c. 2. ſupradicta definitio actionis, eſt potiùs nominis explicatio, quàm rei: quia tamen obſcura eſt actionis natura, & quid ipſa ſit, valdè incertum & controuerſum, hanc remitto controuerſiam ad octo Phyſicorum libros, vbi de cauſa efficiente ſermo eſt.

Nihilominus alia tradi ſolet actionis definitio ex Ariſtotele 3. Phyſ. c. 3. quæ nonnihil lucis adjicit præcedenti, videlicet, *actio eſt vltimus actus agentis vt agens eſt*, vel *eſt cauſalitas cauſæ efficientis*, vel *actus ſecundus potentiæ operatiuæ*, vel *ratio formalis, per quam cauſa actiua reducitur in actum ſecundum.* Pro cuius intelligentia.

Nota duplicem quaſi actum in agente diſtingui, ſcilicet primum & ſecundum. Agens dicitur eſſe in actu primo quando habet omnia requiſita ad producendem aliquid, nondum tamen agere concipitur: quando verò agit de facto, dicitur eſſe in actu ſecundo. *V. g.* ignis applicatus ligno ſicco, in illo priori, quo concipitur eſſe proximè diſpoſitus ad agendum, & nondum tamen agit, dicitur eſſe in actu primo: quando verò de facto calefactionem exercet, dicitur eſſe in actu ſecundo.

Quando ergo actio dicitur actus ſecundus, ſeu vltimus, datur differentia, quæ eſt inter agens in actu primo, in quo includit potentias actiuas, cæteraſque diſpoſitiones ad agendum requiſitas; & agens in actu ſecundo, hoc eſt, de facto aliquam actionem exercens, ſeu aliquid actu producens. Ponitur autem *agentis vt agens eſt* ad differentiam actionis à paſſione: communiter enim dicitur actionem & paſſionem eſſe eandem entitatem, ratione, ſeu formaliter in duas diſtinctam: itavt eadem

calefactio

calefactio dicatur actio quatenus ab igne procedit, passio verò provt in aqua recipitur. Quæ distinctio sufficit ad duo prædicamenta constituenda: sed de hoc loco citato.

Ex his facilè est passionem describere, nimirum quod sit actus patientis, vt patiens est, quo mediante formam recipit: seu est ratio formalis, per quam causa subiectiua constituitur actu patiens, seu recipiens. Vnde passio nihil aliud est nisi receptio formæ, siue conueniens sit, siue disconueniens subiecto recipienti, vt caloris in ligno: aliqui tamen Scotistæ volunt passionem afficere ipsum effectum, & esse rationem, quâ effectus dicitur formaliter produci, de quo in Physicis.

3. Actio autem multipliciter diuiditur; Primò quidem immediatè in productiones diuersorum prædicamentorum, substantiæ, qualitatis, &c. vel in substantialem, & accidentalem. Substantialis est, cuius terminus est substantia, vt ignitio quâ forma ignis producitur in ligno. Accidentalis est cuius terminus est accidens, vt calefactio, quâ calor producitur in aqua, &c. Deinde diuidi potest in species, quibus accidentia, seu species corundem prædicamentorum producuntur. Illæ quippe actiones quarum termini specie diuersi sunt, specie differunt, vt calefactio, & frigefactio, licet multi velint actiones specificari à principio, seu potentia operatiua, passiones verò à terminis: de quo agendum erit in Physicis.

Secundò diuiditur in transeuntem, & immanentem. Transiens est quæ non recipitur in agente à quo procedit, vt calefactio ignis in aqua. Immanens verò est quæ recipitur immediatè in potentia à qua procedit, vt intellectio in intellectu, volitio in voluntate; aut saltem in eodem supposito: quo modo emanationes potentiarum materialium, vt visiuæ, appetitiuæ, locomotiuæ, phantasiæ, &c. possunt dici immanentes, quia licet non recipiantur in anima à qua emanant, quia spiritalis est; recipiuntur tamen in eodem supposito, nempe homine; non quidem ratione suarum omnium partium, sed ratione materiæ. Idemque cum proportione dicendum est de passione, quod scilicet alia sit transiens, alia immanens; non quidem quòd passio transeat à passo in aliud subiectum, sed quia respondet actioni transeunti.

Actio immanens diuiditur in vitalem & non vitalem. Vitalis est quæ procedit ab aliqua potentia animæ, & pro diuisione potentiarum diuiditur. Non vitalis est quæ procedit à quouis alio principio non viuente, vt frigefactio, per quam aqua frigus in se producit.

Denique actio diuidi potest in instantaneam, & successiuam. Instantanea est, quæ est tota simul vt productio formæ substantialis, illuminatio aëris à Sole. Successiua est quæ fit per partes & in tempore, vt calefactio aquæ. Ex quibus patet quomodo constituatur series vtriusque huius prædicamenti.

4. Objicies actio, & passio non sunt genera vniuoca, ergo non pos-

sunt constituere prædicamentum. Antecedens probatur, quia terminus actionis in communi, à quo ipsa essentiam sumit, est quid analogum, cùm substantiam & accidens comprehendat, quibus nihil vniuocè commune est. Deinde ex communi sententia motus rejicitur à prædicamento, quia est quid imperfectum, & via, seu tendentia ad ens potiùs quàm ens absolutè: sed actio & passio, saltem successiuæ, hanc eandem imperfectionem habent: quandiu enim motus durat, ipsæ paulatim perficiuntur: ergo debent vagari per omnia prædicamenta, sicut motus, & nullum speciale constituere.

Respondeo ad primum, accidens & substantiam vniuocè conuenire in ente ex probabili sententia, de qua per transennam aliqua diximus hoc libro q. 2. sect. 2. atque adeò actiones productiuas substantiæ, & accidentis conuenire vniuocè, & similiter passiones eis respondentes: & ita actionem, & passionem posse dici genera vniuoca. Si verò dicatur ens non esse vniuocum ad substantiam & accidens: actio quoque in communi, non erit quid vniuocum, sed analogum, quatenus concipietur vt via ad terminum, qui per eam fit, eo quod speciem, & essentiã ab eo accipit, vt dictum est. Si verò consideretur non vt via ad terminum, sed vt actus seu forma agentis, illud denominans, & reducens suo modo de potentia in actum, sub illa ratione est quid vniuocum, quia omnes actiones in illa ratione perfectè, & vniuocè omninò conueniunt. Idemque de passione dicendum est respectu subjecti.

Respondeo ad aliud, motum esse aliquid successiuum, atque adeò ex sua formali ratione, quid imperfectum, quia est fluxus formæ, & respicit immediatè ipsam formam, quæ successiuè fit, & perficitur, vnde partim est in fieri, & partim in facto esse, & sic merito rejicitur à prædicamento. At verò actio considerata secundo modo, vt respicit nimirum agens, non includit hanc imperfectionem, sed simpliciter intelligitur vt forma, afficiens, & denominans principium actiuum, vt dictum est.

Si tamen actio instantanea, quâ producitur aliqua forma tota simul, dicatur motus, qua de re in fine octo Physicorum. Quamuis non habeat imperfectionem successionis; habet tamen imperfectionem viæ, & tendentiæ, quia est inchoatio, seu fieri formæ, ad quam subiectum mutatur, & sic comparatur cum ea sicut imperfectum cum perfecto. Licet enim & motus, & forma sint in eodem instanti temporis, tamen motus est prior secundùm instans, & prioritatem naturæ, & ideo constituit subiectum in transitu de potentia in actum, & de vno statu in alium. Nam motus est status quidam oppositus quieti, quæ in termino acquisito reperitur: vnde, vt sic, aliquid imperfectum dicit.

5. Proprietates actionis quatuor assignantur, duæ ab Aristotele hic. Prima est habere contrarium. Secunda suscipere magis & minus. Quæ non conueniunt omnibus actionibus, sed ijs quarum termini sunt contrarij, & suscipiunt magis & minus, vt est frigefactio & calefactio.

Proprietates verò quas assignat Gilbertus, sunt, quòd actio sit semper conjuncta motui. Et quod actio inferat passionem in materiam subiectam. Prima potest habere duplicem sensum: primus est quòd mutationi semper actiuncta sit actio, & sic est semper verus de mutatione positiua, quia corruptiua potest contingere per solam negationem concursus conseruatiui. Secundus est quòd è conuerso ipsi actioni sit semper conjuncta mutatio, & tunc ista proprietas eadem est cum secunda, quòd videlicet actio inferat passionem in materiam subjectam, quod est verum de agente naturali, quod præsupponit aliquod subjectum: vnde hæc proprietas non conuenit creationi, quæ fit ex nihilo.

SECTIO II.

De alijs quatuor prædicamentis.

POST prædicamentum actionis & passionis sequitur prædicamentum *vbi*. Definitur autem *vbi* à Gilberto, *circumscriptio corporis à circumscriptione loci prouenies*. Hoc est, vt multi explicant, *vbi* est accidens resultans in re locata ex eo quòd contineatur à loco, per quod formaliter dicitur esse in ipso loco. Et hæc est vna sententia circa naturam huius prædicamenti.

Alia vult huiusmodi accidens esse terminum intrinsecum motus localis, itavt *vbi* verè sit in subiecto antequam consideretur locus, seu superficies extrinseca continens subiectum locatum.

Tertia dicit *vbi* esse tantum denominationem extrinsecam, per quam res dicitur esse in loco ex sola extrinseca circumscriptione superficiei corporis continentis.

Vltima quæ est Scotistarum, asserit *vbi* esse relationem extrinsecùs aduenientem. Quælibet ex his opinionibus suos habet probatos Authores, & probabilis mihi videtur, eas tamen examinandas remitto ad Physicam, vbi de loco tractatur. Nunc dicere sufficiat quòd *vbi* significat præsentiam alicuius rei in loco aliquo, itavt si quæratur vbi res sit, possimus respondere quod sit in tali, vel tali loco, in aula, in gymnasio, &c.

Proprietates *vbi* duas assignat Gilbertus, non habere contrarium, & non suscipere magis & minus. Esse enim in aula, & esse in gymnasio non sunt contraria: vnde licet non possit quis simul esse in illis duobus locis, hoc non prouenit ex eorum contrarietate, sed ex limitatione corporis, quod non potest naturaliter duo loca sibi adæquata occupare. Similiter licet quis possit maiorem occupare locum, quàm alius, vnus tamen non potest dici esse magis in loco, quàm alius. Addunt aliqui duas alias proprietates, scilicet esse immobile, & corrumpi posse, & hæc sequitur ex altera. Quando enim res vbicata desinit esse in loco aliquo, deperdit illud

vbi, quod antea habebat, & nouum acquirit. Verum hæc non sunt proprietates quarto modo, vt patet.

7. Sequitur deinde *quando*, quod à Gilberto definitur, *id quod ex temporis adiacentia relinquitur*, seu *affectio quædam rebus addita, per quam dicuntur esse, aut fuisse, aut futuræ esse.* Vt si quæratur quando fuerit Aristoteles, respondebitur quod fuerit tali anno ante Christum natum, tali anno Imperij Alexandri, &c.

Dubitatur autem quid sit illa affectio, seu ratio significata per *quando*, aut constitutiua huius prædicamenti. Aliqui volunt esse aliquod accidens ex natura rei ab ipsa re distinctum, & ex temporis adiacentia relictum, per quod res dicitur formaliter esse in tempore.

Alij volunt esse ipsammet rem, seu durationem rei, quæ præter eius existentiam, dicit perseuerantiam in esse accepto, connotando tempus extrinsecum. Vnde duplex distinguitur tempus, aliud intrinsecum quod est existentia rei extra causas suas; aliud extrinsecum quod est quasi mensura durationis existentiæ, & est motus primi mobilis, per quem cognoscimus quamdiu res durauit, scilicet decem, viginti annis, &c. Ex qua mensuratione volunt authores primæ sententiæ resultare quoddam accidens in ipsa re durante, per quod constituatur istud prædicamentum.

Scotistæ volunt esse relationem extrinsecùs aduenientem. Alij denique volunt esse denominationem extrinsecam, qua res dicitur esse in tempore ex sola extrinseca mensuratione temporis. Qui omnes dicendi modi probabiles sunt, de quibus in Physicis, vbi de duratione & speciebus eius ex professo disputabimus.

Proprietates, *quando* à Gilberto assignatæ, sunt carere contrario, non suscipere magis & minus, & quod *quando* conueniat solum his quæ nata sunt incipere esse. Quæ per se satis intelliguntur.

8. *Situs* non multum videtur ab *vbi* differre, ideoque à multis ex numero prædicamentorum excluditur; res tamen leuioris momenti est, quàm vt propter eã debeat quis ab Aristotelis opinione discedere. *Situs* ergo dicitur à Gilberto *positio partium corporis secundum quam dicitur stare, sedere, iacere, &c.* Est autem duplex positio: alia idem est quod ordinatio partium corporis inter se, secundùm quam vna est antè, vel post aliam, vel in alia, aut alio quouis modo se habet cum altera: hoc modo caput est pars suprema hominis, pes infima, pectus infra caput, & supra stomachum, &c. Altera positio est ordinatio partium in ordine ad locum, itavt secundum eam corpus sit in loco sic, vel sic, stans, iacens, sedens, erectum, curuatum, &c. & hæc positio constituit *situm*. Quamuis autem prima non possit explicari nisi per secundam, est tamen ab illa diuersa, vt patet.

Ex quibus colligi potest quomodo *situs* differat ab *vbi*. Nam *vbi* dicit rem esse in loco absolutè, abstrahendo à tali, vel tali modo, itavt non ordinet seu disponat partes rei locatæ in ipso loco, sed tantum efficit vt

vna pars sit extra locum alterius. At verò *situs* eas disponit in ipso loco sic vel sic, vt inde res locata dicatur jacere, stare, erecta, resupina, incuruata, &c. An autem *situs* sit denominatio tantùm extrinseca, an aliquod accidens ex huiusmodi partium dispositione resultans, absolutum, aut relatiuum, aut potiùs talem dispositionem constituens: adhuc sub iudice lis est. Soluetur hæc difficultas simul cum præcedentibus de *vbi*.

Solet in communi diuidi *situs* in naturalem, & non naturalem: naturalis est, quem natura ipsa rebus præscripsit, sic enim *os homini sublime dedit, cœlumque tueri:* pecudes verò pronas in terram formauit; arboribus radices deorsum fixit, ramos, & folia sursum agere voluit. Non naturalis, quem alij accidentalem vocant, is est, qui à voluntate, aut ab arte procedit, aut etiam casu contingit, vt stare, corpus gesticulando inflectere, sinuare, &c. Vnde facilè est seriem statuere huius prædicamenti.

Proprietates eius duæ assignantur, carere contrario, & non suscipere magis & minus, quæ satis intelliguntur ex præcedentibus.

9. *Habitus* denique definitur ab eodem Gilberto, *corporis & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentia*, vt esse vestitum, esse armatum, &c. lectione autem 3. præcedentis quæstionis, vbi diuersas habitus acceptiones tradidimus, adnotatum est ex Arist. 5. Metap. cap. 20. *habitum* vt hoc constituit prædicamentum, significare aliquid medium inter corpus & vestes, per modum actionis & passionis, videlicet uestitionem, seu adaptationem, & circumpositionem vestium ipsi corpori: neque enim denominatur quis vestitus ex eo quòd vestes habeat in arca.

Cœterùm, vtrum habitus dicat denominationem tantum extrinsecam, ab indumento, corpori circumposito prouenientem: an potiùs accidens intrinsecum, siue absolutum, siue relatiuum, resultans in corpore ex adjacentia indumenti, eadem est difficultas quę in superioribus: vtrumque probabile videtur, & vbi de alijs alterutrum determinatum fuerit, vel vtrumque vt probabile admissum, de hoc pariter prædicamento determinatum esse volo. Lege interim opusc. 48. inter opusc. Diui Th.

Species huius prædicamenti sunt armatum esse, & vestitum esse. Quæ deinde subdiuidi possunt pro armorum, & vestium diuersitate, vt loricatum, galeatum esse, togatum, palliatum, &c.

Proprietates sunt carere contrario, & suscipere magis, & minus, quomodo eques dicitur armatior pedite. Hæc de prædicamentis.

SECTIO TERTIA.

De Oppositis.

10. ABSOLVTA tractatione de prædicamentis, accedit Aristoteles ad explicanda postprædicamenta, hoc est, quasdam affectiones quæ prædicamenta consequuntur, seu illis inter se comparatis competunt vt sunt oppositio, simultas, prioritas, motus, & modus habendi. Quæ cum sint rationes imperfectæ, nec in aliquo prædicamento per se collocari possint, seorsim explicari debent. Igitur c. 10. agit de oppositis, de alijs verò in sequentibus; nos pariter in hac sectione de oppositis, & in altera de reliquis breuiter tractabimus.

Vt autem oppositorum naturam meliùs explicemus, de ipsa oppositione priùs aliqua sunt dicenda. Sed in primis hic non agit Aristoteles de oppositione complexa, seu de ea quæ inter propositiones penès affirmationem & negationem reperitur, vt *Petrus est homo*, *Petrus non est homo*, quia de ea in libris de interpretatione disputatur: sed agit de oppositione rerum secundùm se.

Potest autem hæc oppositio sumi latè, & strictè: latè sumpta nihil aliud est, quam repugnantia aliquorum ad esse simul, seu ad simul conueniendum vni & eidem: quâ ratione comprehendit etiam disparata: & sic Aristoteles cap. 12. sequenti vocauit differentias, quæ genus aliquod diuidunt, oppositas, vt rationale, & irrationale. Oppositio verò strictè sumpta comprehendit tantùm propriè oppositа, quorum quatuortantùm genera enumerat Aristoteles hoc capite. Nimirum contradictoria, priuatiua, contraria, & relatiua. Quæ in hoc differunt à disparatis, quod disparata non sibi determinent speciale aliquod extremum, cui repugnent, sed vnum potest multis indifferenter repugnare, à quibus in essentia distinguitur; nam rationale repugnat irrationali, insensibili, incorruptibili, &c. at verò opposita propriè, determinant sibi extremum aliquod vnum, cui repugnant, sic pater opponitur filio, calor frigori, visus cœcitati, homo non homini.

Vnde oppositio propria definitur *repugnantia determinata aliquorum*. Ita Complut. Sed clarius definiri potest *repugnantia inter duo extrema simplicia, ob quam in eadem re singulari simul secundum eandem partem, & respectu eiusdem esse non possunt*. Per *extrema simplicia* reijcitur oppositio propositionum, non vero quæcumque compositio, etiam per accidens: nam exercitus & non exercitus æquè opponuntur, ac homo & non homo. Additur *in eadem re singulari*, quia in re communi ratione pluriũ inferiorum opposita possunt esse simul: quomodo albedo & nigredo sunt in animali ratione corui & Cygni. Particula *simul*, significat *eodem tempore*, quia idem homo potest

hodie albus esse, & cras niger. Item ponitur *secundum eandem partem*, quia potest simul esse frigidus in manu, & calidus in vultu. Denique additur *respectu eiusdem*, quia idem potest esse pater & filius respectu diuersorum.

11. Rationem porro huius quadripartitæ diuisionis assignat Scotus hic, quia quæ propriè opponuntur, aut pugnant vt ens cum ente, aut vt ens cum non ente: si primo modo, aut vnum se habet respectiuè ad aliud, & sunt opposita relatiuè, vt pater & filius: aut maximè distant sub eodem genere, & se ab eodem subiecto expellunt, vt calor & frigus, & sunt contraria. Si verò pugnent secundo modo; aut non ens, quod opponitur enti, sibi determinat certum subiectum, cui opposita forma conuenire possit, & sunt opposita priuatiuè, vt cœcitas & visus: aut non determinat vllum subiectum, & sunt opposita contradictoriè, vt Petrus, non Petrus: & ita sunt tantùm quatuor membra oppositionis propriæ. Non ens enim non pugnat per se cum non ente, quia propria ratio negationis est tollere ens positiuum, quo sublato nihil remanet cui opponi possit. Aliam sufficientiæ huius diuisionis rationem contexuit Diuus Th. 5. Metaph. lect. 12. litera c. Vide illius opusculum 37. cap. 1. 2. & 3.

Quia verò de relatiua oppositione sufficienter egimus q. de relatione numero 114. de tribus alijs tantùm hic differemus. Et primo quidem de contraria. Ex Aristotele autem tum hoc capite, tum 10. libro Metaph. cap. 7. definiuntur communiter contraria hoc modo.

12. *Contraria sunt quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subiecto vicissim inesse possunt, à quo mutuò se expellunt, nisi alterum eorum insit à natura.* Hoc modo se habent calor & frigus, albedo & nigredo, vitium & virtus, &c. ex hac ergo definitione colliguntur conditiones quatuor ad contrarietatem propriam necessariæ: prima est, vt extrema contraria, sint sub eodem genere: secunda, vt sub illo sint maximè distantia: tertia, vt eidem subiecto vicissim inesse possint: quarta, vt ab eo se mutuò expellant.

Primæ conditioni videtur contrarium esse, quod ait Aristoteles in fine huius capitis, vbi habet omnia contraria esse in eodem genere, vt sunt albedo & nigredo sub colore: aut in contrarijs generibus, vt iustitia, & iniustitia sub virtute & vitio: aut esse ipsa genera, vt bonum & malum, *quæ non sunt in genere*, inquit, *sed aliquorum ipsa sunt genera*. Ergo non est opus, vt contraria sint sub eodem genere, cùm bonum, & malum contraria sint, & sub nullo genere sint.

Aduerterunt difficultatem Toletus, Conimbricenses, Complutenses, & eluserunt, dicendo Aristotelem, per bonum & malum intelligere bonum & malum morale, hoc est virtutem & vitium, quæ sunt genera subalterna, contenta sub habitu & qualitate. Nam si hæc mens fuit Aristotelis, quomodo dixit bonum & malum non esse in genere? genus enim subalternum, sub aliquo genere esse necesse est. Dicit ergo Sotus post

Ammonium, bonum & malum esse genera impropriè, hoc est generales conditiones omnium contrariorum, vagantes per multa genera. Nam vnum contrarium habet rationem mali respectu subiecti, cui alterum conueniens est, vt calor est malum aquæ, & frigus est bonum illius.

13. Sed melius fortè dicitur cum Iamblico, & cum Diuo Thoma 1. p. q. 48. art. 1. ad 1. Aristotelem hic loqui secundum opinionem Pythagoreorum, qui malum existimabant esse naturam quãdam, & ita duas rerum omnium coniugationes constituerunt, vnam malorum, alteram bonorum, reuocantes omnia ad malum & bonum tanquam ad summa duo genera & capita. Propter hoc dixit Aristoteles bonum, & malum non esse in genere: solet enim in Logica, vt notat D. Thom. vti sæpè exemplis, quæ suo tempore probabilia videbantur. At ex propria eius mente omnia contraria sub aliquo genere, uel infimo, vel subalterno contineri debent, si sint contraria directè per se, & immediatè: vnde frigefactio quæ est sub prædicamento actionis, non contrariatur calori, qui est sub qualitate, nisi remotè, & mediante frigore, quod per eam producitur.

Ratio huius conditionis assignatur ab Aristotele loco citato Metaph. & continetur in sequentibus definitionis partibus, quia inter contraria reperitur mutua transmutatio, per quam se mutuo expellunt ab eodem subiecto, & ideo debent habere quandam inter se proportionem, vt ad inuicem transmutentur, & circa idem versentur subiectum: quæ proportio sumitur ex eo quod sint sub eodem genere. Non enim fit transmutatio ex vno genere in aliud, nisi per accidens, inquit Aristoteles, vt ex colore in figuram, ex scientia ad virtutem; benè autem fit transmutatio per se ex scientia ad errorem, ex vitio ad virtutem, ex albo ad nigrum, &c.

14. Secunda conditio est, vt contraria sub huiusmodi genere maximè distent. Pro qua nota distantiam in re præsenti posse esse maximam dupliciter, nimirum positiuè & negatiuè. Distantia positiuè maxima est quando non datur, nec maior, nec æqualis in illo genere: sic distant albedo, & nigredo sub genere coloris, quia sub illo non dantur species æque distantes. Distantia verò negatiuè maxima est quando non datur quidem maior, datur tamen æqualis. Hoc modo distant calor & frigus in genere qualitatis patibilis, quia licet non dentur in illo genere qualitates quæ magis inter se, aut ab alijs distent: dantur tamen quæ æqualiter distant, seu repugnant, vt humiditas & siccitas. Et altera ex his distantijs sicut sufficit ad contrarietatem, ita per se requiritur, alioquin contraria non perimerent se perfectè, nec vnius transmutatio tenderet simpliciter ad aliud, sicut postulat ratio perfectè contrariorum

Dices: error magis distat à scientia, quàm à vera opinione circa idem obiectum, quia ab opinione solùm distat in veritate; à scientia verò, etiam in certitudine & euidentia. Ergo non est necessaria distantia maxima, ne quidem negatiua, ad contrarietatem. Quod item patet in alio exemplo: nam auaritia liberalitati contraria est; ab ea tamen non distat maximè, quia

quia magis distat à prodigalitate, quæ omnia profundit.

15. Respondetur, quod si contraria non sint sub eodem genere proximo, non est opus vt distantia sit maxima: sed per maximam debet intelligi valdè magna. Vnde licet error non summè distet ab opinione comparatus ad scientiam, quia non est sub eodem proximo genere cum scientia: summè tamen distat ab opinione vera sub genere opinionis, sub quo error & opinio continentur, nam error est quædam opinio. Similiter licet vitium & virtus, contraria sint: tamen quia non sunt sub eodem genere proximo habitus; non tantùm physicè distant, quantum duo vitia, vt ostendit exemplum de auaritia & prodigalitate. Dico *physicè*, quia in genere moris, seu turpis, & honesti, quodlibet vitium magis distat à virtute, quam ab alio vitio; vnde sub hac ratione distantia est summa inter vitium & virtutem, atque adeò proprijssima contrarietas.

Potest etiam dici, quod quando duo extrema vitia alicui virtuti opponuntur, neutrum est illi adæquatè oppositum, id est secundum omnes eius actus. Nam liberalitas inclinat ad dandum, & etiam ad retinendum, vt oportet: vnde auaritia quæ inclinat ad retinendum, illi tantum opponitur quoad actum dandi; prodigalitas verò quoad actum retinendi; quo fit vt neutrum vitium sit illi perfectè contrarium; & ita posse alterum ab altero magis distare, quam ab ipsa virtute.

16. Tertia, & quarta conditio est, vt contraria eidem subiecto vicissim inesse possint, ab eoque se expellant. Ad hoc enim, vt sibi repugnent, debent circa idem versari subiectum, in quo contrarietatem exerceant, quia vnum sub sistens, non est per se, vt sic, alteri subsistenti contrarium: vnde si in illud agat, vt destruat, agit producendo aliquid inhærens, contrarium alteri inhærenti, illius conseruatiuo. Hoc enim modo formæ substantiales inter se pugnant medijs qualitatibus: quæ pugna semper fit in subiecto, à quo se expellere conantur. Et in hoc posita est quarta conditio: si enim simul cum pace commorentur, contraria non erunt, vt per se constat.

Potest autem intelligi vnum contrarium expellere aliud ab eodem subjecto, dupliciter; nimirum effectiuè, & formaliter. Effectiuè quidem quando vnum agit in subiectum alterius, & ab eo illud eijcit, vt dum calor aquam calefaciendo, frigus ab ea expellit: formaliter verò quando vnum existens in subiecto, ab eo aliud excludit seipso, & absque vlla actione in ipsum, vt albedo expellit nigredinem. Hæc enim duo contraria, cùm non sint actiua, non alio modo se expellunt, quàm immediatè per se, quatenus effectus formalis vnius est naturaliter incompatibilis cum effectu formali alterius in eodem subiecto. Et ideò in definitione debet intelligi expulsio formalis potiùs, quàm effectiua, quia effectiua non omnibus conuenit, & non est immediata. Quando enim calor ignis agit in frigus aquæ, non expellit frigus imediatè per se, sed medio calore, quem producit in aqua. Imò sæpè non procedit ab alio contrario, vt patet dum

voluntas actus contrarios elicit. Ex quo patet hanc expulsionem debere esse mutuam, vt dicitur in definitione: si enim effectus formalis vnius contrarij sit incompatibilis cum effectu formali alterius, necesse est, vt incompatibilitas sit mutua.

Additur autem in prædicta definitione ex Arist. capite isto. *Nisi alterum insit à natura*, non quòd expulsio inter contraria non sit reciproca, spectata vi effectus formalis vtriusque; sed quia alterum sæpè suo inhæret subiecto tantâ vi & tenacitate, vt ab altero expelli non possit, nisi simul subiectum corrumpatur. Hoc modo calor in igne residet, & humiditas in aqua, item scientia in intellectu, quæ ob euidentiam obiecti non patitur errorem introduci. Dicemus autem in libris de generatione quomodo contraria in gradu remisso se simul naturaliter compatiantur, & an diuinitùs in summo simul esse possint.

17. Quod spectat ad oppositionem priuatiuam, sciendum est priuationem nihil aliud esse nisi *negationem seu carentiam formæ in subiecto apto eam recipiendi secundùm tempus, & speciem*, vt est negatio visus in homine. Dicitur autem *in subiecto apto*, vt differat à negatione pura, quæ dicit simpliciter negationem formæ, abstrahendo à subiecto illius capaci. Additur *secundum tempus*, quia non dicetur propriè priuatio, si subiectum non sit capax talis formæ pro tempore, quo de eo forma negatur. Vnde catuli primis diebus ortus sui, non dicuntur propriè cœci, quia visum non solent tam citò recipere. Ponitur denique *secundum speciem*, quia talpa non dicitur etiam propriè cœcus, eo quod visus illi non debetur ratione suæ speciei, quamuis ratione sui generis nempe animalis, ei competat. Vnde patet oppositionem priuatiuam esse repugnantiam inter formam & eius carentiam in subiecto, huiusmodi formæ capaci.

18. Contradictoria verò oppositio *est repugnantia inter formam & negationem formæ*. Per negationem autem intelligitur, vel pura negatio, prout priuationi opponitur, subiectumque excludit: vel meliùs intelligitur negatio absolutè sumpta, abstrahens à priuatione, & pura negatione, easque sub se continens, vt quid communius, & superius. Non enim minùs est contradictoria oppositio inter videns & non videns respectu hominis, qua respectu lapidis: & tamen negatio visus in homine est priuatio; in lapide verò pura negatio.

Deinde Aristoteles 1. post. cap. 2. & lib. 10. Metaphys. cap. 7. asserit inter contradictoria non dari medium, sed alterum eorum necessariò affirmari de quouis subiecto; ita vt vtrumque non possit simul aut affirmari, aut negari nisi falsò: at verò inter priuatiuè opposita datur medium, nempe subiectum aliquod, cui nec forma conueniat, nec priuatio formæ, vt est lapis respectu visus & cœcitatis: vnde non valet hæc illatio; *lapis non est cœcus, ergo est videns*; quia datur medium, nempe *non videns*. At si negatio, quæ est alterum membrum oppositionis contradictoriæ, non sumeretur in communi prout priuationem comprehendit,

daretur medium inter contradictoria, videlicet subiectum, in quo esset priuatio, quia non haberet formam, nec puram negationem, sed priuationem: vnde non valeret ista consequentia: *Homo non est videns, ergo est non videns*, intelligendo per *non videns*, puram negationem, à priuatione condistinctam, quia tunc *cæcus*, esset medium. Vnde fit vt non sit oppositio contradictoria quando additur quædam determinatio, aut syncategorema, vt rectè ait Scotus in 1. d. 2. q. 7. num. 50. quia tunc datur medium. Et ita hæc vtraque propositio est falsa: *homo est per se albus, homo per se est non albus*: quia non est de conceptu essentiali hominis quòd sit albus, vel non albus.

Dices: si priuatio contineatur sub negatione tanquam inferius sub suo superiori, oppositio priuatiua non erit distincta à contradictoria, quod est absurdum.

Respondeo esse sufficienter distinctam, quia licet priuatio contineatur sub negatione; oppositio tamen priuatiua non continetur sub contradictoria, eo quod in contradictoria, negatio abstrahit à conditione, quæ constituit priuatiuam, nimirum à determinato subiecto. Vide quæ diximus q. 6. libri primi, numero 7.

Ex his constat contradictoriam oppositionem rectè definiri posse *repugnantiam duorum simplicium terminorum inter se secundum ens & non ens*. Dicitur *simplicium terminorum* ad differentiam oppositionis contradictoriæ complexæ, seu duarum propositionum. Dicitur verò *secundum ens & non ens*, absolutè, ad differentiam aliarũ oppositionum.

19. Quæres, quæ oppositio ex istis quatuor, sit omnium maxima? Respondeo contradictoriam cæteris esse maiorem. Ita communiter Philosophi.

Probatur primò ex Diuo Thoma opusculo 37. initio, quia contradictoria non habent medium, vt diximus numero præcedenti ex Aristotele, cætera autem medium habent, nempe idem subiectum, vel idem genus: ergo minus opponuntur, quia medium indicat conuenientiam extremorum, seu distantium.

Probatur secundo, quia contradictio est causa cur cætera sint opposita: illud autem maximè tale est, quod est causa vt cætera sint talia, ex communi effato. Antecedens constat ex eo quòd vnum oppositum non potest excludere aliud, nisi habeat negationem illius: ex eo enim albedo, & nigredo nequeunt esse simul, quia nigredo includit negationem albedinis, & contra.

Probatur tertio: oppositio prouenit ex repugnantia, & disconuenientia extremorum: extrema autem contradictionis minùs conueniunt, & magis repugnant, quàm extrema aliarum oppositionum. Nam aliqua extrema possunt conuenire tribus modis, nempe genere, subiecto, & effectu ab vtroque procedente: sola autem contradictoria in nullo ex his conueniunt. Relatiua quippe conueniunt genere: priuatiua habent sub-

iectum commune: contraria conueniunt genere, & subiecto, & ad eundem effectum concurrunt, vt calor, & frigus ad teporem. At *ens* & *non ens*, quæ sunt extrema contradictionis, nec sunt sub eodem genere, nec habent subiectum commune, quia *non ens* non est in subiecto; nec ad eundem effectum concurrunt, vt patet.

20. Vnde colligitur, post contradictoria, magis opponi priuatiuè opposita; deinde contraria; vltimò relatiua. Priuatiua enim magis accedunt ad contradictoria, quia in his alterum extremum est *non ens*, sicut in contradictorijs: in duobus autem alijs ambo extrema sunt ens. Sequuntur deinde contraria; nam vnum contrarium expellit aliud ab eodem subiecto, illud perimit, & destruit: at verò relata se mutuò ponunt, & includunt in suo conceptu; & vno pereunte perit aliud, quod maiorem indicat naturæ societatem. Et quamuis vna relatio dicat negationem oppositæ in eodem supposito, vt paternitas negationem filiationis, hoc tantùm est respectu eiusdem, non verò absolutè; ideoque talis oppositio est tantùm secundùm quid: contraria verò opponuntur absolutè, & ita sibi simpliciter repugnant.

Dices: ex minori oppositione non potest maior inferri, vt notum est: sed ex priuatiua, & relatiua, & contraria, infertur contradictoria: ergo contradictoria est omnium minima. Probatur minor, quia rectè infertur, *album est nigro contrarium ergo album non est nigrum.*

Deinde maior est distantia inter contraria, quàm inter contradictoria: ergo maior est oppositio inter illa, quàm inter ista. Probatur antecedens: album enim magis distat à nigro, quàm à non albo, quia fuscum est non album, à quo tamen minùs distat album, quam à nigro, vt constat.

Respondeo ad primum, oppositionem contradictoriam inferri ex alijs à posteriori, tanquam causam ex effectu: vnde non sequitur eam esse alijs maiorem, sed potiùs minorem.

Dicunt alij maiorem oppositionem posse inferri ex minori: sicut ex diuersitate specierum infertur diuersitas differentiarum, quæ est maior, quia differentiæ seipsis differunt; species verò per differentias.

21. Respondeo ad secundum, negando antecedens: ad cuius probationem, nego album magis distare à nigro, quàm à non albo, si per non album intelligatur simplex negatio albi, vt debet intelligi, ad hoc vt sit alterum membrum contradictoriæ oppositionis: sic enim destruit totam ipsam albedinem, nec vllam habet cum ea conuenientiam: at verò inter album, & nigrum quædam est conuenientia, scilicet in genere proximo, & in subiecto, vt explicatum est numero 19. Quòd si per non album intelliguntur medij colores, prout includunt negationem albedinis, vera est probatio antecedentis, sed nihil concludit, quia tunc negatio limitata est ad oppositionem particularem, quæ in mediis coloribus reperitur ad extremos. Vnde non album non est oppositum contradictoriè albo,

sed contrariè, & imperfectè, & secùndum quid, vt adnotatum est q. præcedenti, numero 59.

Instabis: contraria includunt oppositionem contradictoriam, vt habet secunda probatio num. 19. & addunt peculiarem adhuc rationem oppositionis, nimirum contrarietatem: ergo magis sunt opposita, quàm contradictoria. Quod idem valet de duobus alijs oppositis: & ideò contradictoria oppositio erit omnium minima.

Respondeo, alia opposita, esse magis opposita extensiuè, quia duas oppositiones simul includunt; non autem intensiuè, quia contradictoria solitariè, & præcisè sumpta cæteris in se spectatis maior est. Addit egregiè Ferrariensis 4. contra gentiles c. 14. ad vltimum, sub finem capitis, illud quod addunt aliæ oppositiones ad contradictoriam, non eam augere, sed minuere, quia eam limitat & contrahit ad conditionem oppositionis, in qua includitur, seu cum qua coniungitur. Verbi gratia, negatio nigri, quam album includit, limitatur ad oppositionem contrariam, & ex hac coniunctione fit minor, quia tollitur repugnantia eius absoluta & illimitata. Hoc idem docet D. Th. opusculo 37. Quod est de quatuor oppositis, cap. 1.

SECTIO VLTIMA.

De cæteris postprædicamentis.

22. POST opposita explicat Aristoteles modos prioritatis, seu quibus vnum alio dicitur prius; sunt autem quinque. Primus est quo vnum dicitur alio prius tempore, quando ipsum duratione præcedit, siue totali, vt Romulus Cæsarem; siue partiali, vt Aristotelem Plato. Et hic est omnium proprijssimus, inquit Aristoteles, vel quia est notior, vel quia per eum cæteri explicantur.

Secundus est, quo vnum dicitur prius alio secundùm subsistendi consequentiam, quando scilicet existentia vnius infertur ex alterius existentia, non contrà: ex prioris enim existentia non sequitur existentia posterioris, benè è conuerso. Hàc ratione superiora dicuntur priora suis inferioribus, vt animal homine: vnde rectè infertur *homo est, ergo animal est*: non viceuersa. Item sunt duo, ergo est vnum: non contra, quia vnum prius est quàm duo.

Tertius est, quo vnum dicitur ordine prius, quàm aliud; quando scilicet vnum alteri præponitur ex natura & conditione ipsius rei, quomodo in scientijs præmitti debent principia conclusionibus, in Grammatica syllabis elementa priora sunt, in oratione exordium, &c.

Quartus est, quo res aliqua præstantior, vel dignior secundum hominum æstimationem, prior dicitur minùs præstanti, & honorabili. Sic dicus

paupere prior dicitur; sic amici apud nos priores sunt alijs. Hunc modum vocat improprijssimum Aristoteles, quia non est vsitatus modus loquendi, ait Simplicius, vel quia, inquit Ammonius, non fundatur in ipsis rebus, sed ex hominum æstimatione, & arbitratu maximè pendet.

23. His quatuor modis qui Aristotelis tempore communes & vulgares erant, adjicit ipse quintum quasi à se inuentum, quo aliquid dicitur prius alio naturâ, quando nimirum reciprocatur cum eo, subsistendi consequentiâ, est tamen causa illius. Hoc se habent modo dies, & lumen Solis: si enim Sol lucet, dies est, & si dies est, Sol lucet: & sic est mutua consequentia vnius ex alio, vbi tamen lux Solis est causa diei. Affert & exemplum Aristoteles de enunciatione, cuius veritas reciprocatur cum re enunciata; & tamen res enunciata est causa veritatis enunciationis. Vt si homo est, verum erit dicere hominem esse: & si verum est dicere hominem esse, oportet vt homo sit: ex eo enim quod res est vel non est, oratio est vera vel falsa, inquit, quod idem habet 9. metap. c. 10. Omnis ergo causa respectu sui effectus, & essentia respectu passionum prior est hoc genere prioritatis, vt Sol luce, rationale risibilitate, ignis calore, &c.

Potest autem hic esse controuersia vtrum huiusmodi prioritas naturæ importet antecedentiam in duratione, an solam independentiam in esse: itavt Sol, verbi gratiâ, intelligatur esse in aliquo priori durationis, in quo non est lux: an solùm dicatur naturâ prior luce, quia non pendet à luce, quoad suum esse, sed potiùs lucem ipsam producit. Hoc vltimum mordicùs tenet Soto hoc capite, aitque ob huius rei inconsiderationem multa commenta fingi tum in Philosophia, tum in Theologia: illi adhærent Conimbricenses tum hic, tum q. 4. in præfationem Porphyrij, art. 3. sect. 3. argum. 2. cum alijs multis.

24. Nihilominus existimo negandum non esse hujusmodi prioritatem esse realem antecedentiam durationis naturæ, quando importat veram, & realem causalitatem, & dependentiam, quod maximè verum est in causa efficiente. Neque enim potest intelligi Sol lucem ex se fundere, quin priùs intelligatur reali aliquâ prioritate productus à Deo, & in suo esse completus: nisi lux dicatur facta esse à Deo eâdem actione quâ Solem creauit, de quo in Physicis.

Quinque igitur sunt modi prioritatis, videlicet prioritas temporis, prioritas secundùm subsistendi consequentiam, prioritas ordinis, prioritas dignitatis, prioritas naturæ, seu causalitatis: totidemque sunt modi posterioris, illis oppositi; prius enim, & posterius sunt correlatiua, & ideò totidem modis dicitur vnum quot aliud.

Theologi addunt alium prioritatis modum, quem vocant prioritatem originis, quâ Pater in diuinis dicitur prior Filio, & vterq; Spiritu-sancto: hæc autem prioritas vocatur prioritas *à quo*, non prioritas *in quo*: hoc est, in nullo priori instanti, aut signo, etiam naturæ, intelligitur esse Pater ante Filium, sed dicitur prior origine Filio prioritate *à quo* quia Filius

est à Patre, non contra; & Spiritus sanctus ab vtroque, non contra.

25. Sequuntur iam capite 12. modi, quibus res aliqua dici potest esse simul cum alia, & quamuis tot modi simultatis esse possint, quot prioritatis, vt constat; tres tamen solùm enumerat Aristoteles, fortè, quia alij sunt parui momenti. Primus est esse simul tempore, quando aliqua simul existunt, aut producuntur, vt duo homines eodem tempore nati. Secundus est esse simul naturâ, quando valet mutua subsistendi consequentia vnius ad aliud, modo tamen vnum non sit causa alterius, quomodo relata dicuntur esse simul naturâ: si enim Pater est, Filius est, & contrà, vt diximus qu. 5. numero vltimo. Tertius modus est esse simul diuisione, seu simul naturâ communi, vt alij loquuntur: hoc modo, dicuntur esse simul differentiæ, quæ æque immediatè diuidunt aliquod superius, vt rationale, & irrationale respectu animalis: rationale autem, & volatile non sic se habent, quia volatile supponit irrationale, quod diuiditur per volatile. Hæc autem dicuntur simul naturâ communi, quia fieri potest vt vna species supponatur ab alia secundum rationem propriam; quamuis ratione superioris, quod diuidunt, sint simul & æquè immediatæ: quomodo linea supponit superficiem, & hæc supponit corpus. Quæ omnia indicantur his versibus.

Tempore dico simul quorum generatio nunc est.
Quæ conuertuntur dicimus esse simul.
Suntque simul species, genus vnum distribuentes:
At generis causâ, non ratione sui.

26. Capite 13. agit Aristoteles de speciebus motus, de quibus nos in Physicis. Capite verò 14. tradit diuersos modos, quibus res vna aliam habere dicitur. Primus est habere qualitatem, vt virtutem. Secundus, habere quantitatem, vt tres vlnas. Tertius, habere ea, quæ circunstant, vt vestes. Quartus, habere partes constituentes, vt manum, caput, animam, corpus; aut habere in parte, vt annulum in manu. Quintus, habere aliquid per modum vasis, vt aquam situla. Sextus, habere secundùm possessionem, vt agrum. Septimus, habere vxorem. Et hæc sint satis de isto tractatu.



LIBER

LIBER QVINTVS.

DE ENVNCIATIONE.

1. POSTQVAM Aristoteles de singulis terminorum simplicium generibus in Tractatu prædicamentorum disseruit, eorum compositionem, quâ enunciatio constituitur, explicandam suscipit in libro, qui περὶ ἑρμηνείας, hoc est *de interpretatione* inscribitur, quasi diceres *de enunciatione*. Licet enim vox quælibet simplex possit dici mentis interpres, quatenus latentes animi conceptus euulgat; potiùs tamen videtur esse interpretationis principium, quàm interpretatio, vt rectè ait D. Th. hic, quia ille propriè interpretari videtur, qui exponit veritatem, aut falsitatem in re aliqua latentem. Veritas autem, & falsitas propriè in enunciatione inuenitur. Vnde meritò Tractatus iste, in quo de enunciatione disseritur *de interpretatione* nuncupatur. Quia verò alia est enunciatio simplex, in qua vnum de vno affirmatur, vel negatur, vt *Petrus est homo*. Alia hypothetica, seu coniuncta, quæ ex pluribus simplicibus, inter se copulâ coniunctis, componitur, vt *Petrus est homo, & Bucephalus est equus*: existimant aliqui recentiores obiectum huius Tractatus esse enunciationem in communi prout simplicem, & coniunctam complectitur, eo quòd Aristoteles de vtraque hic agit, nec alibi locus datur tractandi de ea: sed hoc minoris momenti est quam vt exactiùs discuti debeat. Ratum tantummodò sit ex Diuo Thoma & alijs, Aristotelem maximè hic agere de enunciatione, quæ inseruit syllogismo, de quo postea tractaturus est; hic autem solus est categoricus, non hypotheticus, de quo tam pauca dicit vt nihil dicere videatur. Adde quod enunciatio hypothetica facilè resoluitur in simplices, ex quibus componitur, nec aliquid peculiare habet, quod ex simplici non euadat perspicuum; vnde breuiter admodum, & quasi in transitu, de ipsa mentionem fecit Philosophus, vbi de enunciationis diuisione tractauit.

Cœterum: opus hoc apud Græcos vnico continetur libro; apud Latinos verò in duos diuiditur: tria autem veluti summa capita compre-

hendit. In primo partes ipsæ, & elementa enunciationis explicantur, nomen scilicet, & verbum. In secundo agitur de ipsa enunciatione, eius speciebus, & affectionibus, nimirum qualitate, quantitate, conuersione, oppositione, &c. & specialiter circa futura contingentia. In tertio denique agitur de enunciatione modali. Quem nos seruabimus ordinem, omissis quæ in summulis tradi solent.

QVAESTIO I.

De significatione vocum, & de nomine, & verbo.

Quia nomen, verbum, & enunciatio, de quibus Aristoteles disputaturus est, significatiua sunt, agit ante omnia de eorum significatione, & diuerso modo significandi: ideò nos quoque cum alijs Philosophis priùs agemus de signi natura, & essentia in communi. Sit igitur.

SECTIO I.

De Signo in communi.

2. SIGNVM definitur communiter *id quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat, siue cognoscendum exhibet*: ideoque significare nihil aliud est, nisi potentiæ cognoscenti aliquid repræsentare, siue manifestare. Hoc modo vestigium nos ducit in cognitionem animalis, fumus in cognitionem ignis &c.

Diuiditur autem signum diuisione generali in formale, & instrumentale. Formale est quod se solo immediatè reddit potentiam cognoscentem, eam informando, propter quod formale dicitur. In hoc genere sunt omnes mentis conceptus, & omnes vitalium potentiarum cognitiones; sunt enim formales obiectorum repræsentationes, atque species expressæ, & imagines; vnde sicut albedo est ratio formalis albi, per seipsam faciens subiectum album: ita huiusmodi signa formalia sunt rationes formales cognoscendi, constituentes potentias cognoscentes per seipsas Hæc est Aristotelis sententia primo capite, vbi mentis conceptus vocat notas, seu signa rerum.

In hoc eodem genere signi collocant plerique, ferè omnes, species impressas obiectorum: sed hæ virtuales tantummodo sunt, non autem

formales eorum repræsentationes, vt in libris de anima ostendemus, ideoque non immediatè per se, sed medijs actibus vitalibus obiecta repræsentant, atque adeò ad signum instrumentale potiùs reuocari debent, vt jam dicemus.

3. Signum instrumentale est, quo potentia cognoscens mouetur ad alicuius rei cognitionem. Solet autem hoc instrumentum mouere potentiam ad cognoscendum, concurrendo cum ipsa effectiuè ad cognitionem rei, cuius est signum. V.g. species visibiles ab albedine in oculum immissę, concurrunt cum oculo ad visionem eliciendam, quæ est signum formale albedinis: ideoque species illæ non se solis repræsentant formaliter albedinem, sed mediâ visione, in quo differunt à signo formali.

Subdiuiditur ergo signum instrumentale in illud, quod sine sui cognitione nos ducit in cognitionem alicuius rei, vt sunt species impressæ. Videt enim rusticus albedinem medijs speciebus, de quibus nullam habet cognitionem. Et in illud, quòd priùs cognitum nos ducit in alterius rei cognitionem. Vnde definitur ab Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 1. *res, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se facit in cognitionem venire.* Aut, vt ait in libro de dialecticæ principijs cap. 5. *illud quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo repræsentat.* Huiusmodi est fumus, qui priùs cognitus nos ducit in cognitionem latentis ignis.

Si quis tamen communi sententiæ inhærere maluerit, dicat ad hoc vt species dicantur signa formalia, sufficere quod potentiam informent, eamque constituant in actu primo sufficientem ad cognoscendum; non solùm effectiuè concurrendo cum ipsa, sed per modum causæ formalis offerendo quodammodo obiectum cognitioni: & ita vniuersaliter signum instrumentale debere cognosci, vt in alterius rei cognitionem ducat, vt habent definitiones Diui Augustini.

4. Diuiditur rursus instrumentale signum, in naturale, & arbitrarium, seu ex instituto. Naturale est, quod naturâ suâ, & ex intrinseca sui ratione aliquid significat, ideoque idem apud omnes gentes repræsentat, vt fumus ignem, gemitus dolorem, risus lætitiam.

Signum verò ex instituto est, quod non naturâ suâ, sed ex hominum beneplacito, & libera impositione aliquid significat, vt pulsatio campanæ, est signum futuræ lectionis, & omnes voces significatiuæ, sunt signa rerum, quibus significandis impositæ sunt, vt homo significat naturam humanam ex impositione hominum voluntaria.

Huc referuntur signa ex consuetudine, vt ramus viridis est signum vini venalis, potiùs ex consuetudine, quàm ex determinato hominum instituto, & impositione. Huc etiam referuntur signa ex Dei beneplacito instituta, vt sacramenta, arcus cœlestis, siue Iris, quæ signum est non amplius futuri diluuij ex Dei instituto, Geneseos 9. & ita de alijs.

Diuiditur præterea signum in rememoratiuum, demonstratiuum, &

prognosticum. Hanc diuisionem tradit D. Th. in 4.d, 1.q. 1. art. 1. ad 4. primæ qu. illud est quod præteritum aliquod in memoriam reducit, vt Iris Genes. 6. pactum factum cum Noë. Aliud indicat aliquid præsens, vt fumus ignem. Tertium aliquod futurum designat, vt *pallida Luna pluit rubicunda flat, alba serenat.*

Est autem hic aduertendum vnam eandemque rem materialiter sumptam posse multiplicem in se rationem signi vendicare. Nam Iris est signum naturale pluuiæ mox futuræ, & simul signum ex instituto non futuri diluuij. Similiter cognitio bouis, quæ respectu mei intellectus est signum formale repræsentans illi bouem; potest esse signum instrumentale respectu Angeli, talem cognitionem in meo intellectu videntis, quatenus illi eundem bouem repræsentat.

5. Ex his colligitur primò signum duplicem inuoluere comparationem, alteram ad rem significatam, alteram ad potentiam, cui rem significatam repræsentat. Et hoc patet ex definitione ipsa, qua signum dicitur illud, *quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat.* Vnde ad hoc vt gemitus sit tristitiæ signum, debet dicere habitudinem ad tristitiam, alioquin non esset ratio cur tristitiæ potiùs signum esset, quàm lætitiæ; & ad hoc vt cognitionem illius afferat, oportet vt aptus sit illam repræsentare alicui potentiæ cognoscenti.

An verò huiusmodi comparatio, seu habitudo, in qua signi ratio, & essentia constituitur, sit vera & formalis relatio, controuertitur: quidam affirmant, eo quòd fumus, *v. g.* in se absolutè spectatus, nihil nisi fumus est, nec potest intelligi habere rationem signi, quin intelligatur includere respectum ad ignem, cuius signum est. Similiter sonus campanæ, in se spectatus, nil nisi sonus est; ad hoc autem vt lectionem significet, debet intelligi superaddita relatio rationis ad lectionem, ex hominum impositione resultans. Vnde in hac relatione formaliter posita est essentia signi, aliàs frustrà per eam definiretur.

Alij autem existimant resultare quidem relationes aliquas, siue reales siue rationis in signis, tum naturalibus, tum ex instituto; sed nolunt in ijs sitam esse formalem signi rationem; at potiùs in fundamentis talium relationum, hoc est in proportione, & aptitudine, quam habet signum, siue à natura, siue ab impositione, vt potentiam moueat ad cognitionem rei significatæ; formalis enim signi ratio est, vt aliquid potentiæ cognoscenti repræsentet; & ita meritò in eo constitui debet, per quod talem potentiam in rei notitiam promouet; hoc autem præstat non mediâ relatione, sed mediâ illa proportione & aptitudine fundamentali.

6. Hoc patet, *v. g.* in fumo, qui natus est repræsentare ignem, non per relationem quam dicit ad ipsum vt ad causam, sed quia talem habet naturam, vt sine illo existere nequeat. Similiter vocabulum istud, *bos*, non ingerit nobis notitiam illius animalis per relationem rationis, sed ex eo præcisè, quod intelligitur à nobis, ex hominum impositione, & voluntate

fuisse assumptum ad significandum illud animal: talis enim voluntas quę in voce moraliter perseuerare intelligitur, est sufficiens fundamentum in illa, vt possit talem nobis notitiam afferre, absque eo quod fingatur aliqua relatio.

Vtraque hæc sententia probabilis est, & sine veritatis dispendio potest facilè sustineri. Pro prima dic ad secundam, signum spectatum cum illa proportione fundamentali non esse formaliter constitutum in essentia, & ratione signi, sed tantùm in proxima potentia, vel in actu primo. Pro secunda verò dic ad primam, signum non posse quidem intelligi, aut definiri, nisi per ordinem ad terminum aliquem, sed hunc ordinem esse fundamentalem, & veluti transcendentalem, qualis est potentiarum ad obiecta; formalem verò relationem inde resultantem, esse prorsus inutilem ad essentiam signi.

7. Colligitur secundò plures interuenire cognitiones in signo instrumentali iuxta eius definitiones à Diuo Augustino assignatas. Iuxta illas quippe debet priùs cognosci signum, vt in rei significatæ notitiam promoueat, & ita altera est cognitio ipsius signi, altera ipsius significati. Dum enim visu percipitur fumus, mouetur intellectus ad cognitionem fumi, & per illius cognitionem ad cognitionem ignis. Similiter audito campanæ sonitu, intellectus format cognitionem ipsius soni; tum memoria recordatur lectionis ad quam significandam instituta est pulsatio campanę & sic excitatur intellectus ad considerationem huiusmodi futuræ lectionis. Vnde cognitio signi, quæ est signum formale respectu illius, est instrumentale respectu rei significatæ; vel si formale dicatur secundum opinionem communem, de qua numero 2. erit signum formale remotum, reducens remotè intellectum ad actualem intellectionem rei prius notæ habitualiter, vt rectè explicat Scotus in 2. d. 42. q. 4. num. 17. & lib. 4. d. 1. q. 5. num. 10.

Colligitur tertiò signum & rem significatam debere inter se distingui, itavt nihil possit esse signum sui ipsius. Patet ex definitionibus datis ex Diuo Augustino, in quibus dicitur signum aliud à se repræsentare. Quod idem intelligitur in definione communi per particulam *aliquid*. hoc ostenditur primò in signo formali, quod est imago, & similitudo rei significatæ; nihil autem potest esse similitudo sui ipsius, alioquin identitas & similitudo idem essent, quod absurdum est. In signis etiam instrumentalibus idem patet, quia hæc prius cognosci debent, vt deinde in rei significatæ notitiam deducant: quod distinctionem importat.

8. Dices hoc vocabulum *nomen* significat omnia nomina, ergo & seipsum, cùm nomen sit, æque ac cœtera. Item conceptus formalis de conceptu formali in communi, seipsum repræsentat, vt patet: ergo non requiritur distinctio inter signum, & significatum.

Respondeo huiusmodi signa significare se ipsa confusè & secundariò, quatenus in conceptu rei communis includuntur confusè omnia particu-

laria, quæ essentiam illius rei communis participant; non verò expressè, & immediatè. Et de hoc secundo modo intelligi debet, dum dicitur nihil se ipsum significare; alius tamen modus dicendi est probabilis, vt patet.

Quæres vtrum omnis causa creata dici debeat signum sui effectus; & viceuersa omnis effectus suæ causæ? Respondeo: negant multi causam esse signum effectus, quia signum debet esse naturâ suâ, aut ex instituto ordinatum ad aliud repræsentandum: causa autem non est ordinata ex natura sua ad repræsentandum effectum, sed è contrario: vnde patet non dicitur signum, seu imago filij; nec Cæsar dicitur repræsentare suam imaginem, sed imago Cæsarem. Et ita, licet ex cognitione causæ veniamus in cognitionem effectus, non sequitur causam esse signum effectus. Quia verò omnis effectus est quædam participatio, imitatio, & similitudo causæ suæ, rectè dicitur esse illius signum, & repræsentatio.

SECTIO II.

Quid significent voces.

9. EXPLICATA signi naturâ in communi, quæritur modo quid significent voces. Huic autem quæstioni occasionem dedit Aristoteles capite præsenti, dicens voces esse notas, seu signa conceptuum, scripta verò signa vocum. Quidquid tamen dixerit Aristoteles, asserunt multi voces significare propriè res ipsas, non verò conceptus mentis, nisi ad hoc ex peculiari proposito fuerint destinatæ, sicut intellectio, cognitio, conceptus, quæ primò & per se ipsas mentis apprehensiones significant. Ita tenet Scotus hic q. 1. licet contrarium existimet probabile: Gabriel in 1. d. 22. q. vnicâ, art. 3. & quidam alij. Boëtius verò in secunda editione hûius Tractatus, contrariam omninò sententiam tenuit, solos nimirum conceptus, non autem res vocibus significari. Diuus Thomas hic lectione 2. & 1. p. qu. 27. art. 1. & qu. 8. de potentia art. 1. cum alijs multis mediam sententiam tradit, nimirum vocibus significari tum conceptus, tum res ipsas. Omissâ Boëtij sententiâ, duæ aliæ probabiles sunt, earum rationes hic proponam breuiter, & soluam, vt se flectat animus in quam libuerit.

Prima ergo sententia his fulcitur rationibus: si voces significent conceptus, sequitur omnem propositionem affirmatiuam esse falsam. Cùm enim in qualibet propositione vox ponatur pro suo significato, sensus cuiuslibet erit, conceptum subiecti esse conceptum prædicati, vt istius, *Petrus est albus*, sensus erit, conceptum Petri esse conceptum albedinis; hoc autem est euidenter falsum.

Deinde: significatio cuiusque vocis erit æquiuoca: nam lapis, v. g. &

conceptus formalis lapidis, conueniunt tantùm æquiuocè, aut ad sumptum analogicè in lapidis natura: sicut Cæsar & eius imago: ergo si vox ista *lapis*, vtrumque significet, vt dicit altera opinio, habebit significationem æquiuocam: quod idem valet in cæteris.

Præterea: voces institutæ sunt, vt audientibus exhibeant quod nobis exhibent conceptus interni, seu interna locutio: sed hæc nobis immediatè repræsentant obiecta, & res ipsas; ergo & voces immediatè res ipsas significant.

Quartò: voces significant, quod audientes percipiunt, & quod author vocum instituit: sed hoc est res ipsa, & non conceptus loquentis. Dum enim quis exponit rustico Deum condidisse Cœlum & terram, nihil ipse rusticus cogitat de actibus internis loquentis, sed solùm concipit Deum esse authorem Cœli & Terræ. Et author huius linguæ non statuit his vocabulis significari conceptus mentis, sed Cœlum ipsum, Terramque &c. Ergò voces illæ significant rustico res ipsas, non verò conceptus loquentis.

Quintò: dum aliquis mentitur, eius externa locutio non correspondet conceptibus internis, alioquin non mentiretur, seu non iret contra mentem; ergo voces non possunt tunc significare conceptus mentis. Denique multæ sunt voces, quas nulli conceptus in mente præcedunt, vt patet in dormientibus, in stultis, in psittacis.

10. Ad hæc respondebis hoc modo. Ad primum, voces in propositionibus esse signa manifestatiua quidem conceptuum, sed non suppositiua conceptuum; rerum autem esse manifestatiua simul & suppositiua: hoc est, in propositionibus non ponuntur pro conceptibus, quia sic facerent propositiones falsas, sed tantùm ponuntur pro rebus.

Ad secundum dicit Scotus iuxta mentem Authorum contrariæ sententiæ, nomen non esse analogum nisi multa significet per plures impositiones, vt *sanum*: vocem autem per vnicam impositionem significare conceptum, & rem ipsam. Sed nullum video absurdum sequi, si dicatur quamlibet vocem habere significationem analogam, si comparetur ad conceptum, & rem conceptam: sicut *homo* si comparetur ad verum hominem & pictum, est analogum, licet vnivocum sit, sumptum absolutè pro natura humana.

Dici etiam potest significari rem, vt *quod*, conceptum verò vt *quo*; seu connotari, & innui conceptum; rem verò directè indicari: & ideò non esse hic analogiam in significatione, quia non est idem modus significandi: alioquin album, & omnia connotatiua essent æquiuoca respectu formæ directè significatæ, & subiecti in obliquo connotati.

Ad tertium respondeo voces esse institutas, non solùm vt nobis repræsentent obiecta internæ locutionis, sed etiam vt nobis exhibeant internam ipsam locutionem mentis. Vnde Diuus Damascenus lib. 1. de Fide cap. 17. appellat vocem Angelum intelligentiæ, quia conceptus

internos enunciat: & Plotinus de virtute cap. 3. ait vocem esse animi interpretem.

Quamuis autem necesse sit, vt audiens percipere possit, si velit, conceptum mediâ voce, ad hoc vt vox illum significare dicatur; non est tamen necesse vt illum apprehendat ad hoc vt rem percipiat, quia significata sunt diuersa. Et ita patet solutio ad quartum.

Ad quintum dico, illum, qui scienter mentitur, apprehendere verum, & falsum, hoc est, illud quod respondet externæ locutioni, & etiam oppositum; quamuis non iudicet falsum, sed tantùm verum: & sic externa locutio habet conceptus internos sibi respondentes. Vt autem dicatur contra mentem ire, sufficit vt verba, quæ exterius profert, significent oppositum eius, quod verum esse iudicat.

Ad vltimum respondeo, per accidens esse quòd proferantur voces aliquæ ex instituto significatiuæ, absque eo quòd eas præcedant conceptus mentales. Si enim quis deliberatè loquatur, & intentione aliquid significandi, debet in mente conceptum illius elicere: ideoque audiens rectè colligit ex locutione externa conceptus internos, quia communis & naturalis modus loquendi exigit, vt conceptus interni præcedant; & si non præcedunt, per accidens est, vt in stultis & dormientibus; aut non habet rationem locutionis & sermonis, vt in psittacis.

11. Secunda sententia quòd voces significent res, & etiam conceptus, probata iam est quoad primam partem: quoad secundam verò potest sequentibus rationibus confirmari. Primò authoritate Aristotelis, qui initio huius Tractatus hæc habet, *ea igitur quæ sunt in voce, signa sunt passionum, quæ in anima sunt: & ea quæ scribuntur, notæ sunt eorum quæ sunt in voce.*

Secundò: voces significant ex hominum institutione & intentione; eò autem fertur hominum intentio, vt manifestentur interni conceptus, quia humanus sermo ex Aristotele in politicis, institutus est ad hominum commercium & societatem, quæ maximè in communicatione conceptuum posita sunt.

Tertio: sæpè significantur res in eo solum statu, quem habent in intellectu, vt *homo* significat naturam humanam in abstractione à singularibus, vt rectè ait D. Th. lectione citatâ: item *albedo* in abstractione à subiecto: chimæra quoque, hircocervus, & similia figmenta, cùm esse nullum habere possint extra intellectũ, solos animi conceptus significant.

Quartò: si voces non indicarent conceptus, nullum daretur mendacium, quia mentiri est vocibus significare conceptus diuersos ab his quos habes in mente circa rem significatam.

Quintò: dum quis nutibus vtitur, abnuendo, vel annuendo indicat mentis assensum, vel dissensum; nutus autem vocibus æquipollent. Similiter multæ voces significant animi suspensionem, & dubitationem, & consequenter actus internos.

12. Ad

12. Ad hæc sic respondeo: ad primum, voces esse signa conceptuum, non manifestatiuè, sed præsuppositiuè. Hoc est voces non significant directè & propriè ipsos animi conceptus, sed potiùs res ipsas: quia verò non significant res, nisi mediantibus conceptibus, eo quòd intellectus debet res apprehendere sic vel sic, antequam nomina eis imponat, ideo præsuppositiuè indicant animi conceptus, non verò significatiuè: quod est dicere, voces supponere conceptus significantes, non significatos.

Ad secundum respondeo quasdam voces esse impositas ad significandas animæ passiones & conceptus, vt est intellectio, cognitio, nescio, volo, &c. Alias autem ferè omnes potiùs ad significandas res ipsas, ex qua significatione sufficienter saluatur commercium, & societas humana. Qui enim loquitur, vult potiùs explicare rem à se conceptam, quàm conceptum suum, vt constat, quamvis inde facilè colligantur animi sensa.

Ad tertium dico audientem posse res hujusmodi concipere abstractiuè absque eo quòd concipiat actus abstractiuos loquentis; & posse concipere chimæram &c. eo modo, quo loquens, eam concipit, absque eo quòd conceptionem eius apprehendat: sicut enim loquens non debet necessariò apprehendere conceptum suum, quo chimeram format; ita nec audiens.

Ad quartum respondeo negando antecedens. Nam mendacium in hoc positum est quòd loquens voces proferat significantes rem alio modo se habentem, quàm ipse iudicet, & credat.

Ad vltimum dico hæc & similia significare animi conceptus, & sensa, quia ad hæc significanda sunt imposita, & instituta, sed non eodem modo philosophandum esse de cæteris omnibus.

SECTIO TERTIA.

Quid primariò vocibus significetur.

13. COETERVM in hac secunda sententia, quæ tenet vocibus significari conceptus, & obiecta conceptuum, adhuc controuersia est, vtrum eâdem significatione significentur immediatè & primò ipsi conceptus, deinde res medijs conceptibus: aut è contrario res ipsæ primariò, & conceptus secundariò: an denique res, & conceptus immediatè per diuersas significationes. Triplex enim hic modus dicendi suos habet authores, & probabiles rationes.

Itaque Diuus Thomas hic lectione 2. & 1. p. q. 13. art. 1. & 1. contra gentil. cap. 35. in fine, Ferrar. ibid. & alij existimant vocibus significari

priùs conceptionem intellectus, & illa mediante significari res ipsas conceptas & intellectas.

Probatur hæc sententia primò ex Aristotele hic, vbi expresè ait voces esse primò notas, seu signa conceptuum.

Deinde: quando aliquod relatiuum tendit ad duos terminos subordinatos, priùs respicit immediatum, quam remotum, vt genus priùs respicit speciem, quàm indiuiduum, & hoc eâdem relatione. Sed vox respicit conceptum, & rem conceptam tanquam duos terminos subordinatos, itavt conceptus sit immediatus, quia vox non significat rem nisi prout ab intellectu, significationem imponente concepta est, vt constat, ergo &c.

Præterea: vt num. 11. dicebamus ratione tertiâ, hoc nomen *homo* significat naturam humanam in abstractione à singularibus; ergo non potest eam significare nisi mediante conceptu abstrahente.

Quartò: voces substituuntur loco conceptuum; ergo primariò significant conceptus. Quando enim signum vnum ponitur loco alterius signi, priùs indicat illud aliud signum, pro quo ponitur, quàm rem à tali signo significatam.

Denique voces non significant conceptus, nisi vt significatiui sunt rerum; ergo eâdem significatione indicant conceptus primò, & deinde res conceptibus expressas.

14. Ad primum respondetur sicut ad primum numeri 12. quòd voces significent primò conceptus præsuppositiuè: hoc est, non ita quòd conceptus sit propriè res significata; sed quia est id, quo intellectus rem significat: non enim eam significat, nisi sic ab intellectu conceptam. Ita Ferrariensis loco citato: nec aliud velle videtur D. Thomas dum ait voces significare conceptus.

Tenendo tamen ipsos etiam conceptus significari: dicitur eos significari primò ordine intentionis, & finis; rem verò ordine executionis, & medij: hoc est, primarius finis imponentis voces, fuit significare, & prodere animi sensa; sed quia hoc fieri non potest, nisi priùs res significatæ intelligantur (neque enim scire possum te formare conceptum hominis, dum te audio pronunciantem hoc vocabulum *homo*, nisi prius naturam humanam, per illud significatam apprehendero) ideo ordine executionis priùs significatur res concepta, quàm conceptus.

Ad secundum respondeo primò, conceptum, & rem conceptam esse duos terminos subordinatos non in ratione significabilis, sed in ratione principij, & causæ, vt explicui in præcedenti solutione: quatenus res non significatur, nisi præsuppositâ conceptione intellectus, iuxta cuius mensuram imponitur voci significatio. Aut si in ratione significabilis dicantur termini subordinati, conceptus potiùs subordinatur rei, quàm è contrario, quia prius cognoscitur res, & deinde per discursum venitur in cognitionem conceptus, vt iam dixi. Denique ex tertia sententia de

qua mox erit sermo, vox æque primò & immediatè significat vtrumque per duas impositiones, & significationes: & sic nulla interuenit subordinatio.

15. Ad tertium dicendum est conceptionem intellectus prærequiri ad significationem vocum, vt explicatum est: eâ verò positâ, tanquam conditione, *sine qua non*, voces significant primò res ipsas, & deinde conceptus, vt dictum est præcedenti solutione: aut æque primò vtrumque per duplicem significationem immediatam.

Ad quartum nego primam consequentiam: potiùs enim infertur contrarium: quia si voces subrogantur pro conceptibus, & conceptus significant res primariò & immediatè, concludendum est voces significare primò, & immediatè res ipsas, & secundariò conceptus.

Ad probationem verò illius consequentiæ dicitur quòd quandò vnum signum non imponitur propriè ad significandam rem; sed alterum signum, cujus loco ponitur, tunc debet primò & immediatè illud significare, & eo mediante rem: si autem impositum sit ad vtrumque indicandum, vt de voce hic supponitur, non probatur hac ratione vnum significari potiùs quàm aliud, vt patet.

Ad vltimum conceditur antecedens, & negatur consequens, quia vocibus priùs significantur res, ex quo deducitur audiens ad cognitionem conceptuum loquentis, intelligendo an benè, vel malè apprehendat res, de quibus loquitur.

16. Secunda sententia, quòd res priùs significetur, & eâ mediante ipse conceptus, ostenditur ex eo quòd externus sermo ordinatur ad percipiendum internum, tanquam ad finem: nulli enim esset vsui locutio exterior, si aliter internos animi conceptus manifestare possemus. Cùm ergo voce significetur res, & conceptus; significatio rei ordinatur ad significationem conceptus, tanquam medium ad finem, & ita prior est, quia medium præcedit assecutionem finis.

Ad hoc respondetur ex tertia sententia, rem significari priùs ordine executionis: sed hoc non impedire quominùs ipse conceptus immediatè significetur aliâ impositione, & significatione, quæ significationem rei præsupponat.

Ex prima verò sententia negari debet, prius rem significari, quia non significatur res nisi vt ab intellectu intelligitur: vnde eidemmet rei simplici vt Deo diuersa nomina tribuuntur, nempe esse sapientem, bonum, iustum &c. quia diuersi sunt conceptus quibus mediantibus significatur, vt rectè ait D. Thomas locis citatis. Ex quo soluuntur quæcumque possunt aliæ rationes afferri.

17. Tertia sententia, quæ est Soti lib. 1. summularum cap. 2. Conimbric. hic q. 3. art. 2. & aliorum, hoc nititur fundamento, quòd significatio vocum multiplicatur ad multiplicationem impositionum: hic autem inueniatur duplex impositio diuersa, altera ad significandos conce-

ptus, altera ad significandas res, quia homines priùs voluerunt communicare suos conceptus, & deinde altero actu distincto inuestigarunt medium, ad hoc accommodatum, & hoc fuit impositio vocum ad res significandas, & ita fuit duplex impositio.

Sed hoc fundamentum parui est momenti. In primo enim actu nihil cogitarunt de vocibus, & ita nullam eis significationem tunc imposuerunt: in secundo verò animaduerterunt significationem rerum per voces, aptum esse modum ad manifestandos conceptus, & ita eis imposuerunt talem significationem quæ vnica est, attingens primariò res ordine executionis, & secundariò conceptus, vt explicatum est numero 14. aut primariò conceptus, & secundariò res, vt habetur numero 13.

SECTIO IV.

De significatione scripturæ & de modo significandi vocum, & conceptuum.

18. HACTENVS vidimus quæ sint vocum significata. Nunc agendum venit de significato scripturæ & de modo significandi vocum.

Quæres ergo primò an scripta significent voces, an res, an vtrumque an eadem significatione, an diuersis? Respondeo posse nos de his eodē modo philosophari, ac de vocibus iuxta ploblemata superiora, eoquòd vox, & scriptura per eandem impositionem significant. Quòd igitur scripta significent res, patet experientiâ, dum libros legimus: naturam quippe rerum per scripturam intelligimus, licet de vocibus nihil cogitemus. Quòd etiam significent voces, affirmat Aristoteles hic; & constat in eo qui librum græcum, aut latinum legit, nec linguam intelligit; percipit enim vocem, cuius loco ponitur scriptura, licet rerum conceptum non formet: vnde rectè concluditur scripta per se indicare voces, atque etiam per se res ipsas: & quia vna significatio ab altera separatur in datis exemplis: infertur scripta duplici impositione, & diuersâ significatione res, & voces indicare.

Est autem hic sermo de scriptura propria, quæ ex litteris formatur; non enim est dubium quin possint res significari per quasdam figuras & characteres hierogliphicos absque vlla vocum significatione. Sic enim Astrologi indicant constellationes cœlestes, sic Arithmetici repræsentant per numeros certas rerum summas &c.

Si quis tamen statuere velit scripta significare tantummodo res, & non voces, dicet ad Aristotelem, significationem scripturæ respectu rei,

ſupponere ſignificationem vocis circa eandem rem, non autem ſignificationem ipſius vocis in ſe; hoc eſt, ſupponere vocem ſignificantem ipſam rem, non verò vocem priùs ſignificatam, & ita ſcripturam eſſe notam eorum quæ ſunt in voce, vt ipſe Ariſtoteles loquitur, præſuppoſitiuè, quia niſi ſignificatio eſſet voci impoſita, ſcriptura non ſignificaret.

Id autem quòd dicitur poſſe aliquem legere ſcripturam, non intelligendo rem, quia neſcit ſignificationem vocis, non probat ſcripturam immediatè ſignificare vocem: ſed tantum legentem non percipere rem, quia ignorat ſignificationem vocis, quæ eadem eſt cum ſignificatione ſcripturæ: vnde ſi variaretur ſignificatio huius vocis, *homo*, variaretur quoque ſignificatio huius ſcripturæ *homo*: atque ita non ſequitur dupliciter impoſitione ſignificari res & voces per ſcripturam, cum res tantùm ſignificentur. Et licet vox dicatur ſignificari, poterit quoque dici vocem immediate ſignificari per ſcripturam, & mediante voce ſignificari rem, & ita per vnicam impoſitionem. Quæ omnia facilè poſſunt colligi & ſuſtineri per reſpectum ad ea, quæ in præcedentibus problematis explicata ſunt.

19. Quæres 2. vtrum voces ſignificẽt naturaliter, an ex inſtituto? Reſpondeo vtroque modo ſignificare. In primis enim ea naturalis eſt vocum ſignificatio quæ conuenit eis vt naturales quædam qualitates ſunt, quâque indicant internas animæ affectiones, & paſſiones: ad hunc quippe finem à natura ſunt inſtitutæ, conueniuntque non ſolum hominibus, ſed & brutis animalibus, quo ſenſu dicit Ariſtoteles. 1. Politic. c. 2. vocem eſſe iucundi, & moleſti ſignum. Hoc modo gemitus internam triſtitiam prodit, modulatus lætitiam luciniæ, ſicut vox galli dum cibum reperit, & ita de ſimilibus.

Secundò voces ſignificant naturaliter ſuum prolatorem, ita enim rugitus leonem, hinnitus equum, & vox articulata quæ non niſi à ratione poteſt ortum habere, hominem demonſtrat; ſicut fumus ignem, & quilibet effectus cauſam ſuam. Illa autem ſignificatio, quæ eis competit ex libera hominum voluntate, per quam aſſumuntur ad hoc, vel illud ſignificandum, non naturalis eſt, ſed ex inſtituto illis competit, vt ex ipſa rei explicatione colligitur. Quo fit vt prima ſignificatio eadem ſit apud omnes nationes: ſecunda verò non item: neque enim eiſdem vocibus, græci & latini, hominem efferunt, aut literis ſcribunt, vt notum eſt. Imò apud eandem gentem voces in dies mutantur, nec ſemper eædem ſunt, vt ait rectè Horatius in arte.

Multa renaſcentur quæ iam cecidere: cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Quando verò Ariſtoteles 1. politicorum cap. 2. dicit ſermonem eſſe homini naturalem, non vult ſermonem eius ſignificare naturaliter, ſed eſſe naturæ illius conformem, quatenus eſt animal ſociabile naturâ ſuâ,

& in societatem venire non potest nisi medio sermone. Vel quia soli illi conuenit vocibus vti articulatis, eisque significationem quam voluerit imponere. Vel denique voces dicuntur naturaliter significare, hoc est, conformiter naturæ rerum. Qui enim voces rebus significandis primi aptarunt, consultò, & maturâ consideratione significationem conformem ipsis rebus, quantum fieri potuit, eis imposuerunt, sic ab humo hominem, vt originis suæ memor esset, appellarunt, sic lepus dictus est quasi leuipes, & sic de alijs. In quo sensu dicitur genesis 2. nomina quæ singulis animalibus Adam imposuit fuisse ipsis propria. *Omne quod vocauit Adam ipsum est nomen eius.* Quamuis fortè planior sit horum verborum iste sensus, quòd Adam in prima creatione, eadem nomina indiderit animalibus, quibus Iudæi tempore, quo hæc Moses scribebat, ea nuncupabant. Nec aliud videtur voluisse Plato dum vocum significationem in earum natura fundatam esse dixit. Quamuis fortè loquatur de quibusdam specialibus, quæ animalibus competunt, vt hinnire equo, sibilare serpentibus &c. Quod si voces significent ex instituto, multo magis hoc conuenit scripturæ, cuius formatio tota pendet ab arte.

20. Verum, aliter de modo significandi conceptuum pronunciandum est. Licet enim voces significent ad placitum hominum, & ex eorum instituto atque impositione. Conceptus tamen significant naturaliter, & ob id apud omnes nationes ijdem sunt; non secùs ac res, quarum ij sunt similitudines, easdem apud omnes esse constat. Non parua tamen in hoc difficultas occurrit, quia de eadem re diuersi & oppositi conceptus formantur à diuersis hominibus, vt patet ex contrarietate opinionũ de eadem propositione.

Ad hoc respondet D. Thom. hic art. 2. sub finem, hoc esse intelligendum de conceptibus simplicibus, quos primò significant voces simplices; in hisenim intellectus non decipitur, sed apprehendit rem vt est, & ideo necesse est huiusmodi conceptiones easdem esse apud omnes; seu easdem formari ab omnibus, quia si quis non intelligit rem vt est, non est dicendus formare conceptum illius. Secùs se res habet in compositione, & diuisione: secundùm eas enim potest esse falsitas in intellectu: atque adeo non est necesse vt conceptiones illius iudicatiuæ, apud omnes sint eædem.

Contra hoc tamen facit quòd non ita certum est in simplicibus conceptibus subesse non posse falsitatem; rusticus enim apprehendit solem bipedalem simplici mentis intuitu: Astrologus verò totâ terrâ maiorem: vnde sunt de eadem re conceptus simplices diuersi. Adde quòd, sicut dicitur conceptus simplices eosdem esse apud omnes, si res per eos apprehenditur vt est; ita de conceptibus componentibus dici potest, si res iudicetur vt est.

21. Propter quod censet Scotus hic q. 3. hunc esse sensum Aristotelis, quòd vnus conceptus de re aliqua ab vno homine formatus, eius sit

naturæ vt idem repræsentet in quouis intellectu ponatur, siue alioquin in diuersis intellectibus poni possit, siue non: hoc enim nihil refert ad huius dicti veritatem: & in hoc differunt conceptus à vocibus, & scriptis, quæ apud diuersas gentes diuersa habent significata, imò apud eandem, diuersis temporibus, vt patet in his vocibus *tyrannus*, *latro*, quæ olim in bonam, nunc in malam partem vsurpantur.

Hi modi dicendi sunt probabiles, & fortè quæstio est solùm de nomine. Certum enim est conceptum proprium cuiusque rei debere eundem esse apud omnes gentes: quia sicut natura hominis eadem est apud omnes, & natura equi eadem: idem quoque est conceptus hominis, & idem conceptus equi: quòd si aliter concipiatur, aut iudicetur quàm sit, tunc non erit conceptus hominis, sed alterius rei.

SECTIO V.

De Nomine.

22. NOMEN ex Aristotele hic, capite secundo definitur *vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta.* Qua definitione explicatâ solutisque obiectionibus, perspecta erit natura nominis. Dicitur ergo *vox significatiua*, pro genere, in quo conuenit nomen cum verbo, cæterisque terminis, si qui sint, & intelligitur articulata, vt excludantur voces brutorum; significatiua autem, vt reiiciantur voces articulatæ, nihil significantes, vt *blictri*. Ponitur *ad placitum*, ad reijciendas voces naturaliter significantes, vt planctus. Sequitur *sine tempore*, per quod differt à verbo, vt patebit sectione sequenti. *Cuius nulla pars separata significat*, vt distinguatur ab oratione. Dicitur *finita*, ad excludendos terminos infinitantes, hoc est quibus præponitur negatio, vt non homo, non lapis, quia nomen, vt ait D. Th. debet significare naturam aliquam determinatam, vt *homo*, aut determinatam personam, vt pronomen, *ego*, *tu*, *&c.* aut vtrumque vt *plato*. Infinita autem nullum certum & determinatum conceptum entis veri, aut ficti, intellectui subiiciunt. Sed, inquit Aristoteles, dicuntur indifferenter de entibus, & non entibus, vt *non homo*, dicitur tum de chymæra, tum de lapide, & de omni alio præter illud, quod negatur, hoc est præter hominem, & sic de alijs.

23. Circa tamen istud dictum est difficultas, quia transcendentia præpositâ negatione non dicuntur de entibus, & non entibus indifferenter, sed solùm de non entibus, vt *non ens*, *non aliquid*, *non res*, de solis non entibus enunciari possint. Et supertranscendentia etiam sublatâ negatione dicuntur de entibus, & non entibus, vt cogitabile, opinabile, &c.

& si præponatur negatio de nullo dici possunt; nullum enim est ens, aut non ens quod non sit opinabile.

Sed ad hæc dici potest Aristotelem hanc attulisse rationem denominationis nominis infiniti, tanquam notiorem; & vt in pluribus contingentem, quamuis non in omnibus, imò etiam aliquando non infinitis, vt conuincunt allata exempla. Vnde existimant multi cum Nipho essentiam nominis infiniti positam esse in tali negationis forma, siue alioquin sequatur prædicta denominationis ratio, seu conditio, siue non.

Denique additur, *recta*, vt excludantur casus obliqui, quia non possunt aliquid veri aut falsi significare adjuncto verbo, *est*. Nam *Petri est*, *Petri non est*, &c. nihil verum aut falsum per se important & hæc est ratio quam habet hic Aristoteles, propter quod multi loco particulæ, *recta*, ponunt ista vocabula, *quæ adiuncto verbo, est, veram aut falsam propositionem efficit*: quod quidem debet intelligi *per se & ratione sui*: nam pronomina adiuncto verbo, *est*, falsam, aut veram propositionem efficiunt, vt *ego sum, tu es*. Sed hoc non habent ratione sui, verùm ratione nominum, pro quibus in oratione ponuntur, licet existimet D. Th. ipsa sub nomine comprehendi, & ita excludentur syncategoremata, vt *omnis, nullus, docte* &c, expressè autem dixit Aristoteles *addito verbo est*, quia casus obliqui possunt efficere veram, aut falsam orationem cum verbis alijs, vt *pœnitet me peccasse*.

24. Cœterum in prædicta definitione, nulla ferè ponitur particula, quæ non patiatur satis magnas difficultates, quas breuiter hic propono, & soluo. Primò ens rationis non debet definiri per ens reale, vt patet: nomen autem est ens rationis, relatio scil. significantis ad significatum, & vox ens reale est.

Secundò non potest poni pro genere sola vox, neque vox significatiua, quia vel nomen sumitur pro significatione connotando vocem, vel pro composito ex voce, & significatione? si primo modo, vox est subiectum nominis, & ita non potest esse illius genus; sicut paries non potest esse genus albedinis: si secundo, vox est pars essentialis materialis nominis, & consequenter non potest prædicari de illo in abstracto, sicut materia non dicitur in abstracto de homine, etiam addita formâ sic *homo est materia informata anima rationali*. Tertiò multa sunt nomina cum tempore significantia: nam *cœna, prandium*, tempus indicant matutinum, & vespertinum, *posteri, maiores*, important tempus præteritum, & futurum.

Quartò multa nomina partes habent, quæ separatæ significant vt *domus, paterfamilias dominus* &c.

Quintò frustra ponitur *finita*, quia voces infinitantes sunt complexæ & duo significant, scilicet negationem, & rem negatam, itavt partes separatæ eandem retineant significationem, vt constat, & ita sufficienter excluduntur per præcedentes particulas *cuius nulla pars separata significat*.

Denique

Denique casus obliqui eandem rem significant cum rectis, vt *homo*, & *hominis*, eandem naturam humanam, eisque respondet idem in mente conceptus, vt patet; ergo malè reiciuntur à definitione & natura nominis.

25. Respondeo ad primum probabile esse nomen in ratione signi non esse relationem rationis, sed denominationem extrinsecam, petitam ex voluntate, & impositione libera hominum, per quam vocem aliquam assumpserunt ad significandum aliquid, vt explicatum est num. 5. & 6. Si verò teneatur esse relationem rationis, dicendum est ob penuriam vocabuli simplicis, significantis relationem signi ad rem significatam, nos cogi ad vtendum voce reali in definitione nominis; ita tamen vt non ponatur nisi sub ea ratione, quæ innuitur ab eo, cuius loco ponitur, hoc est sub ratione relationis significantis ad significatum, quæ relatio in vocibus & scriptis relatio rationis est, cùm ex hominum institutione pendeat.

Respondeo ad secundum, si nomen sumatur pro significatione connotando vocem vt subiectum illius, rectè definiri per vocem tanquam per genus. Vt enim diximus q. de genere num. 10. & sequentibus, accidentia rectè possunt definiri per subiectum loco generis, in definitionibus quæ traduntur per additamentum. Et ita definitur simitas in concreto ab Aristotele 7. Metaph. c. 5. *simum est nasus curuus*. Vbi *nasus*, eius subiectum ponitur loco generis, in quo conuenit simitas cum alijs figuris nasi.

Si verò nomen sumatur pro composito ex voce, & significatione, quod verius est, tunc vox significatiua erit genus nominis, vt explicui in definitione, & idem erit ac signum vocale, vt explicat Ammonius, aut compositum ex voce, & significatione. Non malè tamen ponetur vox in abstracto, quia artificialia, cum sint composita per accidens, possunt explicari per terminos indicantes, ea esse composita per accidens. Vnde cum nomen sit compositum artificiale ex voce, & significatione, rectè poterit dici *vox significatiua*. Secùs se res habet in compositis naturalibus, quia fiunt vnum per se ex coniunctione materiæ cum forma, & ita materia non potest dici de illis in abstracto.

26. Instabis, domus, & statua, & circulus, sunt composita artificialia, & tamen ex Aristotele 7. Metaphys. cap. 7. domus non dicitur lateres, sed lateritia: nec statua dicitur lignum, sed lignea: nec circulus dicitur æs, sed æneus: ergo similiter nomen non poterit dici vox in abstracto.

Respondeo Aristotelem tantùm velle statuam &c. non posse dici lignum simpliciter, sed non negare quin possit dici lignum sic, vel sic figuratum: cuius ratio est, vt ibi rectè ait D. Thomas lectione 6. in fine, quia statua non fit ex ligno, nec domus ex lateribus simpliciter loquendo, sed per aliquam permutationem: æs enim infiguratum non manet dum fit statua, nec lateres incompositi, dum fit domus. Poterit ergo

ſtatua dici lignum, vel æs figuratum, licet non poſſit dici lignum ſimpliciter vt rectè docet D. Thomas hic lectione 4. & expreſsè habetur ex Ariſtoteſe lib. 8. metaph. cap. 2. vbi ait quòd ſi limen oportet definire, definietur lignum aut lapis ſic poſitus; & domus definietur lateres & ligna ſic poſita. Eodem ergo modo dicetur nomen *vox ſignificatiua*.

27. Reſpondeo ad tertium ex Ammonio & Boetio, ita tria eſſe diuerſa *ſignificare tempus*, *importare tempus*, & *ſignificare cum tempore*. Nam *ſignificare tempus*, eſt partem aliquam eius, aut differentiam ex primaria ſignificatione indicare, vt *dies hora, cras, heri, hodie, menſis, matutinum, veſpertinum*. At *importare tempus*, eſt ſignificare aliquid, quod tempore determinato exiſtere ſolet, vt *prandium, cœna, poſteri, maiores*. Significare autem cum tempore, eſt dicere aliquam actionem tali vel tali tempore exercitam, vt *lego*, ſignificat lectionem tempore præſenti factam. Duo priora conueniunt nomini, aut aduerbijs, vt patet in datis exemplis: non autem poſtremum, & ideo rectè dicitur eſſe *vox ſignificatiua ſine tempore*. Cœna item, & prandium non ſignificant per ſe tempus hoc, vel illud, quia ab extrinſeco prouenit, ſcilicet à conſuetudine, quod tali tempore fiant, non autem ex vi ſignificationis nominis.

Poteſt etiam reſponderi quod priora nomina, ſcilicet *hora, dies matutinum, veſpertinum*, non ſignificant proprias differentias temporis, nempe præſens, præteritum, & futurum, ſicut facit verbum, ſed differentias per accidens ratione loci: quod enim eſt matutinum Pariſijs, eſt veſpertinum reſpectu Antipodarum: & reſpectu eorum, qui ſubiacent polis, nec matutinum, nec veſpertinum eſt, quia ſex menſibus continuis Sol eis illucet, & ſex alijs occumbit. Poſteriora verò nomina, *maiores* ſcilicet, & *poſteri*, vel primariò important veras temporis differentias, & ſecundariò homines: verbum autem primariò ſignificat actionem, cui tempus annectitur. Vel ſi primariò dicant homines, & ſecundariò tempus, non important aliquam actionem tempore menſuratã, ſicut verbum.

28 Reſpondeo ad quartum ex Iauello cap. 2. de partibus propoſitionis, partes nominis extra totum ſumptas, vel nihil ſignificare, vel non habere illud ſignificatum quod habent in toto nomine, vt *Dominus* habet partes *do*, & *minus*, quæ nihil ſignificant de ſignificato, ly *Dominus*. Si autem nomen ſit compoſitum, non ſignificant illud quod totum nomen ſignificat; vt paterfamilias, ſignificat rectorem Domus: pater autem ſeparatim, ſignificat genitorem, & familia familiam: ita quòd partes vnitæ ſignificant vnum; ſeparatæ verò duo.

Sed hæc vltima pars ſic explicata, difficultatem patitur, quia etiam partes orationis non ſignificant illud quod tota oratio; niſi intelligatur, quòd non ſignificant ſeparatæ totum id quod ſignificant coniunctæ, quia ſignificatio eſt forma nominis: nulla autem pars ſeparata habet formam totius, vt manus ſeparata non habet formam humanam, vt rectè docet D. Th. hic lect. 4. cuius contrarium accidit in partibus orationis.

Itaque partes nominis separatæ possunt aliquid significare, sed non vt actu partes sunt, quia sic vnicum, & simplicem, exhibent conceptum qui est totius nominis significatio: vnde significatio nominis non componitur ex partialibus significationibus suarum partium, vt patet in nomine *domus*; nam *do* est verbum significans donationem, *mus* autem significat animalculum; ex quibus significationibus non constat significatio *domus*, vt est per se manifestum: & ita partes illæ, licet seorsim spectatæ, vt partes non sunt, aliquid significent; vt tamen partes sunt, seu vt in ipso toto nomine spectatæ non significant: benè autem partes orationis, vt partes sunt: vnde ex partialibus earum significationibus resultat vna totalis significatio totius orationis.

29. Respondeo ad quintum, negando nomen infinitum esse complexum; vnum enim tantum primariò significat, vt *non homo*, negationem hominis: vnde Aristoteles ait non esse orationem, neque negationem, nimirum simplicem, in qua spectatur solum carentia seu absentia eius, quod negatur: in nomine autem infinito, præter absentiam rei negatæ, spectatur etiam præsentia cuiuscumque alterius rei, siue sit, siue non sit, de qua nomen infinitum enunciari potest; sed hæc præsentia non significatur primò & ideò non dejcit nomen infinitum ab incomplexione.

Respondeo ad sextum, diuersos respondere conceptus in mente casibus obliquis, & recto, si non quoad rem significatam, saltem quoad modum significandi. Sicut enim alius est conceptus, quo concipitur albedo in abstracto; alius, quo concipitur album: quia ibi concipitur vt per se subsistens; hic verò vt adiacet corpori, quamuis semper res eadem significetur: ita alius conceptus respondet huic voci *homo*, alius, *hominis* quia per primam significatur natura humana nude; per secundam verò, vt huius. Et hoc patet in infinitis exemplis: nam alius formatur conceptus auditâ hâc oratione *hic liber est Ciceronis*, & alius auditâ istâ, *hic liber est Ciceronis*. Similiter alius in ista, *pater Cato*, & alius in ista, *pater Catonis*, &c.

Fatendum tamen est casus obliquos ob constructionem cum verbis, aliisque vocabulis, eumdem sæpe efficere conceptum cum rectis, vt *opus est mihi liber*, *opus est mihi libro*: *Hen pater meus*, *hen patrem meum*. Sed hoc contingit per accidens ob syntaxim, & constructionem. Vnde solus nominatiuus propriam habet nominis rationem, quia per eum facta est impositio nominis ad aliquid significandum: cæteri verò obliqui, vocantur casus nominis, quia per quandam declinationis originem cadunt, & flectuntur; nominatiuus autem rectus dicitur, quia non cadit ab alio, hoc est non procedit, vt ait Diuus Thom. hic lect. 4.

30. Quæres quid sit sentiendum de nominibus adiectiuis, an scilicet veram habeant nominis rationem, præcedenti definitione traditam? Ratio dubitandi est quia nomen adjuncto verbo est, debet efficere orationem veram, aut falsam, inquit Aristoteles, quod adiectiuo non

conuenit: dicendo enim, *albus est*, *calidum est*, *lucidum est*, nihil verî aut falsi colligitur. Deinde nomen reddit suppositum verbo, hoc est, significat rei substantiam, subiectum & materiam, ideoque vt notant D. Thomas, Ammonius & Albertus, priùs agit Aristoteles de eo quàm de verbo, quod significat actionem, & passionem, seu formam, & prædicatum, quæ adiacent & præsupponunt materiam & subjectum. At nomen adjectiuum non potest esse basis orationis, nec reddere suppositum verbo, cum non sit per se consistens, quia significat formam inhærentem subiecto: igitur non potest veram habere rationem nominis, nec dictâ definitione comprehendi.

In contrarium vero est, quia idem conceptus respondet nomini adiectiuo & substantiuo: nam eadem forma significatur per *album*, siue adiectiuè, siue substantiuè accipiatur, nimirum albedo formaliter, & subiectum in obliquo, seu connotatiuè.

Respondeo probabilius esse, nomen adiectiuum non comprehendi superiori definitione ob rationes assignatas. Et licet vera esset ratio, quæ in contrarium affertur, nimirum eundem specie conceptum respondere vtrique nomini, atque adeò vtrumque censeri debere eiusdem speciei: non sequeretur tamen vtrumque eâdem definitione concludi, quia definitio illa non solam essentiam explicat, sed adiungit conditionem accidentariam, quæ soli conuenit substantiuo, nimirum esse basim, subiectum, & suppositum verbi, vt explicatum est.

31. Dixi, *licet vera esset ratio, quæ in contrarium affertur*, quia probabilius censeo, conceptum respondentem adiectiuo, diuersum esse ab eo, qui respondet substantiuo, licet alioquin eadem forma significari dicatur: nempe ob diuersum modum significandi illam; quia substantiuum significat formam in concreto quasi per se subsistentem, & non spectatâ dependentiâ eius à subiecto, seu actuali inhæsione, & sustentatione eius in illo: adiectiuum autem significat eam vt adiacentem, & immixtam subiecto: qui modi significandi sunt multùm diuersi, quia se tenent ex parte formæ significatæ, & non tantùm ex parte subiecti, quod dicitur habere se per accidens, & esse quid extrinsecum respectu significati formalis.

Quòd si substantiuum diceretur significare primariò, & formaliter subiectum, secundariò verò formam, vt vult Ocham quodlibeto 5. q. 9. & 25. aut vtrumque æquè primò, non verò adiectiuum, adhuc manifestius esset essentiale discrimen, vt constat.

SECTIO SEXTA.

De Verbo.

32. VERBVM ex mente Aristotelis cap. 3. definitur *vox significativa ad placitum, & cum tempore, cuius nulla pars significat seorsum; & est semper nota eorum, quæ de altero dicuntur.* Aliquas ex prioribus particulis non posuit Aristoteles, quia communes sunt nomini, & verbo, & eodem modo debent intelligi, quo præcedenti sectione explicatæ sunt. Duæ igitur solùm explicandæ supersunt: quòd nimirum sit *vox significativa cum tempore, & nota, sive signum eorum, quæ de altero dicuntur.*

Verbum ergo significat cum tempore, seu, vt alij vertunt, consignificat tempus, hoc est, præter suum primarium, & formale significatum, adhuc significat seu importat aliquam temporis differentiam, in qua tale significatum exercetur: vt dum dicitur, *Petrus currit*, præter cursum, qui significatur primario, exprimitur tempus præsens, quo cursus exercetur à Petro.

Præterea verbum est *nota eorum, quæ de altero dicuntur*, id est, vt explicat Diu. Thomas lect. 5. semper ponitur ex parte prædicati; seu per se significat id, quod prædicatur; est signum quòd aliquid prædicetur; & in prædicatione oportet esse verbum, quia significat, & importat compositionem, quâ prædicatum componitur subiecto: nomen autem non sic se habet, quia modò prædicatum est, modò subiectum, vt *Petrus est homo, hic homo est Petrus.*

Vnde verbum duo importat; primum est significare aliquid cum tempore: secundum est esse signum compositionis prædicati cum subiecto: & istud non habet, nisi in enunciatione. Hâc ratione propositio ista, *Petrus currit*, significat cursum, & eius compositionem cum Petro: ita vt significet eam in actu exercito, seu exerceat illam, & de facto applicet cursum Petro: quo fit vt res significata, nempe cursus, sit prædicatum materiale, & *quod*: verbum verò sit quasi formale, & *quo*, quia est signum compositionis prædicati cum subiecto, & veluti forma totius propositionis. Et licet res significata, seu prædicatum sit pars formalis respectu subiecti: in ordine tamen ad totam propositionem prædicatum, & subiectum sunt partes materiales; & verbum in ratione formali verbi est pars formalis.

Neque obstat quòd Aristoteles 1. prior. c. 1. dicat propositionem resolui in prædicatum, & subiectum, nullâ factâ mentione verbi, quasi non esset pars illius: tantum enim vult prædicatum, & subiectum esse

partes extremas in quas resoluitur propositio, vnde ab eo vocantur termini. verbum verò non est pars extrema secundùm suam rationem formalem, quæ est componere extrema, sed tantum secundum materialem, quæ est res significata ab eo, & prædicatum materiale.

33. Excludit autem Aristoteles à ratione verbi, verba infinita, quibus præponitur negatio, vt *non valet*, *non ægrotat*, quia de eo quod est, & de eo quod non est, similiter dicuntur: vel, vt supra de nomine diximus, quia nullum certum & determinatum conceptum entis intellectui subijciunt, sed potiùs remouent.

Excludit item casus verborum, hoc est, omnia tempora, & personas, præter primum modum indicatiui: vel quia per se prædicari non possunt, verum efficiendo sensum, vt imperatiuum, subjunctiuum, infinitiuum, participium. Nam *Petrus legens*, v. g. non est oratio perfecta. Vel quia, licet perfectam orationem; & veram, vel falsam propositionem efficiant, vt præteritum, & futurum indicatiui: non faciunt tamen veram aut falsam primò, & per se, sicut præsens; sed reductiuè. Nam hæc non est vera, *Petrus fuit*, *Petrus erit*, nisi, quia aliquando fuit, aut erit verum dicere *Petrus est*: vnde cœtera tempora, & modi à præsenti indicatiui dependent, & ad illud ordinantur: & ideo Aristoteles solum illud perfectum verbum existimauit.

Aliam rationem dat hic D. Thomas, & opusc. 48. c. 2. scilicet quòd verba propriè dicta significant agere vel pati, & ideò illud verbum est, quod significat agere, vel pati in actu, quod est agere vel pati simpliciter. Agere autem, vel pati in præterito vel futuro, est agere, vel pati tantũ secundùm quid. Vnde præcedenti definitioni addi solent istæ duæ particulæ *finita*, & *recta*, & sic integra definitio verbi effertur: *Verbum est vox significatiua ad placitum, & cum tempore, finita & recta, cuius nulla pars significat separata, & est semper nota eorum, quæ de altero dicuntur.*

34. Ex his collige primò, quando verbum dicitur consignificare tempus, nomine temporis intelligi durationem, etiam instantaneam, & æternam. Nam verbum *creo*, *volo*, *intelligo*, significat actionem momentaneam. Et dum dicitur de patre æterno quòd filium suum generet, verbum *genero* significat durationem seu tempus æternum imaginarium.

Collige secundò, rem significatam per nomen & verbum, eandem esse. Nam *amo*, & *amor* significant eundem amorem: *curro* & *cursus* eamdem rem indicant: vnde verbum ab Aristotele hic vocatur nomen: valde tamen differunt in modo significandi, ex quo discrimen essentiale sumi debet. Nam verbum significat rem illam per modum compositionis cum subjecto, vt dictum est: nomen verò vt per se stantem, si sit abstractum: aut si eam significet per modum compositionis, vt connotatiuum: non tamen illam exercet, aut efficit sicut verbum. Secundò verbum significat formam per modum actionis, & vt egredientem à sua

causa: nomen verò per modum qualitatis. Denique verbum illam significat vt subjacentem tempori, quod non competit nomini.

Colligetertiò verbum non significare tempus primò, & formaliter, vt multa nomina, sicut præcedenti sectione dictum est; sed tantùm connotatiuè, & secundariò seu consecutiuè: hoc est, vt inquit D. Thomas opusc. citato, c. 1. cum verbum significet per modum actionis, vel passionis; seu motus, vel mutationis: actio autem, & motus fiant in tempore, ideo verbum significat tempus vt mensuram actionis, & consequenter primò significat actionem, & secundariò, seu connotatiuè ipsum tempus: & inde est quòd verbum non sit quid complexum, quia habetur tantùm ratio primarij significati.

Quando autem verbum dicitur significare actionem, non intelligitur tantùm actio, propriè dicta (nam, *caleo*, *frigeo*, significant qualitatem: verbum quoque *est*, neque actionem, neque passionem significat) sed intelligitur quælibet res per modum actionis significata, qualis significatur per verba *quiesco*, *sisto*, *duro*. Quod vltimum non significat formaliter durationem vt tempus, & mensuram, sed per modum actionis, denotando præter illam, tempus, in quo res durare dicitur.

35. Obijcies primò: nullum datur verbum infinitum; ergo malè exclusit Aristoteles verba infinita à ratione verbi. Probatur antecedens, quia in propositione negatio præfixa verbo, negat coniunctionem verbi cum subiecto, vt *homo non currit*, & ita facit verbum negatum, non autem infinitum: sed hoc idem valet de verbo extra propositionem, eo quod non mutatur eius significatio quando in enunciatione ponitur: ergo absolutè verum est nullum verbum infinitum dari.

Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem dico verbum infinitum manere infinitum, etiam in propositione. Aristoteles enim expressè ait hoc capite, verbum infinitum semper dici de aliquo: & de eo quod est, & de eo, quod non est, similiter dici: non dicitur autem de aliquo, nisi in propositione; ergo in propositione manet infinitum ex mente Aristotelis.

36. Differt autem à verbo negato, quia sumitur in vi vnius dictionis, vt loquitur hic diuus Thomas: negatum verò, in vi duarum, nempe verbi, & negationis, quia in verbo negato, negatio cadit super copulam verbalem; ita vt neget compositionem verbi cum subiecto: in infinito autem non negat talem compositionem, sed tantum significatum illius verbi. sicut enim quando verbum infinitatur extra propositionem, vt *non currit*, non negatur copula verbalis, seu modus compositionis, quia nullus est; sed tantùm negatur res significata, nempe cursus: ita quando infinitatur in propositione, non negatur compositio, sed tantùm res significata.

Hinc fit vt diuerso modo exponatur propositio de verbo infinito, & de verbo negato, vt ista *Petrus non calet*, si sit de verbo negato, negatio cadet super totum attributum hoc modo *Petrus non est calens*: si

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

vero sit de verbo infinito, negatio non cadet in compositionem, & ita postponetur copulæ hoc modo, *Petrus est non calens.* Quâ ratione cadet supra solum calorem, qui est res significata, & prædicatum materiale.

Quia tamen *non calens* infinitatum, æquiualet negationi *non est calens*: & in nullo variatur enunciationis veritas, siue vtamur negatione vt infinitante verbum, siue vt faciente propositionem negatiuam: ideo semper accipitur in simpliciori intellectu, prout est magis in promptu, atque adeò nagatiuè, non infinitanter: propter quod D. Thomas lib. 2. lect. 1. littera *d* asseruit verbum infinitum fieri negatum in propositione, æquiualenter nimirum, aut secundum quòd primò in mentem incurrit.

37. Objicies secundò contra id quod diximus verbum semper esse ex parte prædicati, & significare id quod prædicatur de altero. Nam in hac propositione *curro est verbum: item seruire Deo bonum est*, verbum tenet locum subiecti.

Præterea; in propositionibus de tertio adiacente, in quibus, præter verbum substantiuum *est*, ponitur aliud prædicatum, vt *homo est animal, homo est albus: verbum non habet* rationem prædicati, sed copulæ, alioquin proprium importaret significatum, nempe existentiam: quod falsum est: tum quia propositiones necessariæ sunt independentes ab existentia rei enunciatæ, vt ostendimus q. 6. libri 2. sect. 1. tum quia sensus illarum propositionum esset, *homo est existens animal, homo est existens albus*: quod est absurdum.

Denique nullam importat differentiam temporis, quia maximè temporis præsentis: tunc autem sequeretur propositionem illam, *homo est animal*, esse falsam nullo homine existente, quod est ridiculum, cùm propositio sit necessaria. Adde quòd communiter dicitur verbum *est*, in propositionibus necessarijs absolui à tempore, ergo non potest significare cum tempore, contra definitionem verbi.

Respondeo ad primum ex Diuo Thoma hic lectione 5. verbum sumi posse formaliter, & materialiter; formaliter quidem, si eius significatio refertur ad rem significatam, vt *curro* ad cursum: materialiter verò quando significat ipsam vocem vt res quædam est; quâ ratione habet vim nominis, & vt sic potest poni ex parte subiecti; non vero formaliter sumptum.

38. Respondeo ad secundum, verbum, *est*, in propositionibus contingentibus de tertio adiacente, significare, seu importare existentiam, quia non sunt veræ, nisi prædicatum actu existat in subiecto, vt diximus q. 4. libri 3. num. 21. atque adeo in illis propositionibus esse verbum.

In necessarijs verò existimant multi, esse tantùm syncategorema, non autem verbum, & copulæ solùm vice fungi, ob rationes in obiectione allatas, atque adeò absolui ab omni tempore. Alij autem contendunt esse etiam verbum, & importare omnem differentiam temporis, etiam possibilis: quorum opinio probabilior est.

Primò,

Primò, quia si in propositionibus de secundo adiacente, in quibus nihil prædicatur præter verbum *est*, vt *Petrus est*, habet veram rationem verbi, componentis existentiam cum subjecto: cur non seruabit rationem verbi in propositionibus de tertio adiacente? nihil enim est, quod auferat ab eo significationem propriam.

Secundò: verba adiectiua, siue solâ prædicentur, vt *Petrus amat*; siue cum addito, vt *Petrus amat Paulum*, seruant suam rationem propriam; ergo similiter verbum substantiuum, siue solum prædicetur, vt *homo est*, siue cum addito, vt *homo est animal*, semper seruabit propriam rationem verbi, rationemque prædicati.

Tertiò: Aristoteles lib. 2. c. 1. expressè asserit omnem enunciationem constare nomine, & verbo: ergo *est*, in propositionibus de tertio adiacente, seruat rationem verbi.

Quartò: Aristoteles ibidem c. 2. ait istam propositionem, *Homerus est Poëta*, esse de prædicato coniuncto, seu composito: ergo *est* debet esse pars prædicati, quæ determinatur ad particulare esse poëseos.

39. Essentiale est igitur omni verbo consignificare tempus, & vnire extrema propositionis: sed vnire extrema pro tempore significato, est illi accidentale, dependens à natura extremorum, quæ si nata fuerint vniri tempore significato, vt in propositionibus accidentalibus, verbum eas vniet, propositione existente verâ: si verò petant vniri absolutè, vt in necessarijs, vnientur à verbo absolutè, abstrahendo à quauis determinata temporis differentia, ita vt per ampliationem ad omne tempus significandum extendatur, vt *homo est animal*. Vnde hæc duo *absolui à tempore*, hoc est, à particulari temporis differentia: & *significare tempus*, non repugnant. Et ita patet solutio ad tertiam probationem.

Pro maiori tamen huius rei declaratione nota verbum *est*, significare tum existentiam, tum essentiam, seu entitatem rei. Vnde in hac propositione *Petrus est*, non tantùm significat Petrum habere existentiam, sed etiam potest significare Petrum habere entitatem; & hoc quidem per modum actus, & formæ, quæ componitur cum Petro ex vi illius verbi. Quare sicut *curro*, in enunciatione positum, significat cursum, componendo ipsum cum subiecto: ita verbum *est*, in enunciatione significat ens, seu entitatem, seu existentiam, componendo eam cum subiecto, siue sit de tertio adiacente, siue de secundo: adeò vt semper habeat rationem prædicati; materialis quidem, ratione rei significatæ, hoc est, entitatis, vel existentiæ; formalis verò, ratione compositionis, quatenùs hæc est veluti forma enunciationis. Ideoque sensus istius propositionis, *homo est animal*, est iste, *homo est illud ens, quod est animal*: idemque de similibus.

40. Dices: in conuersione talis propositionis, & similium, in quibus ex prædicato fit subiectum, & contrà: verbum, *est*, non conuertitur, sed simpliciter dicitur *homo est animal, animal est homo*: ergo non est

pars propoſitionis, nec conſequenter verbum, ſed tantùm vnio. Deinde manifeſta eſſet nugatio in illis propoſitionibus de tertio adiacente, quia prædicatum, quod additur, ſignificat entitatem determinatam, vt in prædicta, *animal* ſignificat entitatem determinatam ad genus animalis in qua neceſſariò includitur entitas communis, ſignificata per verbum *eſt*: vnde idem bis poneretur.

Reſpondeo ad primum, in conuerſione propoſitionum non haberi rationem, niſi materialis ſignificati, ipſius verbi; adeò vt conuertatur tantùm res ſignificata, non verò compoſitio, quam importat, quamque diximus eſſe formam verbi; hæc enim ſe tenet ſemper ex parte prædicati, vt *Petrus currit, currens eſt Petrus.* Similiter, *Homo eſt animal, animal eſt homo.* In qua tamen non ponitur materiale verbi ex parte ſubiecti, hoc modo, *ens animal eſt homo*, quia in vtroque termino clauditur.

Reſpondeo ad ſecundum, ens non poni bis eodem modo; quia per *eſt*, ſignificatur ens communiſſimè ſumptum, quod determinatur per prædicatum adiunctum, ad tale genus, vel ſpeciem. Aut per *eſt* ſignificatur indifferenter ens, vel exiſtens; & per adiunctum determinatur ad vnum aut aliud. Aut ſignificatur per *eſt* ad modum verbi componentis, & actuantis: per additum verò, ad modum entis per ſe more nominis. Aut denique in tranſcendentibus hoc non inconuenit: vnde dici ſolet, *ſubſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens*, licet ens includatur in *per ſe ſubſiſtens*.



QVAESTIO II.

De Enunciatione absoluta secundum se.

SECTIO I.

De Oratione in communi.

1. ARISTOTELES capite quarto, antequàm agat de enunciatione, explicat illius genus remotum, nempe orationem, eamque definit his verbis. *Oratio est vox significatiua ex instituto, cuius partium aliqua separata significat vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio.* Priores partes eundem habent sensum, quem in definitione nominis, & verbi, ideoque non est opus eas rursus hic explanare. Differt autem oratio à nomine, & verbo, quòd eius partes separatæ significatiuæ sint, non vt affirmatio quidem, vel negatio, quia non est opus vt verum dicant, aut falsum; sed vt dictio, seu vt quidam terminus: quomodo partes istius orationis, *Petrus est animal*, significant aliquid vt dictiones, scilicet *animal* naturam animalis, *Petrus* naturam Petri.

Quia tamen multæ sunt orationes, quarum partes separatæ significant, vt affirmatio, vel negatio, nempe orationes *compositæ, seu coniunctæ*, vt *si Sol lucet, dies est*; *si boreas spirat penetrabile frigus adurit omnia*. Partes enim istæ, *sol lucet*; *boreas spirat*; *frigus adurit omnia*: significant vt affirmationes: ideo existimat Porphyrius Aristotelem hic definiuisse tantùm orationem simplicem: sed Alexander, Ammonius, & D. Th. asserunt hic definiri orationem in communi prout simplicem, & coniunctam comprehendit, quia Aristoteles ponit enunciationem inter species orationis; & deinde enunciationem diuidit in simplicem & compositam: quia verò omni orationi conuenit vt habeat partes, quæ significent vt dictiones: non conuenit autem omni habere partes significantes vt affirmationem, aut negationem, ideo debuit ponere id quod commune erat simplici, & compositæ.

Vnde sensus est quòd pars aliqua orationis separata significat, saltem vt dictio; non esse autem opus, vt significet sicut affirmatio vel negatio, quamuis hoc in aliquibus contingat. Debet autem hoc intelligi, non de partibus remotissimis, vt sunt literæ, vel syllabæ, sed de dictio-

nibus integris, quæ primò orationem componunt, vt ex præcedentibus constat.

2. Pro clariori autem supradictæ definitionis intelligentia aduertendum est orationem esse quoddam artefactum, compositum ex materia, & forma artificiali: materia sunt voces: forma verò duplex spectari potest, altera est vocum significatio, altera est nexus grammaticalis, & ordo, quo voces significatiuæ inter se connectuntur, & componuntur ad vnum totum integrandum & constituendum: prior est forma orationis quatenus significatiua est; posterior est forma illius quatenùs est compositum artefactum: ob nexum enim illum, & ordinem voces omnes conspirant ad vnum totale; & ideo, licet plures sint secundum se, oratio tamen definitur vox in singulari: eo modo, quo parietes, fundamenta, & tectum, vna domus dicuntur; & plures milites vnus exercitus.

Quæ verò ex his duabus formis sit dicenda propria, & essentialis ipsi orationi, controuertitur. Aliqui volunt primam esse essentialem, quia forma nominis, & verbi, quæ sunt significatiua simplicia, est significatio; ergo & orationis, quæ est significatiuum complexum.

Deinde oratio definitur per significationem dum dicitur vox significatiua, ergo hæc debet esse forma propria illius.

Tertiò per significationem habet vt sit aliquo modo vna, licet pluribus vocibus constet; ergo per eam habet vt sit vnum artefactum, & consequenter per eam habet propriam formam, quâ essentialiter constat.

Alij verò existimant secundam formam esse propriam, & essentialem; & oppositis vtuntur rationibus, quia significatio est forma nominis & verbi: ergo cùm oratio sit artefactum, diuersum à nomine & verbo, debet habere diuersam formam: & ita supponit voces significatiuas tanquam materiam, cui nexus, & ordo superueniens constituit orationem in propria forma artefacti.

Præterea multæ voces in vnum congestæ, si ordinem, & nexum non habeant, vt *homo*, *leo*, *lapis*, licet sint significatiuæ, tamen orationem non constituunt: ergo in ordine, non in significatione posita est orationis forma.

Tertio: vt diximus quæst. præcedenti, num. 39. compositio, quâ verbum nectit prædicatum cum subiecto, est principalis forma enunciationis, ergo similiter in quauis oratione nexus & ordo vocum significatiuarum, erit essentialis illius forma.

3. Vtraque hæc sententia probabilis est, & fortè de solo nomine est disceptatio, quia prima non ait significationem quamcunque esse formam, aut constituere orationem; sed significationem tali modo dispensatam, & applicatam, vt ex multis partialibus resultet vna significatio totalis, & consequenter vna oratio: quod quidem fit ratione nexus, & ordinis; sed ordo ille, & nexus grammaticalis potiùs dici potest conditio necessaria ad constituendam orationem, quàm forma illius: sicut nexus

parietum inter se, & cum tecto, est conditio necessaria, vt resultet forma domus, & vnio inter materiam, & formam, vt resultet compositum naturale. Quidquid autem sit de modo loquendi, sic possunt solui vtriusque partis argumenta.

Primum quidem primæ sententiæ soluitur à primo sententiæ secundæ. Ad secundum autem iam dictum est significationem esse formam orationis vt significatiua est, non vt artefactum est, & sub tali forma definiri ab Aristotele: quamuis etiam quodammodo explicetur, vt artefactum est, dum dicitur vox in singulari: neque enim potest dici vna vox nisi ratione ordinis, cùm de facto multas voces includat. Ad tertium negatur quòd oratio per significationem simpliciter sumptam, habeat vt sit vna, sicut rectè ostendit secunda ratio alterius sententiæ; sed hoc habet à nexu, & ordine, quo voces significatiuæ in vnum artefactum coalescunt.

4. Ad primum secundæ sententiæ respondeo formam orationis diuersam esse à forma nominis, & verbi, licet vtraque sit significatio, quia significatio nominis est simplex, & incomplexa; orationis verò complexa, & ex multis partialibus resultans: vnde partes illius significatiuæ non sunt seorsim; secùs istius.

Ad secundum respondeo, requiri ad orationem aliquem nexum inter partes tanquam conditionem necessariam, vt consurgat in artefactum; non verò tanquam formam essentialem: qui nexus aliquando est verbum, vt in oratione perfecta enunciatiua: aliquando est solus modus significandi partium, per quem, talem proportionem sortiuntur adinuicem ex institutione & impositione, vt in vnum significatiuum complexum coalescere possint, vt in hac oratione, *Alexander magnus. Cicero Rethorum Princeps*, & sic de aliis.

Ad tertium respondeo compositionem, quâ verbum nectit prædicatum subiecto, dici formam enunciationis secundum istam sententiam (quamuis forma non sit) quia est conditio necessaria vt forma vltimum subeat complementum, quia sine nexu non est significatio complexa, vt iam dicebam ad secundum.

5. Supersunt adhuc soluendæ difficultates quædam contra definitionem allatam. Nam in primis quædam sunt orationes, quarum partes non sunt significatiuæ, vt *nemo*, quod æquiualet isti *nullus homo*: & *nihil*, quod idem est ac *nulla res*. Item *quidam homo*, *nullus homo*, *omnis homo*, &c. sunt orationes, quia multi conceptus eis respondent, *omnis* autem, *nullus*, *quidam*, sunt syncategoremata, quæ per se non significant.

Secundò: ex probabili sententia enunciatio mentalis est vnum simplex iudicium, & vna simplex qualitas, & consequenter non habet plures partes, quæ separatæ significent: ergo neque vocalis, quæ illi respondet.

Tertiò, si partes orationis essent significatiuæ, vel earum significatio esset eadem cum significatione totius orationis vel diuersa? non eadem:

tum quia pars separata non habet formam totius, vt diximus de nomine numero 28. tum quia veritas cuiusque partis diuersa est à veritate totius orationis: ergo & significatio, in qua veritas fundatur. Non potest etiam dici quod significatio sit diuersa, quia si tota oratio habeat vnam significationem, ipsa dispensabitur per partes singulas, & ita opus non erit vt partes singulæ habeant distinctas significationes.

6. Respondeo ad primum, quòd licet prædicta vocabula sint virtualiter orationes, quia quoad significatum æquiualent multis vocibus: definitio tamen non debet intelligi nisi de ijs quæ actu continent multas voces: non debet item intelligi de syncategorematis, quæ per se non sunt partes, sed modificant tantum eas & ideo per se non significant aliquid seorsim.

Ad 2. admissâ probabilitate illius sententiæ, de qua infrà, nihil cogit dicere eamdem simplicitatem reperiri in oratione vocali, quæ reperitur in mentali. Licet enim vna simplex vox potuerit imponi ad significandum integrum obiectum vnius propositionis, sicut ad hoc sufficit vnum simplex iudicium; non ita tamen factum est, sed pluribus vtendum statuere maiores.

Ad tertiam dico, significationem totius orationis componi, & integrari ex partialibus significationibus partium, nec aliam diuersam & distinctam esse ad mittendam; licet veritas partium diuersa sit à veritate totius, maxime in oratione enunciatiua simplici, quia illa est posita in conformitate partium cum suis significatis, quæ stare potest cum falsitate enunciationis, vt patet in ista *homo est lapis*, in qua *homo* significat naturam humanam, & lapis naturam lapidis, ad quas significandas impositæ sunt, & consequenter veritatem suam habent: & tamen propositio est falsa, quia eius veritas, cum sit complexa, dependet à coniunctione veritatum, ipsarum partium, quæ hic non reperitur.

SECTIO II.

De diuisione orationis, & enunciationis.

7. ORATIO diuiditur primò à Boëtio in imperfectam, & perfectam. Imperfecta est, quæ non generat perfectum sensum in animo auditoris, adeò vt non quiescat eius intellectus, sed suspensus hæreat. Perfecta verò est, quæ completum sensum efficit: vt *plato & Aristoteles*, est imperfecta oratio, cui si addideris, *sunt magni Philosophi*, perfectam facies. Et huiusmodi sunt, quæ verbo modi indicatiui constant.

Perfecta autem diuiditur à D. Thoma hic lect. 7. & op isc. 48. tractatu super istum librum, cap. 3. ab Ammonio hic in præfatione, & ab alijs in

enunciatiuam, & non enunciatiuam. Enunciatiua est, in qua vnum de alio affirmamus, vel negamus, vt *homo est animal*. Non enunciatiua est, in qua nihil affirmamus, vel negamus, & quadruplex assignatur: alia vocatiua; alia interrogatiua, seu dubitatiua; alia imperatiua; alia optatiua, seu deprecatiua, quarum exempla cuilibet peruia sunt. Sola enunciatiua ad Logicum pertinet, reliquæ ad Rhetores, & Poëtas, ait Aristoteles hic cap. 4. eoquòd Logici proprium est indagare veritatem per discursum, & argumentationem: sola autem enunciatiua veritatem significat, & ex ea sola, non verò ex alijs, componitur argumentatio.

8. Dices: ista propositio, *si homo haberet alas, volaret*, significat verum, & tamen non constat verbo indicatiui. Deinde ista, *vtinam moriar*, non est enunciatiua, sed optatiua; & tamen non minùs significat in me esse desiderium mortis, ac proinde verum, aut falsum, quàm hæc, *desidero mori*.

Respondeo ad primum, in enunciatione coniuncta, vt ea quæ assignatur, non requiri verbum indicatiui, vt sit vera enunciatio; sed solùm in simplici.

Respondeo ad secundum, talem propositionem indicare quidem, desiderium mortis esse in me: sed hoc in ea non affirmari, seu non significari, hoc ita esse in actu exercito, sicut fit in ista, *desidero mori*; atque adeò non significare verum, aut falsum, vt clariùs ostendemus sect. 4.

Rationem autem reddit Boëtius cur in sola enunciatiua sit veritas, aut falsitas, & non in alijs; quia per enunciatiuam explicamus ea, quæ habemus in intellectu, ad quem pertinet veritas, & falsitas: per alias verò ea, quæ habemus in appetitu, ad quem nec verum, nec falsum spectat, sed bonum & malum. Præterea ex Aristotele oratio est vera, vel falsa ex eo quòd res est, vel non est: sola autem enunciatiua per verbum indicatiui, dicit aliquid esse, vel non esse: ac proinde in ea sola reperitur propriè veritas, aut falsitas.

9. Oratio porro enunciatiua, seu ipsa enunciatio multipliciter diuidi solet. Primò in simplicem, & coniunctam. Simplex est, quæ vnum de vno enunciat, siue illud vnum sit simplex, & incomplexum, siue compositum, & ex multis constans, vt *homo est animal*: *homo albus est risibilis*; *homo est animal rationale mortale*. Quod si alterum extremum non sit simplex, vocari solet enunciatio de prædicato, vel subiecto coniuncto.

Coniuncta, siue composita est quæ simplicibus enunciationibus constat, vnitis aliquâ coniunctione, vnde vocatur ab Aristotele, coniunctione vna, vt sunt istæ, *homo est animal, & leo currit*: *si Sol lucet, dies est*. Scio aliquos recentiores simplicem enunciationem vocare eam, quæ vnum simplex subiectum, & vnum simplex prædicatum habet, vt *homo est animal*, alias verò vocare coniunctas, quæ habent plura subiecta, vel prædicata, etiam significantia vnum, vt *homo est animal ratio-*

nale sed prior modus dicendi est magis receptus.

Enunciatio simplex diuiditur in absolutam, & modalem. Absoluta, quæ aliter vocatur *de inesse*, & *categorica*, est ea, quæ absolutè significat aliquid inesse, vel non inesse alicui, vt *homo est albus*. Modalis est quæ declarat modum, quo vnum inest, vel non inest alteri, vt *homo necessariò est risibilis; homo contingenter est albus*.

Rursus alia est affirmatiua, in qua aliquid de aliquo asseritur, seu in qua præcipua copula non negatur. Alia negatiua, in qua aliquid alteri inesse negatur. Quia verò in affirmatione componimus prædicatum cum subiecto, & in negatione illud diuidimus, seu remouemus, vt dum dico *homo non est equus*, ideo enunciatio communiter vocatur ab Aristotele, & Philosophis compositio, & diuisio.

Alia item dicitur vera, quæ enunciat rem vt est; alia falsa, quæ enunciat rem aliter ac est, vt *homo est lapis*. Cætera pete ex summulis, si lubet; sunt enim parui momenti.

10. Enunciatio coniuncta, quam recentiores communiter appellant hypotheticam, diuiditur in conditionalem, copulatiuam, & disiunctiuam. Conditionalis, quæ rectè vocatur hypothetica, quasi suppositiua, est ea, in qua suppositâ, & datâ vnâ parte, altera sequitur, vt *si Sol lucet, dies est*. Ad hanc reuocantur primò causalis, in qua prima propositio continet causam consequentis, vt *quia Sol lucet, dies est*. Secundò rationalis, in qua vna infertur ex alia per modum discursus, vt *Sol lucet, ergo dies est*. Vnde Antiqui teste Boëtio super topica Ciceronis vocabant hypotheticam, causalem, rationalem, conditionalem.

Copulatiua est in qua partes principales vniuntur coniunctione copulatiuâ, siue negatiuè, siue affirmatiuè, absque vlla consequentiæ vnius ex altera, vt *homo sedet, & equus currit. Nec equus est risibilis nec homo est lapis*.

Disiunctiua est cuius partes principales coniunguntur copulâ disiunctiuâ, vt *homo sedet, vel currit*. Et ista rectè potest numerari inter Hypotheticas, quia facilè potest ex disiunctiua fieri conditionalis, vt ex ista, *vel Sol lucet, vel nox est*, fit conditionalis, *si Sol non lucet, nox est*. At verò copulatiua non videtur vllo modo ad hypotheticam posse referri, quia nec conditionalis est, nec in conditionalem mutari potest, vt consideranti patebit: & ideò malè recentiores omnem coniunctam vocant hypotheticam. Dici tamen potest quòd vocetur hypothetica ex eo quòd vni simplici, iam positæ, vel quasi suppositæ alteram adiungit.

Diuiditur secundo enunciatio in apprehensiuam, & iudicatiuam. Apprehensiua, si detur, tunc fit quando intellectus format aliquam propositionem, vniendo prædicatum cum subiecto per affirmationem, vel separando illud ab eo per negationem, suspendit tamen iudicium de conuenientia, vel disconuenientia vtriusque: vt si quis faciat hanc propositionem *stellæ sunt pares*, non iudicando an hoc ita sit, vel non sit. Iudi-

catiua

catiua est quando iudicamus prædicatum conuenire, vel non conuenire subiecto.

Aliæ multæ sunt diuisiones enunciationis, sed nullius, vel parui momenti. Lege summulistas.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur quædam dubia circa diuisiones enunciationis.

11. MVLTA ex sequentibus dubijs non apparent magnæ vtilitatis; quia tamen à nobilioribus Philosophis proponi solent, nolui ea prætermittere.

DVBIVM PRIMVM.

De diuisione enunciationis in simplicem, & coniunctam.

Dubitatur ergo primò, vtrum diuisio enunciationis in simplicem, & coniunctam, sit generis in species; an potius analogi in analogata. Sotus lib. 2. summularum c. 6. cum alijs vult esse vniuocam, primò: quia ambæ conueniunt vniuocè in hoc quòd sint oratio, quæ est genus superius: ergo conueniunt vniuocè in genere enunciationis, quod est inferius. Consequentia patet inductione, vt quia equus, & leo conueniunt vniuocè in genere viuentis, conueniunt etiam vniuocè in genere animalis, & sic de alijs.

Secundò: quia significare verum aut falsum, est essentia, aut propria passio enunciationis: at hoc æquè conuenit vtrique enunciationi, ergo conuenientia est vniuoca inter vtramque.

Ad hæc ita responderi potest, ad primum quidem ea, quæ conueniunt vniuocè in genere superiori, non conuenire semper uniuocè in inferiori, si non continentur omnia essentialiter sub illo, sed ob aliquam similitudinem, & participationem imperfectam sub eo reponuntur. Et hoc modo se habet enunciatio composita, quæ potest attingere perfectionem orationis in communi; non autem orationis enunciatiuæ, nisi secundùm quid, & analogicè, hoc est per participationem, & attributionem ad illam.

Ad secundum respondetur eodem modo, quòd enunciationi compositæ non conueniat significare verum, aut falsum, nisi per participationem, & dependentiam à simplicibus, quibus constat; atque adeò non simpliciter, sed secundum quid: quatenus eas inter se coniungit, & suo modo complicat, in quo complicationis modo sita est forma essentialis ipsius, per quam distinguitur essentialiter ab enunciatione simplici, cuius forma posita est in eo, quòd enunciet aliquid de aliquo.

12. Oppositа sententia est Diui Thomæ hic, & opusculo 48. Complu-

tensium, & aliorum, diuisionem hanc esse analogam, primò, quia Aristoteles enunciationem simplicem vocauit vnam absolutè, & simpliciter, propter vnum significatum: compositam verò, vnam coniunctione; quòd est esse vnam secundùm quid, & ideò secundum quid enunciationem.

Sed hoc non vrget, quia Aristoteles vtramque vocat simpliciter vnam lib. 1. cap. 4. *Est autem*, inquit, *enunciatiua vna oratio: aut ea, quæ vnum significat, aut ea quæ coniunctione est vna: plures verò quæ plura & non vnum significant aut ea quæ carent coniunctione.* Vnde tantùm colligitur, diuersas esse rationes denominationis *vnius*, pertinentes ad diuersas species, sed non variantes rationem communem enunciationis.

Secundò probatur analogia, quia composita non enunciat per se vnum de alio, in quo sita est ratio enunciationis, sed tantùm ratione simplicium enunciationum, quas connectit; vnde non significat verum, aut falsum, nisi ratione earum, & consequenter ratio enunciationis illi non competit, nisi analogicè.

13. Respondetur quòd licet composita constet simplicibus, tamquam partibus, sine quibus non potest esse enunciatio, diuersa tamen est ratio formalis, compositæ, & simplicis propter diuersam compositionem terminorum, vnde exurgit artefactum diuersum; & ideò habet etiam diuersum modum significandi veritatem, aut falsitatem, vt patet in ista *si homo est animal, est rationalis.* Est enim falsa, quia rationale non sequitur ad animal; licet simplices veræ sint, nempe *homo est animal: homo est rationalis.* Quod etiam patet in copulatiua, quæ videtur minùs distingui a simplicibus: nam ista, *Petrus currit, & Ioannes sedet*, falsa est, vnâ parte existente falsa: & tamen altera pars poterit esse seorsim vera: ergo falsum est quod ratio enunciationis illi tantùm conueniat per participationem, & quòd non significet veritatem, aut falsitatem, nisi ratione simplicium vt sic.

Tertiò probatur eadem analogia, quia vna species non componitur formaliter ex altera: sed enunciatio composita, formaliter componitur ex simplicibus, hoc est inquantum enunciant vnum de altero: & in quantum etiam veritatem simplicem habent, cùm eorum quolibet ab eis sublato, enunciatio composita non subsistat: ergo non possunt esse species enunciationis in communi, sed erunt analogata illius.

Respondetur negatione minoris. Eo enim ipso quòd simplices connectuntur in composita, amittunt formam simplicium vt sic: nam cùm anteà plures essent, induunt rationem vnius: cùm anteà essent tota quædam distincta, fiunt partes vnius totius: & denique cùm anteà veræ essent, propriam veritatem amittere possunt, vel contrà: vt ista, *si homo habet alas, potest volare*, vera est, ex qua duæ simplices falsæ nascuntur, vt patet.

DVBIVM SECVNDVM.

De diuisione enunciationis in affirmatiuam, & negatiuam.

14. DVBITATVR secundò vtrum diuisio enunciationis in affirmatiuam, & negatiuam sit vniuoca, & generis in species: circa quod existimat Sotus lib. 2. summularum, esse diuisionem subiecti in accidentia. Ratio eius est, quia affirmatio, & negatio sunt tantùm qualitates, & accidentia enunciationis, adeò vt eadem essentialiter manens possit mutari de affirmatiua in negatiuam: nam hæc, *Petrus est albus*, additâ negatione, *Petrus non est albus*, non mutat essentiam, quia seruat idem subiectum, idem prædicatum, eandem copulam, in quibus sita est propositionis essentia

Alexander autem putat talem diuisionem esse analogam; quia ibi est analogia, vbi est prius, & posterius; affirmatio autem est prior negatione, quod patet primò ex Aristotele hic, cap. 4. vbi ait, *est autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio.* Secundò: affirmatio communiter dicit formam positiuam; negatio verò eam remouet, seu eâ priuat: at forma prior est priuatione, vt constat. Tertiò: affirmatio dicit compositionem; negatio verò diuisionem: prior autem est compositio, quàm diuisio.

Diuus Thomas opusculo 48. multique cùm eo asserunt diuisionem esse vniuocam, & generis in species. Et hæc opinio vera est; aliæ enim mihi probabiles non apparet. Probatur, quia definitio enunciationis æqualiter conuenit vtrique; nam dicere aliquid de aliquo, quæ est essentia enuncirtionis, æquè fit per affirmationem, ac per negationem. Quare affirmatiuum, & negatiuum diuidunt enunciationem formaliter, quatenus enunciatio est, suntque modi ita repugnantes inter se, vt eidem propositioni conuenire nequeant: atque adeò sunt differentiæ per se, & essentiales, cõstituentes diuersas species: & ita diuisio est generis in species.

15. Quapropter ad fundamentum Soti respondeo, propositionem affirmatiuam, additâ negatione manere eandem materialiter tantùm, hoc est, secundum terminos materiales, subiectum, & prædicatum: non autem formaliter, & essentialiter, quia mutatur modus enunciandi, & forma compositionis, quam verbum importat. Nam in affirmatiua importatur vnio prædicati cum subiecto: in negatiua autem eorundem diuisio, & separatio.

Ad fundamentum secundæ sententiæ dico cum Diuo Thoma, duplex esse genus prioritatis quoad rem præsentem: alia dicitur prioritas dignitatis, seu perfectionis: alia dicitur prioritas participationis. Prima atten-

ditur penès differentias, quæ sunt aliæ alijs perfectiores. Secunda attenditur non ratione differentiarum, sed prædicati superioris, quod participatur inæqualiter, & priùs ab vno, quam ab alio.

Prima non impedit vniuocationem, vt patet in generibus, in quibus reperitur vna species alijs perfectior. De quo quæst. 1. lib. 4. num. 11. Secunda vero causat analogiam, vt patet in ratione *sani*, quæ primò conuenit animali; medicinæ verò, colori, dictæ per ordinem ad animal. Prima potest dici reperiri inter enunciationem affirmatiuam, & negatiuam, si inter se comparentur; quatenus obiectum vnius est nobilius obiecto alterius. Nam obiectum istius, *Petrus est iustus*, est esse justitiæ in Petro: obiectum verò istius, *Petrus non est iustus*, est negatio, seu priuatio justitiæ in Petro. Vnde obiectum primæ est positiuum, & secundæ est negatio. At si referantur ad rationem communem enunciationis, vna non participat eam priùs, quàm altera; nec in ordine ad aliam: nec dependenter ab alia.

DVBIVM TERTIVM.

De diuisione enunciationis in apprehensiuam, & indicatiuam.

16. DVBITATVR tertiò, vtrum diuisio enunciationis in apprehensiuam, & indicatiuam, sit legitima: ita vt verè detur propositio in mente aliquid de aliquo affirmans, vel negans, distincta ab enunciatione iudicatiua, vt explicui num. 10. in fine. Affirmat Niphus 3. de anima textu 21. citans Auerroëm, sic loquentem, *Intellectus primò intelligit singularia; deinde ea componit, aut diuidit; tertiò iudicat.* Idem tenet Toletus 3. de anima, quæst. 19. concluf. 2. pro hac quoque sententia citatur Scotus in 2. d. 1. q. 3. post solutionem ad quintum Henrici, alijque multi.

Primum huius opinionis argumentum est, quia propositioni vocali semper respondet aliqua mentalis: imò priùs naturâ est propositio in mente, quàm in ore, cum vocalis habeat à mentali vim significandi: sed propositio vocalis semper significat per modum compositionis, vel diuisionis: ergo mentalis illi respondens, se habebit eodem modo: sed huiusmodi mentalis non est semper iudicatiua, cùm sæpè sit mendacium, quod intellectus non iudicat, vt ore profertur: ergo est tantùm apprehensiua.

Respondeo negando primum antecedens. Quamuis enim iuxta rectum naturæ ordinem præsupponi debeat propositio mentalis, à qua vocalis habeat vim significandi, sæpè tamen hoc non contingit, vt patet in

ignaris, qui legendo, multas proferunt, quarum significationem nesciunt: ac proinde solum mente efformant conceptus vocum, quos vocant non vltimatos; non autem conceptus rerum significatarum: quòd si eos efforment, non componunt tamen, neque ab inuicem separant, quia hoc sine iudicio fieri nequit: sed tantùm apprehendunt res quatenùs vocibus significantur; siue ita sit de facto, siue non.

17. Secundum argumentum sumitur ab ipsa experientia, quâ constat nos formare propositiones, quarum veritas, aut falsitas, cùm non sit aperta, non eas iudicamus: sed hæsitamus an eis assensum, vel dissensum debeamus præbere; cuiusmodi sunt, *Sol est maior terrâ. Stellæ sunt æquales.* Qui enim Astrologiæ periti non sunt, hærent ad propositiones istas, nec de earum veritate, aut falsitate ferre iudicium audent. Quod autem tales apprehensiones respectu eorum sint propositiones, inde patet, quia alioquin nullæ darentur in mente propositiones indifferentes, & dubiæ; quod falsum esse constat.

Respondeo, huiusmodi propositiones posse dupliciter comparari ad intellectum: primò tanquam purum obiectum; secundò tanquam effectum. Primo modo, tum ipsæ propositiones, tum res, per eas significatæ possunt apprehendi ab intellectu per primam operationem, quæ dicitur simplex apprehensio, absque vllo iudicio: sed talis operatio, cùm nihil affirmet, aut neget, non potest dici enunciatio. Si autem secundo modo considerentur, nimirùm tamquam effectus intellectus, ita vt ipse componat prædicatum cum subiecto per affirmationem, aut illud ab eo remoueat per negationem, tunc erunt veræ enunciationes: sed hoc non potest fieri sine iudicio.

Igitur quamdiu intellectus hæsitabit, suspendetque iudicium, nunquam propositionem efformabit: sed audiendo, vel pronunciando similes propositiones vocales, concipiet res significatas conceptibus dissipatis: & eius hæsitatio in hoc sita erit, vtrum debeat vnum cum altero coniungere, aut ab inuicem separare: vel vtrum res enunciata, sic se habeat, vt voce enunciatur, vel non.

18. Tertium argumentum, quod est instantia contra solutionem præcedentem, sic habet: quando intellectus hæsitat vtrum debeat coniungere vnum conceptum cum altero, seu prædicatum cum subiecto, tunc format conceptum ipsius vnionis, & copulæ inter vtrumque: ergo vtrumque copulat, & componit: hoc autem est formare enunciationem apprehensiuam, absque iudicio.

Respondeo huiusmodi vnionem tunc apprehendi ab intellectu quidditatiuè, obiectiuè, & in actu signato; non autem effectiuè, & in actu exercito. Primo modo apprehendere vnionem, est eam apprehendere in se, vt aliquod ens, cuius natura est duo aliqua coniungere, sed non vt actu coniungens: & ibi nulla interuenit compositio ex parte intellectus, nec consequenter vlla enunciatio. Secundo modo est eam appre-

hendere, vt actu coniungentem duo extrema, adeò vt actus ille exercitus agnoscat pro causa veluti effectiua intellectum, vnientem prædicatum cum subiecto per affirmationem, quod sine iudicio fieri non potest: & ideò tunc solùm fit enunciatio. Eodemque modo de diuisione, & enunciatione negatiua philosophandum est.

19. Secunda sententia negatiua est Gregorij Arimin. in prologo sent. quæst. 1. art. 3. quem sequitur Petrus Fonseca 4. Metaph. c. 2. quæst. 6. sect. 6. alijque multi recentiores. Probatur autem primò ex Aristotele, qui quoties vult significare secundam mentis operationem, vtitur indifferenter vocabulis significantibus affirmationem, vel negationem; compositionem, & iudicium. Nam in prædicamentis cap. de substantia, sub finem, enunciationem vocat opinionem. Et 6. Ethic. cap. 3 appellat actum scientiæ, affirmationem, & negationem. Tertio item de anima cap. 6. vocat secundam operationem, in qua falsitas, & veritas inest, compositionem, quam textu 22. dicit fieri ab intellectu vniente conceptus simplices: hoc autem sine iudicio fieri nequit.

Respondeo, secundam mentis operationem, esse semper compositionem, vel diuisionem conceptuum simplicium, sed non esse semper coniunctam cum judicio, seu cum assensu, vel dissensu: alioquin nulla esset propositio dubia: nec vnquam hæsitaret intellectus vtrum expediat enunciationi propositæ assensum præberi, vel dissensum: quod experientiæ repugnat. Aristoteles autem in suprà dictis, & similibus locis loquitur de compositione iudicatiua, sed non ideò apprehensiuam excludit, per quam comparantur, & vniuntur obiectiuè simplices conceptus cum disquisitione an inter se conueniant, suspenso iudicio, & assensu.

20. Probatur secundò, quia iudicare, vt docet D. Thomas qu. 1. de veritate art. 3. nihil aliud est, quàm dicere quòd aliquid est, aut non est: sed qui attribuit prædicatum subiecto per affirmationem, aut illud ab eo remouet per negationem, dicit aliquid esse, vel non esse: ergo iudicat; & ita non potest esse compositio prædicati cum subiecto absque iudicio, nec consequenter enunciatio. Vnde idem est intellectum apud se pronunciare, seu dicere quædam coniuncta esse; ac opinari, seu iudicare illa esse coniuncta.

Respondeo, iudicare idem esse quod dicere aliquid esse, vel non esse cum assensu, vel dissensu: si autem absit assensus, vel dissensus, non erit judicium, sed compositio, vel diuisio apprehensiua, qualis est dum quis sciens, & volens, mendacium ore profert, v. g. *Coruus est albus.* Non enim potest quin apprehendat significatum talis propositionis, & mente coniungat albedinem cum Coruo: sed non ita iudicat, quia scit non ita esse ex parte rei.

21. Probatur tertiò, quia sic darentur quatuor mentis operationes contra communem Philosophorum sensum: videlicet simplex apprehensio: compositio, & diuisio apprehensiua: compositio, & diuisio iudi-

catiua ; & denique iudicium illatiuum.

Respondeo, compositionem, & diuisionem apprehensiuam pertinere ad secundam mentis operationem, quæ aliquando est iudicium, & assensus, aliquando non.

Probatur quartò : illa compositio apprehensiua est cognitio alicuius rei, vt constat ; aut ergo est cognitio conuenientiæ prædicati cùm subiecto cum affirmatione, vel negatione ; & ita est enunciatio iudicatiua. Vel est cognitio, quâ cognoscitur conformitas enunciationis cum re enunciata, seu cognita : & hæc quandiu erit sine iudicio, tamdiu erit simplex apprehensio, nec rationem habebit enunciationis. Frustra ergo admittitur enunciatio apprehensiua.

Respondeo, compositionem apprehensiuam non esse cognitionem aliquam ex prædictis : sed esse cognitionem conceptuum simplicium subiecti, & prædicati, includentem comparationem, & compositionem eorum ad inuicem absque assensu, & iudicio, quòd conueniant, vel disconueniant inter se, vel cum re enunciata. Simplex autem apprehensio non ita comparat, aut componit conceptus ad inuicem, vt constat.

22. Probatur quintò. Si detur enunciatio apprehensiua, reperitur in ea veritas, aut falsitas, quia Aristoteles absolutè dicit enunciationem significare verum, aut falsum : vnde ex apprehensione denominaretur aliquis sciens, vel errans. Quod falsum esse constat ex communi consensu, & patet, quia alioquin Deus apprehendens falsa enunciabilia, denominaretur falsus, seu errans. Deinde talis veritas esset complexa, quia pertineret ad secundam operationem : hæc autem est eiusdem rationis in omni propositione, in eoque posita est quòd intellectus dicat esse id quod est, vel non esse id quod non est. Ergo cùm intellectus per propotionẽ apprehensiuã dicat rem esse, vel non esse, ipsa non differet à iudicio.

Respondeo, reperiri veritatem, aut falsitatem in enunciatione apprehensiua prout res apprehensæ, vel conceptus simplices, ad eas terminati, componuntur, aut diuiduntur iuxta, vel contra rerum naturam. Huiusmodi tamen veritas, aut falsitas est quasi materialis, quia intellectus non assentitur per iudicium. Simili quippe ratione dicimus illum, qui falsum dicit, putans se verum dicere, materialiter tantùm mentiri : & eum, qui verum dicit, putans se mentiri, dicere verum tantùm materialiter.

Igitur qui ore, vel mente dicit, *astra sunt paria*, suspendendo assensum, & iudicium, dicit rem aliter ac est, ac proinde falsum : quia tamen hæc non componit assentiendo, sed inquirendo, dubitando, comparando, ideo non propriè fallitur, aut errat donec iudicium accedat. Vnde falsum est talem apprehensionem non differre à iudicio.

Quod autem dicitur de Deo, parui momenti est, quia falsæ apprehensiones, & compositiones habent tantùm rationem obiecti respectu Dei : respectu verò nostri intellectus habent rationem effectus : vnde dicitur falsò apprehendere, aut componere.

DVBIVM QVARTVM.

Circa enunciationem de extremo coniuncto.

23. DVBITATVR quartò vtrum propositio de extremo coniuncto per accidens ex parte subiecti, hoc est, cuius subiectum est coniunctum ex duobus per accidens connexis, vt istæ *homo albus est animal*; *homo albus est coloratus*, sit *per se*, & necessaria, an verò contingens, & per accidens.

Dixi, *ex parte subiecti*, quia si sit de prædicato coniuncto, vt *homo est animal album*: communis est consensus post Diuum Thom. in 3. d. 10. q. 1. a. 2. ad tertiam quæstionem, talem propositionem esse contingentem, non verò necessariam, & *per se*, quia totum illud prædicatum coniunctum non conuenit necessariò ipsi subiecto, sed contingenter: vnde sicut ad veritatem propositionis necessarium est, vt omne, quod importatur per prædicatum, conueniat subiecto: ita ad eius *perseitatem*, & necessitatem requiritur, vt totum prædicatum subiecto conueniat *per se*; & necessariò.

Controuersia igitur solùm est de propositione, cuius subiectum est coniunctum modo explicato; circa quam Scotus in 3. d. 7. q. 1. num. 8. & dist. 22. q. vnicâ, num. 19. cum discipulis existimat, huius generis enunciationes non esse *per se*, aut necessarias, sed contingentes. Idem annuit Caietanus 3 p. q. 16. art. 1. ante responsionem ad 4. & tenent alij quidam Thomistæ. Contrarium asserit sanctus Thomas loco iam citato sententiarum, Ferrariensis 4. contra gent. capite 45. in fine, alijque Thomistæ.

24. Prima sententia ptobatur primò à Scoto, quia nihil per se vnum prædicatur per se de eo quod non est vnum: sed subiectum in prædictis propositionibus non est per se vnum, vt supponimus: ergo &c. Maior probatur, quia ex Aristotele 5. Metaph. cap. 29. ratio in se falsa, de nullo est vera: ergo à pari, conceptus, qui non est in se vnus per se, de nullo vno per se enunciatur, nec aliquid vnum per se de eo, quia de ente per accidens non est scientia.

Probatur secundò, quia si hæc propositio, *homo albus est animal*, necessaria est, & per se, sequitur istam quoque necessariam esse, *aliquod animal est album*, quæ tamen ex omnium consensu contingens est: sequela verò probatur per istum syllogismum in darapti, *omnis homo albus est animal, omnis homo albus est albus: ergo aliquod album est animal*; & per conuersionem simplicem, *ergo aliquod animal est album*; quæ vtraque contingens est, & tamen debet esse necessaria si ambæ præmissæ necessariæ sunt, alioquin ex antecedenti verò in bona consequen-

tia

tia daretur consequens falsum, quia contingens potest aliquando deficere. Hoc autem tota Philosophia renuit.

Probatur tertiò, quia in ista propositione *homo albus est animal*, implicatur, & subintelligitur copula ex parte subiecti, quasi sensus sit, *homo est albus, & est animal.* Quomodo fit propositio copulatiua, quæ sicut falsa est, vnâ parte existente falsâ: ita contingens est, si vna eius pars sit contingens: hæc autem pars *homo est albus*; contingens est, vt constat; ergo & tota propositio.

25. Respondeo ad primum, non esse opus ad propositionem *per se*, vt subiectum dicat vnum conceptum per se: sed sufficit quod includat prædicatum, seu vt loquitur Diu. Thomas, *quòd secundùm vnum tantùm eorum, quæ in subiecto continentur, prædicatum per se subiecto conueniat.* Animal autem prædicatum conuenit per se homini, qui est pars subiecti. Et hoc potest confirmari ex ipso Scoto in 2. d. 3. q. 6. num. 10. vbi ait, *superficies alba dicitur alba per se primo modo, quia subiectum includit prædicatum.* Quod & nos citauimus lib. 3. quæst. 1. num. 19. & tamen subiectum non est vnum per se, sed per accidens.

Non est tamen negandum, propositionem magis propriè fore per se in rigore logico, si subiectum esset vnus in se conceptus: quia ad illũ rigorem videtur requiri, vt in subiecto non includatur aliquid contingens, & non *per se*, vt patet ex modis *per se* quos Aristot. assignat c. 4. primi post. Et hoc tantùm vult Scotus, vt videri potest citato numero 19. in fine.

Respondeo ad secundum, negando, istam conclusionem, *ergo aliquod animal est album*, non esse necessariam, prout ducitur ex præmissis necessarijs. Quia enim prædicatum *albus* in minori non conuenit necessariò ipsi subiecto, nempe homini, absolutè sumpto, sed ex suppositione quòd habeat albedinem, ideo conclusio est tantùm necessaria vt conclusio est, & vt supponit minorem, ex qua sequitur, necessariam esse ex suppositione: ac proinde eâdem necessitate necessaria est, quâ præmissa debilior.

26. Respondeo ad tertium, subiectum illud, *homo albus*, posse dupliciter accipi: primò, vt dicit compositum actuale ex homine, & albedine, realiter existens. Secundò, vt dicit compositum obiectiuum possibile ex homine, & albedine, siue existat in rerum natura, siue non. Si primo modo sumatur, fatendum est quandam in eo inuolui copulam, & ideo propositionem illam esse contingentem, imò falsam, si de facto albedo non existat in homine, vt diximus lib. 3. qu. 4. num. 21. quia ratio subiecti tunc falsa est, & de ratione falsa nihil verum dicitur. Vnde si dicas; *homo albus currit*, inquit Durandus d. 22. citatâ, *si nullus homo sit albus, dato quòd homo currat, falsa est propositio propter falsam implicationem circa subiectum.* Idemque habet Scotus citato num. 19.

Si verò sumatur secundo modo, nullam implicat copulam, sed facit propositionem simplicem, cuius sensus est, isti composito, *homo albus*,

conuenit esse animal, aut album &c. quòd est verum, & necessarium. Nec aliud voluisse videtur Scotus eodem numero, vbi ait, *oportet quòd ratio subiecti, non habentis conceptum vnum, sit vera in se, antequàm verificetur de aliquo, vel aliquid de ipso: & si sit impossibiliter vera, aliquid impossibiliter verificatur de eo..... & si possibiliter, possibiliter; & si actu, actu.*

27. Secunda sententia probatur primò, quia in ista propositione, *homo albus est homo albus*, prædicatum dicitur necessariò, & essentialiter de subiecto, cùm sit prædicatio eiusdem de seipso, cui nihil magis essentiale esse potest: etgo in ista, *homo albus est homo*, vel, *homo albus est albus*, erit prædicatio essentialis, quia de quo totum dicitur essentialiter, de eo quoque partes essentialiter dici debent, ac proinde per se.

Respondeo primò illam propositionem esse aliquâ ratione *per se*, quia prædicatum includitur intrinsecè in subiecto; & etiam aliquâ ratione non esse *per se*, quia subiectum non est per se, sed per accidens coniunctum, vt explicatum est numero 24. initio.

Respondeo secundò non esse vllatenùs *per se*. Nam si *homo albus*, dicat compositum ex homine, & albedine actualiter coniunctis, patet talem propositionem esse contingenter veram, quia nullo existente homine albo falsa est, vt dicebamus n. 26. & si concedatur esse necessariò vera, erit tantùm vera ex suppositione, & consequenter tantùm metaphysicè non autem logicè, seu ex præcisa, & propria significatione terminorum.

28. Si verò dicat compositum obiectiuum, siue existat, siue non: potest concedi esse essentialem, etiam ex Scoto, quia subiectum includit prædicatum. Quod si quis nolit hoc esse ad mentem Scoti, dicat tale compositum non posse, vel non debere sumi in hoc secundo sensu. Deinde etiam si in eo sensu sumatur, essentialis non erit, quia dum dicitur *homo albus est homo*, ratio albi est planè impertinens ad rationem prædicati, scilicet hominis: ac proinde non potest dici quòd homo conueniat per se isti composito, *homo albus*.

Idem valet de alia, *homo albus est albus*, quia si *albus* prædicatum cadat super *albus* subiectum, est prædicatio identica, quæ nihil facit scire, & ita non est formalis, nec *per se* logicè: si verò cadat super hominem vt sic, contingens est, vt patet; aut si super hominem album, cùm tale compositum sit per accidens, subiectum est per accidens verum, ac proinde nihil de eo necessariò affirmatur. Idem dicendum est de ista, & similibus *albus est coloratus*: & ita non sufficit ad propositionem *per se* logicè, quòd subiectum includat intrinsecè prædicatum, alioquin hæc esset per se, inquit Scotus, *maius Deo est*, quia *esse* est de intellectu subiecti.

Probatur secundò: ex omnium consensu ista est *per se* in quarto modo, *iugulatus interijt*: & tamen subiectum, *iugulatus*, inuoluit hominem, aut aliud animal, in quo iugulatio recipitur, & ita est vnum per accidens: ergo propositioni *per se*, non officit quòd subiectum sit compositum per accidens.

Respondeo, propositionem illam esse *per se*, non quod prædicatum verificetur de subiecto, tanquam de composito per accidens, sed quia subiectum includit causam *per se* inhærentiæ prædicati cum subiecto. Quod sufficit ad propositionem *per se* quarto illo modo: & non sequitur illud sufficere ad propositiones *per se* in alijs modis.

29. Probatur tertiò. Ista propositio, *Deus est homo*, est de materia necessaria, siue naturali ex Diuo Thoma 3.p.q.16.art. 1, ad 1. itavt prædicetur homo de Deo *per se*, sicut species de sua hypostasi: & nos idem asseruimus quæst. 6. lib. 2. num. 23. & tamen Deus in illa propositione supponit pro persona Verbi, vt est persona naturæ humanæ; hoc est, pro Christo: hoc autem modo includit duas naturas integras & completas, quæ habent diuersas definitiones, & conceptus; ac proinde non sunt vnum per se: ergo vnitas conceptus ex parte subiecti, non requiritur ad propositionem *per se*.

Respondeo, talem propositionem esse *per se* Metaphysicè, & quoad rem, quia ex parte rei Deus est verè homo, & vnum per se suppositum in duabus naturis: & ita ex suppositione Incarnationis, propositio est necessaria, & *per se*. At loquendo logicè, hoc est sumendo terminos absolutè, & in sua propria significatione, non est *per se* in primo modo, (de alijs enim non est hic sermo) eo quòd in tali modo prædicatum debet esse de definitione subiecti, quâ ratione non se habet homo respectu Dei absolutè sumpti, vt constat. Neque aliud vult D. Thomas.

Adde quòd, licet concederetur illam propositionem esse simpliciter *per se*, nihil inferretur contra prædicta, quia, vt benè obseruat Caietanus, Deus prædicto modo supponens pro Christo, significat vnam per se, & in se hypostasim seu suppositum, respectu cuius, & non respectu formæ Deitatis significatæ talis propositio dicitur per se. In prædictis autem propositionibus *homo albus* &c. significat hypostasim vnam per accidens, quia accidit subiecto albedinis esse hominem; & albedini habere hominem pro subiecto: vnde magna est disparitas.

SECTIO IV.

De definitione enunciationis.

30. ORATIO perfecta enunciatiua, *de qua solùm hic agimus, solet multis nominibus insigniri secundùm diuersas rationes, aut proprietates, quas habet: & in primis vocatur propositio, quatenùs assumitur in syllogismo tanquam aliud probans: quatenus verò iam est probata, dicitur conclusio. Vt autem demonstratio ipsi innititur, veluti fundamento, appellatur dignitas, effatum, suppositio: item petitio,*

seu *postulatum*, præsertim in Mathematicis. Quando verò affertur ad obuiandum dictis alterius, dicitur *instantia*: vt sub dubio ponitur, vocatur *Quæstio*: si probabilis sit vtrinque *problema*: si apparens tantùm, *sophisma*. Denique dicitur *interpretatio* prout animi sensa patefacit; & quatenus vnum alteri inesse, vel non inesse dicit, vocatur *enunciatio*.

Duas autem definitiones huius orationis perfectæ tradit Aristoteles, alteram hic, cap. 4. his verbis, *enunciatio est oratio, verum, vel falsum significans*. Alteram verò lib. 1. prior. c. 1. *enunciatio est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo*.

Circa definitiones istas aliqua possunt moueri dubia. Primum est quæ ex illis definitionibus sit essentialis, & quæ accidentalis. Secundùm, qua ratione duæ differentiæ oppositæ, constituentes oppositas enunciationis species, sicut sunt affirmatio, & negatio, possint pertinere ad definitionem essentialem enunciationis. Tertium, quomodo enunciatio specialiter dicatur significare verum, aut falsum.

31. Ad primum dubium respondetur, primam definitionem esse tantùm descriptiuam: posteriorem verò esse essentialem: quia veritas, & falsitas sunt tantùm proprietates illius: enunciare verò vnum de alio, est eius essentia, quod probatur primò, quia in eo consistit essentia rei, quod est de primario illius conceptu: veritas autem, & falsitas non sunt de primario conceptu enunciationis: quia ad cognoscendum vtrum enunciatio sit vera vel falsa, recurrendum est ad ipsam enunciationem, eiusque obiectum, & considerare an ita se habeat obiectum sicut enunciatur: vnde consequenter inferimus esse veram, aut falsam.

Secundò: ista propositio causalis est vera, *enunciatio ideò vera est, aut falsa, quia rem enunciat vt est, vel vt non est*, non verò contrà, *ideo rem enunciat vt est, quia vera est*: ergo conceptus primarius enunciationis est de re vnum de alio: secundarius autē, esse veram, vel falsam.

Tertio, quia, vt asserit Aristoteles in prædicam. cap. de substantia versus finem, & notat D. Thomas 1. p. q. 14. a. 15. ad 3. eadem propositio potest mutari de vera in falsam, vt ista, *Petrus sedet*, vera est Petro sedente; ipso autem surgente fit falsa. At verò non potest eadem mutari de affirmatiua in negatiuam: quod est signum euidens, affirmatiuum, & negatiuum, esse differentias essentiales enunciationis: veritatem verò, & falsitatem esse eius proprietates, siue accidentia, quia essentia cuiusque rei est immutabilis. Vnde quando Aristoteles distinguit enunciationem ab alijs orationis speciebus per significare verum & falsum, vtitur differentiâ accidentali, tanquam nobis notiori.

32. Ad secundum dubium respondeo Ægydium romanum loco citato priorum, prædicta definitionis verba sic ordinare, *enunciatio est oratio alicuius de aliquo affirmatiua, vel negatiua*: ita vt essentia definitionis compleatur his verbis, *oratio alicuius de aliquo*: reliqua verò addantur ad insinuandam diuisionem enunciationis in affirmatiuam & negatiuam,

Et certè ratio facta ad dubium, valde vrget, quia affirmatio, & negatio sunt differentiæ essentiales, constituentes species enunciationis diuersas: defferentiæ autem essentiales specierum non sunt de essentia generis, sed extra eius conceptum: vt rationale, & irrationale extra conceptum animalis: & ita affirmatio, & negatio non possunt esse partes essentiales definitionis ipsius enunciationis.

Verùm: contra Ægydium facit quod possit esse oratio alicuius de aliquo; & tamen non erit enunciatio, vt *liber Petri*: atque adeo definitio essentialis non potest consistere in illis solùm verbis.

Quare alij dicunt, duas huiusmodi differentias poni in prædicta definitione ab Aristotele, loco veræ, & propriæ differentiæ, ipsius enunciationis in communi: eo quòd talis differentia nomine careat; atque adeò esse de essentia talis definitionis, non vt in se spectantur secundùm rationes ptoprias, sed vt ponuntur loco eius, quod sub illis intelligitur; & hoc modo illa definitio erit essentialis.

Faciliùs, ni fallor, & clariùs rem totam expediet, qui dicet Aristotelem voluisse in prædicta definitione insinuare diuisionem enunciationis in affirmatiuam, & negatiuam; & per copulationem huiusmodi differentiarum, illius naturam quodammodo declarare. Cæterum essentialem eius definitionem posse sic efferri, *enunciatio est oratio, in qua aliquid de aliquo dicitur, seu prædicatur, statuitur, enunciatur*. Quod æquè fieri potest affirmando, & negando.

33. Ad tertium dubium: quomodo scilicet enunciatio verum, aut falsum significet, quod intelligitur maximè de enunciatione mentali, non vna est omnium responsio. Ratio autem difficultatis, & dubitationis est primò, quia enunciatio nihil aliud significat, quàm rem esse, vel non esse, vt ista *homo est animal*, significat tantùm hominem esse animal: significare autem verum, vel falsum, est asserere rem significatam esse veram, vel falsam. Secundò: veritas, & falsitas sunt propriè in cognitione intellectus, sicut ipsa enunciatio mentalis: & enunciatio non significat aliquid in seipsa, sed in obiecto, de quo fit: ergo non significat verum, aut falsum. Pro huius difficultatis solutione.

Notandum est breuiter, quod fusiùs quæstione sequenti prosequemur, duplicem in communi distingui veritatem: altera dicitur obiectiua, altera formalis: siue etiam veritas rei, & veritas cognitionis. Veritas obiectiua, quam alij vocant etiam causalem, & terminatiuam, est ea, quæ rei cuilibet competit, quatenùs potest veram de se conceptionem causare: seu esse causa, & obiectum veræ conceptionis & cognitionis. Veritas verò formalis est quæ reperitur in intellectu, seu in eius cognitione, quæ vera esse dicitur quando est conformis obiecto cognito; seu quando attingit rem vt in se est. Cùm ergo enunciatio dicitur significare verum, aut falsum, dubium esse potest de qua veritate sit sermo, de obiectiua, an de formali.

34. Circa quod opinio est Conimbricensium lib. 1. de interpretatione cap. 4. q. 3. a. 2. circa medium, à quibus non dissentit Fonseca 4. Metap. cap. 2. quæst. 6. sect. 5. ad 4. videlicet enunciationem non significare formalem veritatem, sed obiectiuam, seu rei; eamque opinionem dicunt esse communem interpretum: sed quà facilitate illud asserunt, eâdem negari potest. Dupliciter autem, inquiunt, potest intelligi quòd enunciatio significet verum obiectiuum; primò si formaliter, & directè significet obiectum esse verum, vt cùm dico, *hominem esse animal, est verum.* Secundò meterialiter, significando scilicet rem esse, vel non esse, quod verum, aut falsum est: quo pacto se habet hæc propositio, *homo est animal.*

Volunt ergo enunciationem significare verum, aut falsum, non directè & formaliter, sed materialiter, quamuis simul insinuet verum & falsum formaliter. Ratio primi est, quia nulla propositio potest significare suum enunciabile esse verum aut falsum: maximè enim hoc competeret iam assignatæ, *hominem esse animal, est verum*, quæ tamen non significat suum obiectum esse verum, hoc est, totum illud quod ipsa enunciat; sed solum enunciabile huius, *homo est animal*, quod est tantùm subiectum totius propositionis.

35. Ratio secundi est, quia enunciatio significans rem esse vel non esse, simul insinuat, & quasi in actu exercito asserit illud esse verum: seu, vt loquitur Fonseca, dum dico, *homo est animal*, quamuis nihil aliud significem formaliter, quàm hominem esse animal: tamen quia simul innuo rem ita habere, vt ipse concipio, planè innuo verum esse quòd homo sit animal.

Cæterùm quòd enunciatio ex eo quòd significet rem esse, vel non esse, debeat dici significare directè & propriè verum obiectiuum, suadetur primò, quia Aristoteles pro eodem sumit esse, & non esse, atque esse verum, & falsum, vt patet hic cap. 3. vbi ait verbum non significare extra propositionem, an res sit vel non sit; hoc est, vera vel falsa ex interpretatione Diui Thomæ. Deinde lib. 1. post. cap. 1. docens cognoscendum esse de principijs quòd sint vera, dicit cognoscendum esse quòd sint. Et 5. Metap. cap. 7. ait, *ipsum esse, ipsumque est significare quod verum est: ipsum verò non esse quod non verum, sed falsum.* Secundò idem suadetur ex vulgari modo loquendi. Dum enim volumus significare aliquid esse verum, dicimus sic esse, vt narramus: ex viceuersa dicimus verum esse, dum significare volumus illud esse.

36. Hoc modo se habet Conimbricensium opinio, quæ primâ fronte aliquid probabilitatis habere videtur: sed reuera aberrat à scopo. Nam in primis significare veritatem obiectiuam, conuenit simplici apprehensioni; vera enim est, quia apprehendit obiectum vt est: & quia significare nihil aliud est, quàm potentiæ cognoscenti aliquid repræsentare, talis apprehensio simplex repræsentando intellectui obiectum vt est,

significat verum obiectiuum æquè, ac enunciatio.

Nec sufficit respondere quòd enunciatio sola significat verum & falsum, quia sola declarat rem esse, vel non esse: tum quia hoc modo negatur in simplici apprehensione reperiri rationem signi, & repræsentatiui ipsius veritatis obiectiuæ, quod est falsum. Nam ista vox *homo*, & conceptus illi respondens significat verum hominem, & est signum veri hominis. Tum quia veritas obiectiua non definitur per esse, vel non esse, sed per ordinem, & conformitatem rei, & intellectus: quæ conformitas reperitur etiam in simplici apprehensione. Tum quia petitur principium. Quærimus enim quare dicere, vel indicare rem esse vel non esse, sit potiùs significare verum, vel falsum obiectiuum, quàm simplici intuitu apprehendere rem vt est, vel aliter ac est: aut quare veritas dicatur esse potiùs in enunciatione, quàm in simplici apprehensione, cùm per vtramque repræsentetur obiectum vt est in se.

Refutatur secundò: quando tribuimus denominationem veri non entibus, vt cùm dicimus verum est *chimæram esse ens rationis*: *verum est hominem non esse lapidem*. Illa entia tantùm habent huiusmodi veritatem quatenùs sunt obiectiuè in intellectu, seu quatenus complexè ab eo cognoscuntur: ergo propositio de illis potest tantùm significare verum formale, seu quod est in intellectu.

37. Tertiò: quando in aliqua propositione enunciatur res aliter ac in se est, talis enunciatio dicitur significare falsum: sed non potest intelligi de falso materiali, & ipsius rei obiectæ; ergo de falso formali, existente in intellectu. Probatur minor: nam ista propositio, *homo est alatus*, falsa est, & significat falsum: non falsum quod sit in homine, quin potiùs falsa est, quia significat aliquid, quod non est in homine: ego falsum quod est in ipsa enunciatione, hoc est, difformitatem sui cum obiecto, in qua consistit falsitas formalis. Idémque valet de vero formali, alioquin definitio esset æquiuoca.

Quartò denique recordari debebant Conimbricenses, paulo ante, nimirum q. 5. capitis 1. art. 1. dixisse se ex Diuo Thoma veritatem non esse in obiecto, nisi vt in causa, sicut sanitas est in medicina, & consequenter analogicè tantùm. Quis autem non videt magnum fore vitium in definitione enunciationis, si per *verum*, intellexisset Aristoteles id quod tantùm extrinsecè verum est, relictâ primariâ significatione veri?

Neque vrget quod affertur ex Aristotele; non loquitur enim de esse quod isti authores vocant verum obiectiuum, sed quod est verum formale, & cognitionis. Nec est quòd sibi præsidium quærant ex Diuo Thoma; nam 1. parte q. 16. a. 1. ad 3. & alibi ait Philosophum dixisse orationem esse veram *ex eo quòd res est, non autem ex eo quòd res vera est*, quia esse rei, non veritas eius, causat veritatem intellectus. Vnde ex Diuo Thoma non est idem esse, & verum esse. Et art. 8. ad 3. ait propositionem non solùm habere veritatem vt res alias, inquantum implent id quod de

eis est ordinatum ab intellectu diuino: *sed quodam speciali modo inquantum significat veritatem intellectus.*

Nos autem in modo loquendi vulgari, dum dicimus *hoc est*, pro *hoc est verum*, vel contrà, semper habemus respectum ad veritatem complexam, quæ est in enunciatione, seu narratione, quàm de re instituimus, vt consideranti patebit.

38. Est ergo secunda sententia Caietani 1. p. qu. 16. a. 2. parùm ante finem, enunciationem significare verum, aut falsum formale, non in actu signato, sed exercito. Significare verum, aut falsum in actu signato, est significare ipsam veritatem, aut falsitatem, quidditatiuè sumptam, tanquam terminum cognitionis, seu significationis: quâ ratione istud nomen, *verum*, aut conceptus simplex illi respondens, significat verum in actu signato, sed non exercet ipsum: & istud nomen, *falsum*, significat falsum in actu signato, & non exercet ipsum. Significare autem verum & falsum in actu exercito, est significare aliquid conformè, vel difformè rei, vt sic: & hoc fit in enunciatione mentali, quia omnis enunciatio mentalis, *per se exercet*, inquit, *in propria ratione quòd sit æqualis, vel inæqualis enunciatæ rei, quoniam essentialiter est similitudo quòd hoc insit, vel non insit illi: & siquidem ineſt quod repræsentat ineſſe, conformis dicitur; sin autem, difformis.*

Quando igitur dico, *homo est bipes*, talis propositio significat verum in actu exercito, quia exercet ipsam veritatem, & significat aliquid, vt conforme rei: quando verò dico, *homo est alatus*, hæc propositio significat falsum in actu exercito, quia exercet ipsam falsitatem, & importat aliquid vt difforme rei: quod non conuenit simplici apprehensioni, licet alioquin possit in se esse conformis, vel difformis rei.

Et hic modus explicandi optimus est, nisi fortè reduplicatio, quæ cadit super *conforme*, & *difforme*, alicui non placeat, maximè loquendo de falsitate. Nam, licet hæc propositio, *homo est alatus*, significet aliquid difforme rei: non tamen significat illud vt difforme reduplicatiuè: quia, cùm intellectus per hanc propositionem judicet hominem esse alatum, eique assensum præbeat, non potest talis propositio simul apparere intellectui vt difformis rei enunciatæ, quia tunc præberet assensum falso, vt sic; aut iudicaret aliquid falsum, & verum simul. Vide tamen q. sequentem num. 51. & 52.

Istâ autem cautione appositâ, facilis est responsio ad rationes dubitandi, initio numeri 33. propositas: quia, licet enunciatio, ex parte rei enunciatæ significet tantùm rem esse, vel non esse: ex parte tamen sui significat in actu exercito veritatem, aut falsitatem formalem, quatenus est æqualis, vel inæqualis rei enunciatæ, & similitudo quòd hoc insit, vel non insit illi, vt iam dicebamus.

39. Potest idem alio modo explicari iuxta doctrinam Ferrariensis 1. contra gentiles c. 59. ad illa verba secundæ rationis Diui Thomæ, *in complexa*

plexo designatur comparatio incomplexi ad rem. Videlicet quòd intellectus non potest formare enunciationem, nisi reflectatur supra cognitionem simplicem, quâ priùs cognoscit quidditatem rei, aut aliquid aliud simpliciter, & incomplexè. Vnde cum talis cognitio simplex, vera sit, & conformis obiecto cognito, intellectus talem cognitionem, eiusque cum re conformitatem cognoscendo, iudicat per enunciationem se esse adæquatum rei, & hoc esse in re, quod de ipsa concepit.

Quapropter quando intellectus format hanc propositionem, *homo est animal*, non solùm comparat animal ad hominem, quatenus animal est extra intellectum; sed etiam, quatenus in intellectu repræsentatur per simplicem conceptum: & sic fit comparatio intellectus concipientis rem incomplexè, ad rem ipsam, vt est extra intellectum: atque adeò enunciatio est signum, & repræsentatio adæquationis, & conformitatis intellectus cognoscentis ad rem cognitam. Quod est significare verum formale. Et hæc doctrina est egregia, sumptaque ex Diuo Thoma, vt patebit sectione. 5. q. sequentis, num. 55.

Nec aliter philosophandum est de significatione falsi; quod tamen non explicat ibi Ferrariensis. Licet enim in simplici intellectus apprehensione non sit proprie falsitas respectu rei, quam repræsentat, vt infrà explicabimus: potest tamen in ea esse falsitas quatenus non repræsentat rem sibi obiectam, vt in se est: *v. g.* dum aurichalcum sibi obiectum repræsentat vt verum aurum. Igitur si intellectus comparans simplicem hujusmodi apprehensionem cum aurichalco proposito, iudicet esse illi conformem: & ita hanc propositionem formet, *hoc corpus est aurum*, tunc repræsentabit sibi falsum, quatenus repræsentabit talem apprehensionem, vt adæquatam præsenti aurichalco: cui à parte rei difformis est.

SECTIO V.

Vtrum enunciatio mentalis sit vna simplex qualitas.

40. TITVLVS ostendit nos non loqui de enunciatione vocali, aut scripta, quas constat esse compositas ex multis vocibus, aut terminis; sed de enunciatione mentali, eâque iudicatiuâ, vt fiat abstractio à quæstione, quàm suprà à numero 16. disputauimus problematicè; an scilicet detur enunciatio apprehensiua.

Sensus ergo quæstionis est vtrum enunciatio mentalis, quâ intellectus affirmat, vel negat prædicatum de subiecto, iudicando rem esse, vel non esse, sit vna simplex qualitas, hoc est, vnus simplex actus intellectus: an verò qualitas cõposita ex pluribus actibus, seu ex conceptibus subiecti, prædicati, & copulæ, siue tres illi sint, siue tantùm duo, quod examina-

bimus numero 57. Illa tamen compositio, si detur, non debet intelligi ad modum compositionis Physicæ, quasi conceptus prædicati, & conceptus subiecti ita vniantur nexu copulæ, vt qualitas inde consurgat, physicè composita, sicut duæ partes quantitatis, quando vniuntur inter se, componunt vnam quantitatem. Debet ergo sic intelligi, quòd conceptus subiecti, & conceptus prædicati, medio conceptu copulæ extrinsecè componantur, & per sui aggregationem constituant aliquod artefactum mentale: sicut in enunciatione vocali prædicatum, & subiectum mediante verbo coalescunt in vnam orationem, & artefactum vocale, ratione ordinis, & nexus grammaticalis.

Circa quæstionem hanc, sic explicatam, duplex est sententia: prima asserit enunciationem esse qualitatem simplicem. Ita Durandus 1. sent. d. 38. q. 2. num. 5. Ferrariensis 1. contra gent. c. 59. §. *aduertendum secundò* Blasius à conceptione in Metaphys. disp. 23. q. 2. vbi contendit esse sententiam D. Thomæ: sed loca quæ ex ipso affert, tantùm probant actum iudicatiuum, respondentem copulæ verbali, esse vnum actum simplicem; non autem quod alij duo non componant cum eo enunciationem. Idem tenet Sotus lib. 2. summularum, cap. 5. Toletus lib. 3. de anima, quæst 19. conclus. 2. in fine, alijque non pauci.

Secunda sententia asserit esse qualitatem compositam ex pluribus conceptibus, mediâ vnione per verbum significatâ. Ita Vasquez disp. 223. in primam partem, num. 15. Ruuius hic qu. 5. cum alijs. Vtraque sententia probabilis est, & in vtramque partem hic disputanda.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Enunciationem esse qualitatem simplicem.

41. PRIMVM argumentum huius opinionis sic habet. Enunciatio nihil aliud est, nisi iudicium, quo intellectus iudicat aliquid alteri inesse, vel non inesse: sed huiusmodi iudicium est actus simplex: ergo & enunciatio. Maior de se patet. Probatur minor primò ex diuersis nominibus, quæ tribuuntur judicio à diuersis Authoribus. Boëtius enim hic cap. 4. judicium affirmatiuum vocat *nutum*, & negatiuum, *abnutum*. D. Thomas 1. 2. q. 17. a. 6. *assensum, & dissensum* quæ simplicem actum sonant, non secùs ac signa vocalia, quibus exprimitur, vt *ita*, *non*, &c. Secundò idem D. Thomas 1. parte qu. 58. a. 2. ait intellectum nostrum simul, & per vnum actum intelligere prædicatum, & subiectum, prout sunt partes vnius propositionis. Tertiò Aristoteles 9. Metap. textu vltimo ait quòd dictio simplicium est: enunciatio autem nihil aliud est, quàm dictio, vt patet 3. de anima cap. 6. textu 26. Igitur enunciatio erit actus, seu qualitas simplex.

Respondeo negando minorem. Quamvis enim duo, vel tres conceptus, quibus constat enunciatio, si per se, & in se sigillatim spectentur, simplices actus sint: iudicium tamen, quod principaliter enunciationem constituit, eamque à prima mentis operatione distinguit, non potest vt sic, vocari actus simplex, quia necessariò includit compositionem, quâ conceptus subiecti, & prædicat ad inuicem coniunguntur: idemque de diuisione dicendum est.

42. Ad primam probationem illius minoris concedo assensum & dissensum, nutum & abnutum esse actus simplices, quia significant actum, quò approbamus, vel reprobamus enunciabile alicuius propositionis; non verò actum, quo illam formamus: & ideò intellectus tunc æquiparatur voluntati in actibus simplicibus volitionis, & nolitionis, quibus rem propositam amplectitur, aut respuit: enunciatio autem tantùm habet hoc modo rationem obiecti respectu intellectus; non verò rationem effectus. v. g. quando hanc propositionem, *homo est animal*, iudicamus esse veram, tale iudicium est vnus simplex actus, & talis propositio habet rationem puri obiecti, quia intellectus eam solùm apprehendit; & iudicat vnionem prædicati, & subiecti esse legitimè factam: non habet autem rationem effectus, quia intellectus eam non efformat, coniungendo prædicatum cum subiecto per affirmationem.

Quod si neque hoc modo velis assensum esse actum simplicem, dices, huiusmodi terminos vocales simplices non adstruere simplicitatem enunciationis. Ipsa quippe vocatur compositio, & diuisio, quæ simplices termini sunt, & tamen significant rem compositam ex multis.

Secundus Diui Thomæ locus oppositum intenti confirmare videtur: quandoquidem ait subiectum, & prædicatum esse partes enunciationis.

Aristoteles autem per *dictionem* intelligit simplicem terminum in eo sensu, quo lib. 1. de interpretatione, cap. 4. dixit orationem esse vocem, cuius partium aliqua significatiua est vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio. Citato verò textu de anima sumit *dicere* pro affirmare, vel negare, quod est componere, vt patet expressè in ipso textu.

43. Secundum argumentum, quod est veluti instantia contra præcedentem solutionem. Conceptus simplex subiecti, & conceptus simplex prædicati, verbi gratia hominis, & animalis, non constituunt istam enunciationem, *homo est animal*; sed conceptus ipse vnionis, & compositionis, quæ per verbum *est*, importatur: at huiusmodi conceptus est simplex, vt patet ex voce simplici, per quam significatur: ergo enunciatio erit quoque simplex actus, & qualitas.

Respondeo: neque conceptus subiecti, & prædicati seorsim sumpti; neque conceptus ipse vnionis in actu signato, & in se spectatus efficiunt enunciationem: vt enim rectè ait D. Thomas 1. p. q. 58. a. 4. ad 1. *non qualiscunque multitudo intellectuum*, seu conceptuum, *compositionem causat, sed multitudo illorum, quorum vnus attribuitur alteri, vel re-*

mouetur ab altero. Vnde enunciatio constituitur ex conceptibus prædicati, subiecti, & copulæ, non vt sunt disparati, sed vt concurrunt ad vnam affirmationem, vel negationem, quia sic ad inuicem componuntur, & ad vnum mentale artefactum rediguntur: sicut fundamentum, parietes, & tectum simul coniuncta, ad vnam domum componendam coalescunt, adeò vt vnum sine altero non sufficiat.

44. Tertium argumentum. Si enunciatio consistit in compositione multorum conceptuum, nulla erit enunciatio negatiua, quia per eam conceptus subiecti, & prædicati ab inuicem separantur; & ideo vocatur diuisio: at hoc est falsum ex communi consensu; ergo etiam quòd enunciatio sit qualitas composita.

Respondeo negando sequelam maioris. Ad probationem dico, etiam in enunciatione negatiua reperiri compositionem conceptuum, quatenus intellectus comparat conceptum prædicati, & conceptum subiecti ad inuicem: & ideo hoc modo spectata potest appellari compositio, non secùs ac enunciatio affirmatiua. Si tamen comparetur ad rem, seu ad obiectum, quod enunciat, & repræsentat, dicetur diuisio, quia sic comparat vnum conceptum alteri, vt apprehendat, & iudicet res esse diuersas, & ab inuicem separatas.

Vnde enunciatio affirmatiua, duplici titulo vocatur compositio, & ratione conceptuum formalium, quos inuicem comparat, siue componit; & ratione rerum, quas apprehendit, & iudicat esse coniunctas. Negatiua verò vno tantùm titulo compositio vocatur, scilicet ratione conceptuum formalium; ratione verò rerum dicitur diuisio: sicut propositio vocalis negatiua, dicitur diuisio inquantum significat rerum diuisionem, & separationem; licet voces, quibus constat, sint inter se connexæ, & compositæ nexu grammaticali.

45. Quartum argumentum. Effectus per enunciationem productus, est vna simplex qualitas; ergo & ipsa enunciatio. Antecedens probatur: nam habitus scientificus, qui producitur per conclusionem demonstrationis, est aliquid simplex, saltem in prima productione, & demonstratione; neque hoc vllus negat. Consequentia etiam clara est, quia habitus non potest esse simplicior actu & iudicio, à quo relinquitur, tanquam sui vestigium.

Respondeo negando consequentiam. Nihil enim vetat effectum simplicem procedere à causa composita, cùm effectus vnus produci possit à multis causis partialibus, simul concurrentibus, vel sibi subordinatis, vt est omnium sententia. In enunciatione autem conceptus subiecti, & prædicati subduntur, & subordinantur quodammodo conceptui copulæ, quatenus ab eo coguntur in vnum, suntque ita necessarij, vt sine ipsis constare nequeat. Vnde licet ipse in enunciatione principem locum teneat, & principaliter influat in productionem habitus: duo tamen alij suas quoque vices, & vires conferunt.

46. Quintum argumentum. Iudicium, quo constat enunciatio, debet ferri in totum enunciabile, quandoquidem iudicat rem enunciatam, esse vel non esse: sed si componeretur ex multis partibus, non posset ferri in totum enunciabile; ergo debet esse omninò simplex. Probatur minor, quia vel singulæ iudicij partes caderent in totum ipsum enunciabile, vel singulæ in singulas partes enunciabilis? Non primum, quia hoc modo quælibet iudicij pars esset integrum, & totale iudicium, adeoque frustra plures ponerentur. Non secundum, quia singulæ partes enunciabilis simplices sunt, vt dum dico, *homo est albus*, homo, & albedo sunt obiecta simplicia, & non complexa; & consequenter non possunt iudicari, quia non iudicatur an homo sit, an albedo sit, sed vtrum ad inuicem rectè coniungantur: ergo necesse est dicere iudicium esse actum simplicem.

Respondeo. Duo conceptus simplices prædicati, & subiecti cadunt singuli supra singulas partes enunciabilis, nimirum supra hominem, & albedinem in prædicta enunciatione: tertius verò conceptus, quo illi duo per affirmationem in vnum componuntur, cadit simul in illos, & in eorum obiecta, vt explicabitur in secunda huius sectionis parte. Vnde si per iudicium intelligatur conceptus ille tertius, qui est conceptus copulæ, verum est quòd in totum enunciabile feratur, & quòd in se seorsim vnus sit & simplex: sed non inde sequitur, quòd enunciatio sit vna simplex qualitas, & quòd illo sòlùm iudicio constet, cùm neque iudicium ipsum esse possit absque conceptibus prædicati, & subiecti, quos inuicem componit, & cum quibus propositionem ipsam constituit. Vnio quippe, seu vniens non potest sine vnitis consistere.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Enunciationem esse qualitatem compositam.

47. PRIMVM argumentum ad probandum enunciationem esse necessariò compositam ex pluribus intellectus conceptibus, petitur ex Aristotele multis in locis, vbi hoc expressè asserit. Nam capite primo tractatus de interpretatione, & alibi sæpè secundam mentis operationem vocat compositionem, aut diuisionem: & expressè libro 3. de anima cap. 6. initio sic habet: *in quibus verò falsitas & veritas inest, in hisce compositio quædam est conceptuum intellectus, quasi ipsi sint vnum.* Et textu sequenti 22. in fine; *id verò quod singulos dictos conceptus componit, vnumque facit, ipse est intellectus.* Et capite primo lib. 1. priorum definit terminum esse, in quem resoluitur propositio, vt prædicatum, & id, de quo prædicatur: ergo sentit propositionem ex illis componi. Denique, vt cætera loca omittamus, lib. 12. Metaph. textu 52. ait intellectum non habere totam perfectionem suam simul in secunda

operatione. Si autem talis operatio esset actus simplex, posset intellectus elicere illam in instanti, & sic habere totam perfectionem simul, & in instanti. Quapropter Diuus Thomas 1. p. q. 85. a. 5. post Aristotelem citato loco de anima, comparat intellectum nostrum cum rebus generabilibus, quæ suam perfectionem successiuè acquirunt.

48. Pro responsione huius argumenti, & eorum quæ consequenter proponemus, notandum est ex Durando in 1. d. 38. q. 2. num. 5. & alijs Authoribus posse distingui quadruplicem compositionem alicuius operationis intellectus: nimirum formalem, virtualem, obiectiuam, & suppositam. Formalis est, si operatio constat multis actibus distinctis. Virtualis verò quando, licet vnus actus sit, æquipollet tamen multis, quia multa attingit obiecta. Vnde compositio obiectiua dicetur quando multi erunt conceptus obiectiui, ab intellectu apprehensi, & compositi. Denique supposita est quando simplex actus intellectus supponit plures alios actus circa idem obiectum, circa quod versatur. Ista sententia vult enunciationem esse compositam formaliter: prima verò vult eam esse compositam alijs tantùm tribus. Quapropter.

Respondeo Aristotelem in illis, & similibus locis intelligere compositionem obiectiuam, quia intellectus noster iudicando prędicatum inesse subiecto, vt in ista propositione, *homo est animal*, iudicando animal inesse homini, componit conceptum obiectiuum animalis cum conceptu obiectiuo hominis, affirmando per actum simplicem iudicij hominem esse animal. Et certè quando Aristoteles vocat istam operationem etiam diuisionem, debet loqui de diuisione conceptuum obiectiuorum, alioquin enunciatio negatiua non posset dici formaliter compositа ab Authoribus huius argumenti: quare ergo similiter non loquetur de obiectiua compositione, quando hanc operationem vocat compositionem?

In loco autem Metaphysicæ citatò, sicut & Diuus Thomas in prima parte, insinuat compositionem præsuppositam, quia vt ibi ait D. Thom. intellectus non potest statim in prima apprehensione perfectam rei cognitionem habere; sed alterâ apprehendit eius quidditatem, alterâ eius proprietates, & accidentia, & ea quæ circunstant rei essentiam: vnde oportet vt vnum apprehensum alij componat, aut ab eo diuidat, & ex vna compositione, & diuisione ad aliam procedat, quod est ratiocinari. Non habet ergo totam suam perfectionem in instanti, quod obiiciebatur. De eadem compositione intelligitur textus primi priorum. Sublato enim iudicio remanent simplices termini, seu apprehensiones prædicati, & subiecti, quæ licet non sint partes internæ iudicij, quia tamen necessariæ sunt, vt iudicium formetur, propositio rectè dicitur in eos resolui. Quamuis etiam de compositione obiectiua rectè possit explicari.

49. Secundum argumentum: si enunciatio esset vna simplex qualitas, nullum esset discrimen inter nostrum modum intelligendi, & modum intelligendi Angelorum. Ipsi enim iudicant risibilitatem verbi gratia,

conuenire homini, & hinnibilitatem ei non conuenire: & tamen non dicuntur componere nec diuidere, quia vnico simplici actu exprimunt subiectum, prædicatum, & coniunctionem vtriusque: ergo nos illud præstare debemus pluribus actibus, ad hoc vt componere dicamur, quia componere vnum cum alio, includit multiplicitatem conceptuum.

Respondeo negando maiorem. Vt enim recte docet diuus Thomas 1. p. q. 58. art. 3. & 4. Angeli intelligendo quidditatem alicuius rei, simul intelligunt quidquid illi attribui potest, vel ab ea remoueri: vnde vnico simplici intuitu cognoscunt, quidquid nos intelligere possumus per multos cõceptus; & ita vtimur compositione præsuppositâ, vt explicatum est in præcedenti solutione. Quo fit vt radix, & propria ratio necessitatis intelligendi componendo, & diuidendo hoc modo, proueniat ex eo quòd in prima apprehensione rei non videantur annexa, & quæ in illa, virtute continentur: inde enim cogimur per varias apprehensiones illud præstare, & sic de vna cognitione in aliam deduci, antequàm vnum de alio affirmemus, aut negemus. Et inde oritur etiam necessitas compositionis obiectiuæ, quatenus simplices apprehensiones, per iudicium enunciationis obiectiuè componimus.

50. Tertium argumentum: enunciatio vocalis repræsentat enunciationem mentalem, quia ex Aristotele capite 1. libri primi de interpretatione, voces sunt signa conceptuum intellectus: vnde eodem ordine quo voces proferimus, eodem formamus conceptus in mente: sed enunciatio vocalis est composita ex multis vocibus: ergo enunciatio mentalis erit composita ex multis conceptibus, ac proinde non erit vna simplex qualitas. Et hoc euidenter patet in propositione identica, vt *Petrus est Petrus*, quam non potest formare intellectus, nisi distinguendo quæ distincta non sunt; nec ea distinguere, nisi ea intelligendo per plures conceptus, & vnum alteri attribuendo in enunciatione: ergo repugnat talem enunciationem esse vnum simplicem actum. Adde quòd, cùm res enunciata, vna tantummodo sit, compositio non potest esse ex parte conceptuum obiectiuorum, ergo ex parte formalium.

Respondeo concedendo voces esse signa conceptuum mentis, sed nego eandem reperiri debere complexionem in conceptibus, quæ reperitur in vocibus, quia multæ requiruntur sæpe voces ad vnicum mentis conceptum exprimendum. Et verò propositio mentalis est causa, & principium propositionis vocalis: principium autem est magis vnum, seu est minùs multiplex, quàm quæ à principio procedunt. Adde quod si vox vna potest hominum instituto res multas significare, ita vnus mentis conceptus potest repræsentare res multas pluribus vocibus significatas: & sic enunciatio mentalis potest esse vna simplex qualitas, licet vocalis sit composita.

Confirmatur ex hoc, quod ait diuus Thomas 1. p. q. 58. art. 4. ad 3. quòd licet Angeli loquantur ad homines enunciationes affirmatiuas, &

negatiuas; non ideo tamen cognoscant componendo, & diuidendo, sed simplici intuitu. Pari enim ratione, licet homo proferat enunciationem vocalem compositam, non sequitur quòd iudicium mentis eius sit compositum. Illud verò, quod additur de propositione identica, tantùm probat multos conceptus appprehensiuos antecedere iudicium enunciatiuum in quo consistit compositio præsuppositа. Licet autem res enunciata vna sit, & ideo non possit ex parte sua plures habere conceptus obiectiuos; potest tamen plures habere quatenùs apprehenditur ab intellectu, & hoc modo admittere compositionem obiectiuam.

51. Quartum argumentum sumitur ex proportione, quæ est inter intellectum componentem, & discurrentem. Vt enim inquit D. Thomas citatâ q. 58. primæ partis, sicut in intellectu ratiocinante se habet conclusio ad principium; ita in intellectu componente, & diuidente se habet prædicatum ad subiectum: sed in discursu, & ratiocinatione cognitio conclusionis est omnino distincta à cognitione principij, seu præmissæ antecedentis; ergo cognitio prædicati, & vnionis eius cum subiecto, debet esse distincta à cognitione subiecti. Et ita in enunciatione necessariò interueniunt plures conceptus, sicut in ratiocinatione. Et vtriusque ratio est, quam tetigimus in responsione secundi argumenti. Si enim intellectus noster statim in principio videret quidquid latet, & virtualiter continetur in conclusione, nunquam intelligeret discurrendo, & ratiocinando, sed simplici intuitu. Similiter si statim in apprehensione quidditatis subiecti, haberet notitiam de omnibus quæ possunt attribui subiecto, vel ab eo remoueri, nunquam intelligeret componendo, & diuidendo, sed solùm intelligendo actu simplici quidditatem subiecti. Euidenter ergo concluditur necessarios esse plures conceptus ad compositionem, & ita enunciationem non esse simplicem qualitatem.

Respondeo, ex prædicta proportione, & comparatione tantùm colligi dependentiam iudicij à conceptibus apprehensiuis, sicut conclusio dependet à præmissis. Intellectus enim primò intelligit essentiam subiecti, deinde proprietates, tertiò hæc inter se coniungit: & ita supponit quidem plures conceptus formales simplices circa obiectum enunciabile, antequàm enunciationem formet: ipsi tamen non ingrediuntur enunciationem iudicatiuam, quasi partes, eam intrinsecè, & formaliter componentes: sed ipsa essentialiter constat iudicio solo simplici, connectente conceptus obiectiuos prædicati, & subiecti: & ideo oportet vt iudicium attingat ipsa extrema, eaque repræsentet, vt explicabimus ad sextum.

52. Quintùm argumentum. Si enunciatio est vnum simplex iudicium, & vnus simplex actus, non erit oratio verum vel falsum significans: sed hoc est contra definitionem ab Aristotele traditam; oportet igitur vt ex multis actibus coalescat; sicut enunciatio vocalis ex multis vocibus. Probatur maior primò ex Aristotele qui primo de interpretatione cap. 1. comparat simplicem conceptum voci simplici, & contra. Vnde sicut

vox simplex *vg. homo album*, non significat verum, aut falsum si nihil ei addatur: ita conceptus simplex, qui sine compositione, & diuisione est, sine veritate, aut falsitate est.

Secundò probatur efficaciter, saltem de falsitate; quia iudicium enunciationis, cùm sit cognitio rei enunciatæ, necessariò est eiusdem imago, repræsentans coniunctionem vtriusque extremi. Non potest autem imago esse difformis obiecto repræsentato, vt sic, quia si in aliquo ei difformis sit, non est in eo eius imago. Ergo iudicium erit semper verum, & ita enunciatio malè definitur per verum, aut falsum.

Respondeo negando maiorem: ad primam eius probationem dico Aristotelem per simplicem conceptum intelligere primam mentis operationem, quæ est simplex apprehensio absque affirmatione, & negatione; & hoc patet ex ipso textu: at iudicium non est hoc modo simplex actus, vt constat, quia includit affirmationem, vel negationem: vnde quamuis sit actus formaliter simplex, est tamen virtute complexus, repræsentans ipsa extrema, & vnum alteri inesse, vel non inesse pronuncians: quod, si ita sit, veritatem habet; si secùs, falsitatem.

Ad secundam probationem, de qua tamen infrà proprio loco exactius disputabimus, concedo iudicium enunciatiuum, in ratione imaginis obiecti enunciati, esse semper ei conforme, & ex consequenti semper verum: at de huiusmodi veritate, & conformitate non est sermo quando enunciatio dicitur verum, aut falsum significare; sed de veritate, & conformitate dictionis. Vt enim supra tetigimus ex Aristotele 3. de anima c. 6. enunciatio est dictio, hoc est affirmatio, vel negatio alicuius de aliquo. Vnde siue intelligamus iudicium enunciationis repræsentare obiectum, siue non, sufficienter intelligemus ipsum esse verum, aut falsum, comparando ipsum cum re secundum esse: quia si res ita se habet sicut enunciat, seu dicit, verum erit; si secùs, falsum: nam & eâdem ratione enunciationem vocalem falsam esse, vel veram intelligimus, quamuis in ea non sit ratio imaginis respectu obiecti.

53. Sextum argumentum. Nisi enunciatio componeretur ex multis actibus, seu conceptibus formalibus, vnicus actus intellectus repræsentaret diuersa vt diuersa, verbi gratia, in ista propositione, *homo non est equus*. Natura quippe hominis, & natura equi, quæ de homine negatur, sunt omninò diuersa. Et in ista, *homo est albus*, adhuc magis diuersa sunt prædicatum & subiectum, quia vnum est substantia, & aliud accidens. Imò idem simplex actus repræsentaret contradictoria, vt in ista enunciatione, *homo non est non homo*: non *homo*, & *non homo*, sunt contradictoria. At hoc est omninò falsum. Ex communi quippe sententia non datur in mente æquiuocatio, seu repræsentatio diuersorum, vt sic: & probatur quia hoc ipso quod conceptus est imago vnius rei, non potest esse imago rei oppositæ. Cùm ergo conceptus intellectus sit cognitio, & cognitio fiat per assimilationem cognoscentis ad cognitum, vt

dicemus in libris de anima, non potest esse similis duobus obiectis dissimilibus, & inter se diuersis, atque etiam sæpè oppositis.

Præterea, intellectus exigit species obiectorum ad ea intelligenda; sed non potest dari species, quæ repræsentet intellectui plura diuersa, vt diuersa, quia quodlibet propriam immittit speciem: neque intellectus potest intelligere simul ea, quæ per diuersas species repræsentantur, vt docet D. Th. 1. parte q. 58. art. 2. & q. 85. art. 4. & quodlib. 7. art. 2. & 1. contra gentiles, cap. 55. & alibi. Relinquitur ergo certum quod intellectus non possit simplici iudicio apprehendere totum enunciabile, nec consequenter integram enunciationem constituere.

54. Respondeo hoc argumentum multas inuoluere difficultates, nec minùs esse difficile Authoribus suis, quam contrarijs. Siue enim propositio ex multis constituatur actibus formalibus, siue vno tantùm simplici; necesse est vt conceptus copulæ, siue iudicium, quo conceptus subiecti, & conceptus prædicati ad inuicem coniunguntur, vel ab inuicem separantur, attingat, & repræsentet huiusmodi duos conceptus, eorumque inter se conuenientiam, aut disconuenientiam; imò & eorum obiecta, ne indicta & incognita causa sententiam ferat. Si ergo obiecta eorum diuersa sunt, ipsi quoque diuersi erunt, & sic iudicium, ego, & illa cognoscendo, cognosceret simul diuersa, vt sic.

Igitur remittendo seuerius examen huius quæstionis ad libros de anima, dico ad maiorem istius argumenti, conformiter ad doctrinam Sancti Thomæ locis citatis, intellectum non posse intelligere, neque diuersa, neque multa, vnico, & simplici actu, primò, & principaliter, hoc est, tanquam plura obiecta primaria, & secundùm se: bene autem ex consequenti, quatenus induunt rationem vnius, seu inquantum habent ordinem ad vnum intelligibile primum. Hâc enim ratione, licet partes vnius continui, per se, & seorsim sumptæ, non possint simul intelligi vnico actu, quia vt sic absolutè plures sunt: quatenus tamen vniuntur in toto, quod primò intelligitur, ipsæ simul intelliguntur ex consequenti in illo, vt dicitur 3. de anima c. 6. textu 23.

Et similiter quando intellectus intelligit propositionem, intelligit simul subiectum, & prædicatum, quatenus vniuntur in vna affirmatione, vel negatione, cuius sunt partes: & quando intelligit similitudinem, vel differentiam aliquorum, simul intelligit ea, quorum est similitudo, vel differentia: & sic est quædam vnitas ex parte obiecti, quia quodammodo adunantur in vna ratione differentiæ.

Neque est maior difficultas in illa propositione *homo non est non homo*, quàm in cæteris, quia hoc ipso quòd intellectus intelligit naturam hominis, intelligit negationem illi oppositam. Pro quo vide quæ diximus q. 6. lib. primi numero 31. Ex hac ergo parte nihil obstat quo minùs simplex iudicium constituat enunciationem, & totum enunciabile intelligat.

55. Ad minorem eiusdem argumenti dico in primis iudicium non ferri

primò in ipsa extrema, sed in simplices extremorum apprehensiones, quatenùs referunt iudicio conuenientiam, vel disconuenientiam eorum.

Dico secundò ex Caietano q. 85. citatâ primæ partis, a. 4. diuersa posse simul repræsentari intellectui per diuersas species, quodlibet per suam propriam; quia tunc non sunt plures species absolutè, sed veluti partes tertiæ speciei, quæ repræsentat differentiam inter illa; & ita, cùm ad vnum intelligibile repræsentandum vniantur, & ordinentur, vim vnius habent.

Dico tertiò cum Ferrariensi, 1. contra gent. cap. 55. sub principium, quòd quando intellectus noster plura diuersa intelligit, v. g. hominem, & equum; & iudicat in enunciatione hominem non esse equum, tunc ex specie hominis, quâ per simplicem apprehensionem intelligit naturam hominis; & ex specie equi, quâ naturam equi intellexit, format in se tertiam speciem, repræsentatiuam differentiæ hominis & equi, eo modo, quo Phantasia, vt inquit D. Thomas 1. p. qu. 12. a. 9. ad 2. ex duplici specie simplici montis, & auri, elicit vnam simplicem, repræsentatiuam montis aurei: & intellectus ex præconceptis speciebus generis, & differentiæ format rationem speciei.

Hoc enim modo reperitur quædam vnitas primò ex parte obiecti, quatenus homo, & equus conueniunt in differentiæ natura, seu in eo quòd inter se mutuo differant. Secundò ex parte principij, quo causatur intellectio, hoc est, ex parte speciei. Licet enim species hominis, & species equi sint plures; rationem tamen vnius induunt, quatenus quælibet partialiter concurrit ad productionem illius tertiæ speciei, quæ est repræsentatiua differentiæ ipsorum. Tertiò ex parte conceptus, qui est vna imago, & similitudo hominis, & equi, quatenus conueniunt, & sunt vnum in differentiæ natura vt dictum est, & est effectus communis specierum ipsorum, modo explicato.

Nihil igitur impedit quò minùs multa intelligantur simul, & vnico actu, modò per vnam speciem intelligi possint. Sic enim docet Diuus Thomas citatis locis intellectum creatum videre simul omnia, quæ per essentiam diuinam videt, & q. 55. a. 3. dicit Angelum superiorem multa cognoscere per vnam speciem, quæ inferior non cognoscit nisi per plures.

56. Dico quartò, quòd sicut sensus communis, inquantum coniungitur diuersis sensibus proprijs, sicut centrum pluribus lineis, eorumque immutationes recipit, quodammodo multiplicatur secundùm esse, quamuis sit vna potentia secundùm essentiam, vt ait Diuus Thomas quodlibeto 7. a. 2. ad 1. ideoque potest simul plura sentire, vt album, dulce, calidum: ita intellectus noster propter diuersas operationes subordinatas, quibus gaudet, quodammodo multiplicatur, & diuersis æquiualet potentijs, ideoque potest multa simul intelligere.

Quando ergo simplici apprehensione aliquid intelligit, comparatur

sensibus particularibus, qui simplici cognitione attingunt sua obiecta per proprias eorum species: quando verò per compositionem, & diuisionem aliquid intelligit, comparatur sensui communi; coniungitur enim tunc cum simplicibus conceptibus prædicati & subiecti, qui cum multa repræsentent per proprias species, non secùs ac sensus particulares, suam repræsentationem judicio communicant, illudque ad assensum, vel dissensum determinant.

Ex quo sequitur intellectum determinari immediatè ad simplices apprehensiones per species objectorum; ad iudicium verò, non per species immediatè: quia, cùm iudicium sit sententia de re proposita, debet rem ipsam, causamque prius cognoscere; non cognoscit autem illam, nisi per conceptus extremorum antecedentes; & ita per eos determinatur ad iudicium, quatenus illi repræsentant extrema ipsa, hoc est prædicatum, & subiectum, inter se conuenientia, aut disconuenientia. Ad discursum denique, seu ad conclusionem determinatur à iudicijs præmissarum.

TERTIA PARS SECTIONIS.

Vtrum enunciatio duobus, aut tribus conceptibus constituatur.

57. HÆc tertia sectionis pars supponit enunciationem ex pluribus conceptibus formaliter esse compositam: an verò ex tribus, vel ex duobus tantùm, inquirit. Aliqui recentiores putant ex duobus solùm componi, nimirum ex conceptu prædicati, & ex conceptu subiecti, non vt seorsim accipiuntur, sed vt repræsentant conuenientiam, vel disconuenientiam eorum, seu connexionem, vel separationem, quæ significatur per verbum affirmatum, vel negatum, cui non respondet peculiaris conceptus: hæc autem opinio.

Probatur primò ex Aristotele 1. de interpret. c. 3. in fine, vbi dicit conceptum verbi, prout dicit copulam, non posse consistere separatum ab extremis. Si autem esset conceptus distinctus ab extremis, posset sine dubio subsistere, extremis corruptis

Verùm hoc argumentum leue est, quia textus dicit verbum significare compositionem quandam, quæ sine compositis intelligi non potest: ex quo inferri nequit conceptum verbi non esse diuersum ab extremis: etenim licet vnio sit quid distinctum ab vnibilibus, non potest tamen attingi quin ipsa vnibilia, saltem in obliquo attingantur

Probatur secundò: quia vt se habet copula rationalis, *ergo*, in syllogismo; ita se habet copula verbalis, *est*, in enunciatione, vt patet ex D. Thoma 1. p. q. 58. a. 4. sed illi non respondet conceptus distinctus à

conceptu conclusionis, vt notum est: ergo neque isti respondebit conceptus distinctus à conceptibus prædicati, & subiecti.

Respondeo negando paritatem. Quamuis enim in hoc conueniant huiusmodi copulæ, quòd sicut rationalis nectit conclusionem cum præmissis, ita verbalis nectat prædicatum cum subiecto: tamen rationalis solùm denotat dependentiam conclusionis à præmissis; quæ est tantùm quædam circunstantia, & conditio addita iudicio conclusionis, à quo proinde non debet esse separata. At copula verbalis non significat aliquam circunstantiam, quæ comitetur vnum extremum potiùs, quam aliud; sed significat affirmationem quòd ambo inter se coniungantur: & ideò vtramque æqualiter attingit, & consequenter debet esse tertius conceptus, à conceptibus prædicati, & subiecti distinctus.

58. Probatur tertiò, quia, vt patet ex Arist. citato cap. 3, verba significant suum formale significatum, & connotant eius coniunctionem cum subiecto per vnicam impositionem, & significationem: ergo, cum non debeant multiplicari conceptus, nisi vbi multiplicantur significationes, oportet vt per vnicum conceptum, respondentem significationi verbi, coniungatur prædicatum cum subiecto; & ita enunciatio constabit solummodò conceptu subiecti, & conceptu prædicati.

Antecedens probatur primò, quia alioquin non essent vocabula simplicia, contra Aristotelem c. 2. & 4. antepræd. secundò ex istis propositionibus, *Petrus est*, *Petrus, currit*: nam in prima, *est* significat existentiam vt coniunctam cum Petro: & in secunda, *currit*, significat similiter cursum, vt coniunctum cum Petro, per eandem impositionem, & significationem.

Respondeo negando consequentiam: voci enim simplici possunt multi respondere conceptus, modò sint subordinati, & mediati, hoc est, non æquè primò, & immediatè significentur: conceptus autem respondentes verbo, sic se habent. Nam verbum primariò significat formam, secundariò verò significat, seu connotat subiectum formæ: non quòd ad illud significandum impositum sit; sed, cùm significet formam vt inhærentem subiecto, non potest forma ipsa concipi, vt sic inhærens, absque subiecto: & ita verbum ingerit duos conceptus, alterum formæ, quæ est significatum formale: alterum subiecti, quod est connotatum. Neque ob id desinit esse vox simplex, vt explicatum est. Quòd si extra enunciationem ingerit duos conceptus, potiori iure eos in enunciatione causabit, cùm in ea insuper importet coniunctionem prædicati cum subiecto, vt asserit Aristoteles dicto capite, quam extra non importat. Vt *currit*, secundùm se significat cursum in concretro, sicut *album* albedinem: sed in enunciatione, *Petrus currit*, insuper significat, imò exercet actualem coniunctionem cursus cum Petro, vt diximus sect. *de verbo*.

59. Et ita argumentum prædictum vim non habet: hæc tamen opinio est probabilis, nec vllum argumentum efficax contra illam potest af-

ferri, quod ſolutione egeat. Quæ enim conficiunt Conimbricenſes, tantùm probant, enunciationem non conſtitui abſque aſſertione, nec ad eam ſufficere cognitionem conuenientiæ prædicati cum ſubiecto, vel coniunctionis vtriuſque, cùm hæc repræſentari poſſint per ſimplicem apprehenſionem: imò ſignificentur per nomina connotatiua, & adiectiua, in oratione poſita, vt *homo albus*.

Verùm hæc ſententia non excludit verbum ab enunciatione, quin potiùs illud requirit, & conſequenter aſſertionem, quæ ſecum defert iudicium, vt patet ex argumentis allatis: at hoc iudicium non eſt tertius actus diſtinctus, ſed eſt conceptus prædicati adiuncto verbo, & copula, ex quo habet vt ſit iudicium, & non ſimplex tantùm apprehenſio.

QVÆSTIO III.

De veritate, & falſitate enunciationis in communi

SECTIO I.

In quo ſita ſit veritas enunciationis.

1. VERITAS ex communi ſententia poſt Iſaac, ſignificat comparationem, adæquationem, conformitatem inter rem & intellectum, & hoc ita verum exiſtimat D. Thomas vt q. 1. de veritate art. 2. dicat quod ſi omnis intellectus intelligeretur auferri, nullo modo ratio veritatis remaneret. Poteſt autem res aliqua habere comparationem, & ordinem ad intellectum dupliciter: primò tanquam menſura, & regula cognitionis illius: adeò vt cognitio tunc dicatur vera, quando conformatur & adæquatur rei cognitæ, & ſic ſe habent res naturales reſpectu intellectus creati. Secundò tanquam menſuratum ad ſuam menſuram, quo modo artefacta, ad hoc vt vera dicantur, debent conformari cognitioni, & ideæ artificis. Vnde vera domus dicitur, quæ aſſequitur ſimilitudinem formæ, quæ eſt in mente Architecti: & ſimiliter, inquit D. Th. 1. p. q. 16. art. 1. res naturales dicuntur eſſe veræ ſecundùm quòd aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum, ſeu idearum, quæ ſunt in mente diuina, vt verus lapis dicitur, qui habet propriam lapidis naturam ſecundùm præconceptionem intellectus diuini.

Ex hac duplici comparatione inter intellectum & rem, manauit ge-

neralis diuisio veritatis in veritatem rei, & veritatem cognitionis, seu in essendo, & in intelligendo. Veritas rei est conformitas eius cum intellectu: veritas cognitionis, est conformitas eius cum re, ex communi modo loquēdi, de quo nunc agimus. Quia verò res omnes naturales, tales sunt, quales ars diuina præscripsit, ideò veritas rei dicitur etiam transcendentalis, conueniens omni enti, tanquam proprietas, ab eo inseparabilis: & de ea non agimus hic, quia ad Metaphysicum pertinet; sed solùm de veritate cognitionis; quæ à Diuo Thoma, & alijs vocatur veritas complexa, prout in enunciatione reperitur: ab alijs verò dicitur formalis, quia resideat in intellectu, illumque afficiat, tanquam forma inhærens. Addunt alij veritatem in significando, quæ reperitur in vocibus, aut in enunciatione vocali, & scripta secundum quandam analogiam, & proportionem ad mentalem; & posita est, ex communi modo dicendi, in adæquatione, & conformitate propositionis significantis cum re significata. Præcipuè nobis hic quæstio est de veritate formali, & cognitionis; in quo nimirum sita sit: circa quam variæ sunt sententiæ.

2. Prima est Durandi in 1. sent. dist. 19. q. 5. & 6. Vasques 1. p. disp. 76. cap. 1. Heruæi quodl. 3. q. 1. art. 2. & 3. Iauelli 6. metap. q. 13. Soncinas, q. 16. concluſ. 3. licet quæstione sequenti contrarium videatur asserere, & aliorum quorundam, asserentium veritatem formalem consistere in conformitate conceptus obiectiui cum re ipsa, hoc est in conformitate rei prout cognita est, seu prout est obiectiuè in intellectu, ad seipsam prout est à parte rei, seu in natura sua spectatam: non verò in conformitate conceptus formalis ad rem conceptam: & ex oppositio falsitas est in difformitate rei, vt apprehensa est ab intellectu, ad seipsam, vt est in natura sua. Aliqui tamen volunt prædictos Authores loqui de veritate transcendentali, quæ explicatur per huiusmodi conformitatem, quatenus res quælibet vera dicitur inquantum, vt ait Auic. 2. Metap. c. 4. potest veram, hoc est, sibi adæquatam, & conformem de se conceptionem, & æstimationem facere. Sed hæc interpretatio, saltem respectu Heruæi, Durandi, & Vasques falsa est. Quidquid tamen sit de mente illorum Authorum, hanc sententiam expressam inuenio in Diuo Thoma opusculo 48. tractatu de enunciatione, cap. 4. & 5. scio tamen multos dubitare an hoc opusculum sit Diui Thomæ.

Secunda sententia est communis, veritatem nimirum formalem esse adæquationem, & conformitatem conceptus formalis cum re concepta, seu cum obiecto; & consequenter veritatem enunciationis esse conformitatem intellectus cum obiecto complexè cognito, sita ut si res ita se habeat, sicut intellectus iudicat, aut enunciat, enunciatio vera sit. Ita Diuus Thomas 1. parte q. 16. art. 1. 2. & 8. & Caiet. art. 2. Item 1. contra gentiles cap. 59. & 60. & ibi Ferrar. Suarez disput. 8. Metaphys. sect. 1. Conimbricenses supra caput 1. libri primi de interpretatione qu. 5. art. 1. Blasius à conceptione disput. 23. Metaphys. quæstione 5. & 6. aliique

non pauci. Et hæc probabilior est, sequentibusque rationibus stabilitur.

3. Probatur ergo primò contra primam sententiam, quia res cognita, si cognoscitur vt in se est, non habet aliud esse obiectiuum, nisi illud ipsum quod illi ineſt ex parte rei; & consequenter vt cognita, est omninò eadem secum: ergo, vt sic, non potest denominari conformis sibi, quia eiusdem ad seipsum non est conformitas, sed identitas: ergo neque potest dici eo modo vera. Antecedens est per se clarum. Sicut enim res visa, vt est obiectum visus, supra esse lucidum, aut coloratum, quod in se habet, tantùm addit denominationem extrinsecam à visione: ita res cognita, vt cognita, supra esse, quod à parte rei possidet, tantùm addit denominationem extrinsecam à cognitione, per quam dicitur cognita; & consequenter duo extrema prædictæ conformitatis sunt res ipsa cognita, & cognitio ipsa, quâ cognoscitur, & repræsentatur: atque adeò talis conformitas, & consequenter veritas formalis, est primò, & per se in cognitione ipsa, repræsentante rem, vt in se est.

Probatur secundò: & est confirmatio rationis præcedentis. Quando quis cognoscit rem, nondum existentem, aut nunquam futuram, v. g. rosam, adhuc in potentia roseti contentam; tunc non potest intelligi conformitas rei, vt cognitæ, ad seipsam vt in se, quia nullum aliud habet esse in se præter esse obiectiuum, quod intellectui obiicitur; ergo necesse est dicere, quod conformitas, in qua veritas formalis posita est, sit inter ipsam cognitionem seu conceptum, & ipsum obiectum apprehensum.

4. Probatur tertiò ex Aristotele cap. 8. libri primi de interpretat. & cap. de substantia in prædicamentis, vbi ait orationem esse veram vel falsam, quia enunciat rem vt est, vel vt non est. Notat autem D. Thom. 1. p. q. 16. art. 1. ad 3. Aristotelem non dixisse orationem esse veram, quia res est vera, sed quia est. Ergo enunciatio, seu iudicium, non denominatur verum a veritate obiecti, sed à conformitate, quam habet cum obiecto, apprehendens illud vt est in se; & ita veritas erit in ipso intellectu, non autem in re, nisi causatiuè, quatenus, si cognoscatur vt est, causat veritatem in intellectu cognoscente.

Probatur quartò. Veritas enunciationis vocalis non consistit in conformitate rei, vt per eam significatæ, ad seipsam, vt in se est; sed in immediata conformitate, & adæquatione, quam habent voces ad rem significatam, quatenus eius significatiuæ sunt: ergo veritas enunciationis mentalis similiter posita erit in adæquatione immediata illius cum re cognita; non verò in adæquatione esse obiectiui rei cum ipsa re secundùm esse reale.

Probatur quintò. Eodem modo philosophandum est de veritate enunciationis respectu rei enunciatæ, quo de veritate cuiuscunque imaginis exterioris & materialis respectu sui prototypi, v. g. imaginis Cæsaris respectu ipsius Cæsaris: quia sicut imago hæc, est imago realis & materialis ipsius Cæsaris; ita enunciatio est imago intentionalis sui obiecti: sed veritas

ritas imaginis Cæsaris non consistit in conformitate alicuius esse obiectiui Cæsaris, quod insit in illa imagine, ad ipsum Cæsarem in se existentem, vt per se patet; sed in immediata conformitate ipsius imaginis, quatenus repræsentatiua est, cum ipso Cæsare, vt est in se. Ergo simili modo veritas enunciationis consistit in immediata conformitate eius cum re enunciata, non autem esse obiectiui rei cum re ipsa.

5. Probatur sextò. Veritas formalis est adæquatio nostri intellectus cum obiecto, tanquam mensurati cum sua mensura, vt diximus num. 1. Vnde habitudo scientiæ ad scibile fundatur in commensuratione eius cum ipso obiecto scibili, ex Aristotele cap. 15. lib. 5. Metaph. & ex communi consensu. Ergo huiusmodi veritas non consistit in conformitate rei, vt obiectæ, ad se ipsam, vt est in se; sed in adæquatione, & commensuratione cognitionis cum ipso obiecto, tanquam cum propria regula, & mensura. Consequentia est euidens, quia debet esse distinctio inter regulatum & regulam, seu mensuram illius: res autem hoc modo obiecta, non distinguitur à seipsa.

Probatur septimò: quia error, & falsitas sunt formaliter in intellectu, vt ex communi consensu manifestum est; vnde intellectus denominatur formaliter falsus, homo hæreticus &c. ex eo quòd aliter iudicet de rebus quàm in se existant. Ergo veritas erit quoque formaliter in intellectu, ex eo quòd iudicet de rebus prout sunt in seipsis; nam veritas, & falsitas sunt contraria, & idem est contrariorum subiectum. Vnde veritas sumetur ex comparatione ipsius actus cum obiecto; non verò ex compatatione obiecti, vt cogniti, cum eodem secundùm se.

6. Probatur octauo. Ista propositio causalis est vera: *ideo res in esse obiectiuo spectata conformis est sibi ipsi secundùm esse reale, quia intellectus concipit illam vt in se est, conceptumque illi proportionatum & adæquatum efformat*: ergo huiusmodi adæquatio, & conformitas in qua consistit veritas formalis, conuenit priùs conceptui intellectus, quam ipsi rei, hoc modo consideratæ; & consequenter veritas formalis deriuatur ab intellectu in res ipsas; ergo rectiùs dicitur hujusmodi veritatem consistere in conformitate intellectus cum re, quàm in conformitate rei secundùm esse objectiuum, ad seipsam, secundùm quod est in se, spectatam.

Probatur denique: quia, cùm res, secundùm esse objectiuum spectata, non sit distincta à seipsa secundùm esse reale, vt in prima ratione ostensum est; si veritas consisteret in conformitate inter esse objectiuum & esse reale illius, consisteret in relatione rationis; ejusdem enim ad seipsum non potest esse relatio realis, ex communi consensu. At hoc absurdum valde est, vt infra ostendemus; & patet, quia veritas in abstracto dicitur de verbo, & sapientia æterna: vnde Christus dicebat, *ego sum veritas & vita*: ex quo sequeretur quòd verbum esset ens rationis. Igitur veritas formalis creata, quæ est quædam participatio increatæ,

non potest in prædicta conformitate consistere; sed in conformitate ipsius verbi, seu conceptus intellectiui.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Soluuntur objectiones.

7. OBIICIES primò, verum & ens conuertuntur ex communi sententia, & vnum æquè latè patet ac aliud: sed si veritas consistat in aliquo existente in intellectu, non verò in conformitate rei vt obiectæ, ad seipsam in esse reali; non erit prædicatum conuertibile cum ente, vt patet, ergo in tali conformitate consistere debet.

Respondeo, maiorem esse veram de veritate transcendentali, quæ est proprietas entis; non verò de formali. Vel dico cum D. Thoma q. 1. de veritate art. 2. ad 1. & prima parte q. 16. art. 3. ad 1. verum, quod in rebus est, conuerti cum ente secundùm substantiam: verum autem, quod est in intellectu, seu formale, conuerti cum ente, vt manifestatiuum cum manifestato, quatenus ipsum declarat, & exprimit vt est in se.

Obiicies secundò. Conformitas, in qua veritas consistere dicitur, non potest esse conformitas conceptus formalis cum re cognita, secundùm esse reale talis conceptus, quia conceptus est spiritalis; res verò cognita sæpè materialis est; ergo est solùm conformitas in repræsentando; ita vt nimirum res cognita, sic repræsentetur, sicut est in se: at hoc modo tota comparatio fit inter rem in esse cognito, & eandem in esse reali: ergo veritas erit conformitas rei in esse obiectiuo, ad seipsam in esse reali. Minor, in qua sistit controuersia, constat; nam dicere quòd res repræsentatur in intellectu sicut est in se; est solum attendere ad id, quod est obiectiuè in intellectu, & declarare conformitatem inter esse apprehensum, & esse reale.

Confirmatur expressè ex D. Thoma, 1. contra gent. cap. 59. ratione primâ vbi ait; *Ad id in intellectu veritas pertinet, quod intellectus dicit, non ad operationem quâ id dicit: non enim ad veritatem intellectus exigitur, vt ipsum intelligere, rei adæquetur, cum res interdum sit materialis, intelligere verò immateriale: sed illud quod intellectus intelligendo dicit, & cognoscit, oportet esse rei adæquatum* &c. vbi Diuus Thomas per hæc verba, *quod intellectus intelligendo dicit & cognoscit*, non potest aliud intelligere, nisi rem ipsam vt cognitam, quam oportet esse sibi adæquatam, vt intellectus sit verus.

8. Respondeo negando minorem, ad probationem dico nos, dum asserimus rem in intellectu repræsentari sicut in se est, non comparare rem vt cognitam, ad seipsam vt est in se; sed comparare cognitionem ipsam cum re cognita, in ratione repræsentantis, & repræsentati: sicut

dum dicimus hanc imaginem, esse veram Cæsaris imaginem, quia illum repræsentat vt in se est, non comparamus Cæsarem repræsentatum ad seipsum, sed imaginem ad Cæsarem.

Ad confirmationem respondeo ex Ferr. ibi, Diuum Thomam, per id quod intellectus intelligendo dicit, nihil aliud intelligere nisi ipsum verbum mentis, siue conceptum, quem intellectus dicit, hoc est producit, intelligendo rem ipsam: & huiusmodi conceptum oportet esse adæquatum rei, intentionaliter illam repræsentando, vt in se est: quod non conuenit ipsi intelligere, hoc est cognitioni, & intellectioni, quæ non repræsentat obiectum, sed solum modo illud attingit, & ideo non potest adæquari obiecto materiali secundum esse naturæ, nec secundùm esse intentionale, seu repræsentatiuum. Verbum autem, quod est terminus intellectionis, adæquatur obiecto, si non in esse naturæ, saltem in esse repræsentatiuo, seu imaginis intentionalis.

Obiicies tertio, & est instantia contra solutionem præcedentis confirmationis. Visio beatifica, quâ beati Deum intuitiuè cognoscunt, est vera veritate formali creatâ, quia apprehendit Deum vt in se est: sed ex Diuo Thoma non datur in tali visione verbum creatum, seu conceptus, qui sit imago, & repræsentatio obiecti visi: ergo veritas non potest absolutè consistere in prædicta adæquatione conceptus formalis cum re cognita vt in se est: ergo consistit in conceptu obiectiuo, quia nihil aliud assignari potest. Eadem autem est ratio de veritate formali respectu aliorum obiectorum: alioquin essentia veritatis formalis non haberet rationem vnam, & conceptum vniuocum.

Respondeo, positâ illâ Diui Thomæ opinione vt probabili, visionem beatificam habere veritatem transcendentalem creatam, quatenus est proportionata, & commensurata cum suo obiecto, illud vt in se est, attingens; non habere autem veritatẽ formalem creatam, sed increatam, quatenus Deus gerit vicẽ speciei, tum impressæ, tum expressæ, per quam intellectus beati fit conformis, & similis obiecto viso, hoc est, ipsi Deo. 9. Obiicies quartò: verum est obiectum intellectus ex Aristotele 6. Metaph. cap. 3. textu 8. & Diuo Thoma 1. p. qu. 82. art. 3. vnde eâdem 1. p. q. 16. art. 1. ait verum esse id, in quod tendit intellectus, sicut bonum est id, in quod tendit appetitus: ergo verum est prius cognitione & conceptu intellectus; sicut color est prius visione; & patet, quia non ideò ens est verum, quia apprehenditur, sed ideo apprehenditur, quia est verum. Ergo veritas non consistit in prædicta conformitate conceptus cum obiecto: sed tota se tenet ex parte obiecti, comparati ad seipsum secundùm aliud & aliud esse, hoc est, secundùm esse obiectiuum, & esse reale.

Confirmatur ex Diuo Thoma q. 16. citatâ articulo 2. vbi expressè ait nomen veri importare cognitum, vt est in cognoscente: cognitum autem, vt est in cognoscente, nihil aliud significat, aut dicit formaliter,

nisi rem vt est obiectum cognitionis: ergo verum formaliter consistit in conformitate rei vt cognita est, ad seipsam vt à parte rei existit.

Respondeo, seueriori antecedentis examine remisso ad libros de anima, aut ad Metaphysicam: verum rei esse obiectum intellectus, non quidem formale, quia illud est ens, inquit Caiet. art. 3. q. 16. citatæ, sed conditionale, vt ita loquar, quia est conditio propria obiecti formalis, quatenus ens, vt terminet intellectum, exigit conditionem generalem, quam verum addit supra illud, nimirum esse perfectiuum intellectus. Quo fit vt verum non sit in re, absque ordine ad intellectum, & sit in re antequam intelligibilis sit. Nam primò ponitur ens, deinde ens vt perfectiuum intellectus: tertiò vt intelligibile, quoniam intelligibile est quia verum est, non contra. Et ita verum est prius cognitione; & ens non ideo est verum, quia apprehenditur, sed ideò apprehenditur, quia est verum. At res aliter se habet de veritate formali: hæc enim est in ipso conceptu formali tanquam propria eius perfectio, nec prior est ipso sed simul cum eo, quatenus est conformis, & adæquatus rei cognitæ.

Vnde negatur vltima consequentia obiectionis, & patet responsio ad confirmationem. Nam verum formale importat rem cognitam vt est obiectum cognitionis, & consequenter, vt est in cognoscente per verbum, & conceptum repræsentantem illam vt est in se, in qua repræsentatione consistit veritas formalis, non autem in adæquatione conceptus obiectiui cum re ipsa.

10. Obiicies quintò: enunciatio non alio titulo dicitur vera, nisi quia significat obiectum verum: ergo veritas primariò debet esse in ipso obiecto enunciato, & in enunciatione solum ut in signo. Probatur antecedens ex Aristotele capite de substantia, & hic cap. 8. vbi ait quod enunciatio vera est, vel falsa ex eo quòd res est, vel non est. Consequentia est clara, & patet ex illo axiomate, quod idem Aristoteles habet 1. post. cap. 2. textu 5. *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Sed enunciatio est vera propter obiectum, à quo veritatem haurit, ergo obiectum est potiori ratione verum: obiectum, inquam, vt cognitum, comparatum ad seipsum secundùm esse naturale.

Confirmatur: quia quando intellectus directè tendit in veritatem, non attendit ad suum iudicium, sed comparat obiectum secundùm quòd apprehensum est, ad seipsum in esse reali: imò vt cognoscat an iudicium suum verum sit, primò attendit ad rem cognitam; & si inueniat ipsius esse naturale conforme ipsi esse obiectiuo, statim cognoscit se vere iudicasse. Ergo veritas enunciationis in tali conformitate consistit.

Respondeo negando antecedens. Enunciatio enim vera est, non quia significat obiectum verum, sed quia significat, & enunciat obiectum esse, quod à parte rei est. Neque Aristoteles dixit eam esse veram, quia res est vera, sed quia est, vt rectè aduertit D. Thoma 1. p. q. 16. art. 1. ad 3. vnde ipsum esse rei est causa veritatis in enunciatione: sed, quia

non est causa vniuoca, non est opus vt veritas sit in re formaliter: sicut sanitas animalis causatur à medicina, non vt ab agente vniuoco, & ideò sanitas non est in medicina formaliter, sed tantum virtualiter. Res ergo vera est tantùm virtualiter, causaliter, fundamentaliter

Ad confirmationem dico posse intellectum comparare rem vt cognitam, ad seipsam in esse rei, quando examinat an res ita se habeat, vt apprehenditur: sed si opus sit examinare an iudicium verum sit, & veritatem formalem intelligere; necesse est comparare cognitionem ipsam, & iudicium cum re cognita; & videre an sit adæquatum & conforme rei.

TERTIA PARS SECTIONIS.

Soluuntur argumenta, constituentia veritatem in conceptu formali.

11. QVAMVIS veram esse iudicem sententiam, quæ veritatem formalem in conformitate conceptus formalis cum re cognita, sitam esse affirmat: altera tamen suam videtur habere probabilitatem; & ideò, si quis eam voluerit amplecti, solutiones argumentorum alterius hic inueniet.

Respondeo igitur ad primum: esse rei secundùm se spectatæ, & esse eiusdem obiectiuum, seu vt intellectæ, sufficienter esse distincta, vt inter vtrumque intelligatur conformitas, & adæquatio, in qua veritas consistit, maximè si talis conformitas dicatur esse relatio rationis, de quo sectione sequenti. Vnde duo extrema talis conformitatis sunt res ipsa secundùm se, & res vt cognita, non verò ipsa cognitio, & res secundùm se.

Respondeo ad secundum, ipsum esse leuioris momenti, quia siue res existat, siue non, semper intelligitur habere esse reale, saltem possibile, distinctum ab esse obiectiuo, quod accipit ab intellectu: & sic inter vtrumque concipitur esse conformitas, & adæquatio.

Respondeo ad tertium, concedendo rem secundùm se spectatam, non denominari veram veritate formali, de qua est sermo; sed quatenus est intellecta, & prout sic, conformis est sibi ipsi secundùm se: non tamen propterea aliquid sequitur ex textu Aristotelis contra istam sententiam, quia semper verum est enunciationem esse veram ex eo quòd res est, vt enunciatur, seu vt complexè cognoscitur. Nam si res esset in se aliter ac cognoscitur, enunciatio, & cognitio iudicatiua, non esset vera, quia res vt cognita, non esset conformis sibi secundùm se, ex qua conformitate nascitur veritas in enunciatione, vt dicetur ad octauum.

12. Respondeo ad quartum, negando antecedens: voces enim non

aliter veræ sunt, nisi vel quia sunt signa enunciationis mentalis veræ, vel quia significant rem, vt est in se: & ita in conformitate rei, vt significatur vocibus, & seipsam vt in se est, consistit veritas; non autem in conformitate rei, & vocis, etiam vt significatiuæ, quia vel nulla est, vel tantùm est, quando res vt significata, comparatur secum vt est in se.

Et per hoc patet responsio ad quintum. Imago quippe Cæsaris exterior, dicitur vera Cæsaris imago, quia Cæsar, vt per eam repræsentatur, est similis, & conformis sibi ipsi, vt existit in se. Et licet Cæsar non habeat per eam aliquod esse obiectiuum, quia illud pertinet ad potentias cognoscitiuas; habet tamen esse repræsentatiuum, in cuius adæquatione cum esse reali, consistit veritas imaginis.

Respondeo ad sextum, negando consequentiam, quia vt sæpè iam dictum est, veritas non consistit in commensuratione, & adæquatione ipsius cognitionis cum re cognita; sed ipsius rei, vt cognitæ, cum eadem secundùm se. Vel dico veritatem consistere in tali adæquatione, tanquam in causa, & proximo fundamento, ex quo oritur formalis veritas. Vnde licet cognitio scientifica, dicatur per se adæquari obiecto cognito, ab eoque regulari tanquam à propria mensura, & consequenter ab eo distingui, vt ratio talis mensuræ postulat; in hoc non consistit veritas formaliter, sed ad eam supponitur: & Authores contrarij negare non possunt in sua sententia, quin veritas distinguatur, & posterior sit, saltem ratione, huiusmodi adæquatione cognitionis cum obiecto cognito, alioquin non esset proprietas enunciationis: vnde hæc causalis est vera, *ideò vera est cognitio, quia attingit obiectum, vt est in se*, quod est ei adæquari & commensurari.

Respondeo ad septimum, veritatem, & falsitatem esse quidem suo modo in intellectu, tanquam in subiecto, quia conformitas, vel difformitas conceptus obiectiui cum re ipsa obiecta, afficiunt actum intellectus, illumque verum, aut falsum denominant, tanquam forma inhærens; siue sint quid reale, siue rationis; sed in hoc non consistit veritas, de qua hic agimus, nisi tanquam in causa, aut proximo fundamento, vt dictum est ad sextum.

13. Respondeo ad octauum, quod propositio illa causalis est vera, tanquam continens causam quasi effectiuam huiusmodi conformitatis, quæ est inter conceptum obiectiuum, & rem secundùm se: at loquendo de causa formali, aliter philosophandum est. Vt enim rectè ait Diuus Thomas loco citato prædicti opusculi 48. veritas per prius est in re vt intellecta, seu vt est obiectiuè in intellectu, quàm sit in ipsa re, vt est in sua natura, vel in intellectu, aut actu illius. Intellectus enim non dicitur verus, nisi quia apprehendit verum, & est de obiecto vero: actus verò eius dicitur verus, quia est apprehensio veri: res denique in natura sua dicitur vera, quia nata est apud intellectum causare apprehensionem conformem entitati suæ. Vnde ex Ferrar. 1. contra gent. cap. 59. § *sed circa*

ea, paulò post initium, priùs naturâ intellectus per conceptum adæquatur rei, & consequenter res est priùs naturâ vera, quam rem ipsam, secundùm quod est extra intellectum, cognoscat.

Respondeo ad nonum ex eodem Diuo Thoma, opusculo 48. citato, concedendo veritatem formalem esse relationem rationis. Si enim, inquit, veritas esset relatio realis, verum non conuerteretur cum ente, quia quod est in vno prædicamento tantùm, vt est relatio realis, non potest esse de transcendentibus: nihil autem prohibet relationem rationis esse in omnibus prædicamentis. Vide aliam solutionem num. 17.

Ad illud verò quod dicitur de verbo increato, quòd nimirùm veritas in abstracto de eo prædicetur, respondeo ex Ferrar. loco citato, cap. 60. verbum, & Deum ipsum dici veritatem in abstracto, non ratione relationis realis, vel rationis, sed ratione absoluti, in quo relatio illa fundari intelligitur: & illud, si loquamur de veritate rei, est ipsamet rei entitas, quatenus nata est facere veram de se æstimationem, seu conceptionem: & sic Deus est summa veritas, quia summam & necessariam habet conformitatem cum suo diuino intellectu, estque mensura, & origo omnis veritatis creatæ, diciturque veritas in essendo, & sua veritas sicut sua est essentia. Si verò loquamur de veritate intellectus, illud absolutum est infinita vis intelligendi Dei, quæ nunquam aberrare potest à scopo, ideoque vocatur prima veritas in cognoscendo: vel est etiam ipsemet conceptus intellectus, obiectum, vt in se est, repræsentans: & hoc etiam modo verbum est veritas, vt per se constat. Denique alio titulo dicitur etiam Deus veritas, scilicet veritas in dicendo, quæ propriè veracitas vocatur, & est veritas moralis in nobis, inclinans voluntatem ad verum loquendum. Et hæc est Deo ita naturalis, vt nihil possit loqui nisi verum

SECTIO II.

Quid sit veritas, seu conformitas illa intellectus, & rei, in qua veritas consistere dicitur.

14. PRIMA sententia asserit veritatem esse relationem, & bipartita est. Prima pars est Durandi, Heruæi, & aliorum, de quibus supra num. 2. asserentium conformitatem illam, seu veritatem esse relationem rationis. Secunda pars est aliorum existimantium esse relationem realem.

Probatur hæc sententia quatenus absolutè asserit veritatem esse relationem, primò, quia ex communi consensu veritas est conformitas: conformitas autem idem est, quod conuenientia, proportio, similitudo, quæ omnia relationem sonant.

Secundò. Proprium relationis est, vt posito fundamento & termino

resultet, & mutato termino mutetur, nullâ factâ mutatione in fundamento, vt ex Aristotele diximus q. de relatione. At sic se habet veritas: eadem enim propositio, teste Aristotele, capite de substantia, transit absque sui mutatione de vera in falsam, & de falsa in veram, mutato solùm obiecto, quod rationem habet termini.

Tertiò. Veritas non est de essentia enunciationis, quandoquidem manet enunciatio immutata, licet veritas mutetur; ergo est accidens illius, non absolutum, vt patet, quia maximè esset qualitas; non apparet autem quomodo enunciatio, quæ est actus secundus & vltimus, possit esse subiectum alterius qualitatis; ergo est accidens relatiuum.

15. Prima verò pars huius bifidæ sententiæ, quòd nimirùm veritas sit relatio rationis, videtur per se manifesta in sententia Durandi, quia est conformitas eiusdem ad seipsum secundùm aliud, & aliud esse: eiusdem autem ad seipsum non potest esse relatio realis.

Secundò: quia, vt diximus numero 13. Si veritas esset relatio realis, clauderetur in vnico prædicamento relationis, & non conuerteretur cum ente.

Altera autem pars, quòd veritas sit relatio realis, probatur primò, quia veritas est maxima perfectio intellectus, & actuum illius: vnde pertinet simpliciter ad rationem virtutis intellectualis, vt patet in scientia tum habituali, tum actuali; ergo debet esse aliquid reale.

Probatur secundò, quia ex parte rei & absque vlla fictione iudicium, quo iudicatur esse id quod est, vel non esse quod non est, denominatur, & est verum, ergo ab aliqua forma reali existente in ipso iudicio.

Denique vt supra diximus, ista relatio fundatur in mensura: huius autem generis relationes, prædicamentales sunt, vt dictum est q. de relatione, & consequenter reales.

16. Nihilominus ad supradicta facilè potest responderi; & primò quidem ad ea, quæ suadent veritatem esse relationem absolutè, non determinando an sit realis, vel rationis.

Dico igitur ad primum argumentum, nomen conformitatis posse re vera sumi pro relatione: sed in hac materia tantùm indicare intentionalem repræsentationem obiecti, ratione cuius res ita percipitur sicut in se est; non verò propriam & formalem similitudinem, quæ vera relatio dici possit. Adde quòd, etiam si consurgat relatio inter cognitionem, & obiectum, in ea tamen non consistit veritas, sed in adæquatione cognitionis cum obiecto, vt ita repræsentetur sicut in se est; quæ adæquatio antecedit ordine naturæ omnem relationem, siue realem, siue rationis.

Ad secundum respondeo veritatem maximè relationem imitari in hoc quòd sicut relatio mutato termino, mutatur inuariato fundamento; ita veritas mutato obiecto mutetur absque mutatione cognitionis: sed nego ipsam propterea relationem esse, quia hoc non prouenit ex partici-

patione

patione eiusdem naturæ, sed ex similitudine dependentiæ veritati ab ob-jecto, & relationis a suo termino.

Ad tertium concedo veritatem non esse de essentia enunciationis; nego tamen esse ideò accidens relatiuum illius: sed quia, vt dicemus in tertia sententia, veritas actualis, & formalis præter actum cognitionis, connotat obiectum ita se habens, sicut enunciatur, & ipsum obiectum potest mutari; ideò consequenter veritas mutari potest absque eo quòd subsstantia actus varietur. Vnde veritas, licet non sit proprium accidens, siue relatiuum, siue absolutum, ab ipso actu distinctum: tamen ratione obiecti connotati se habet ad modum quinti prædicabilis, quod abest, & adest, absque subiecti interitu. Verbi gratia: dum quis format istam enunciationem, *Petrus sedet*, eo sedente, verum dicit: eo verò statim surgente; propositio non est amplius vera, sed transijt in falsam, mutato solùm obiecto extrinseco. Si tamen enunciatio esset de obiecto & materia necessaria, qualis est enunciatio scientifica, veritas formalis, & actualis eius, haberet se ad modum proprietatis inseparabilis, & necessariò coniunctæ cum essentiali, & specifica perfectione, siue differentia ipsius iudicij.

17. Ex his soluta manent argumenta vtriusque partis, prædictæ sententiæ: quia, si veritas non est relatio, frustrà probare nituntur eam esse relationem rationis, vel realem. Operæ tamen pretium est ea soluere, vt quæque pars ab opposita se tueatur.

Ad primam ergo rationem sententiæ Durandi, & aliorum, dico hujusmodi conformitatem ejusdem ad seipsum, non esse relationem similitudinis formalis, sed intentionalem repræsentationem rei, ratione cuius res ipsa percipitur vt in se est: vnde quamuis intellectus comparet rem vt intellectam, ad seipsam vt est in se, & in illa comparatione quandam relationem effingat; in ea tamen non est sita veritas, sed in hoc quòd res repræsentetur seu apprehendatur vt est; ex quo sequitur quòd vt intellecta, similis sit sibi ipsi vt est in se: quæ similitudo est aliquid veritate posterius.

Potest etiam dici, esse obiectiuum rei sufficienter esse distinctum ab esse eiusdem rei secundùm se, vt inter vtrumque relatio realis subsistat: etenim res quæ intelligitur, accipit quoddam esse nouum ab intellectu, quod vocatur *esse repræsentatiuum*, *esse ideale*, *esse obiectiuum*, *esse imaginis*, quod vt coniunctum cum ipso intellectus conceptu, distinguitur ex parte rei à re ipsa secundùm se sumptâ; & ita potest terminare relationem conformitatis eius, & ad ipsam simili relatione tendere: pro quo vide sectionem 10. de relatione, num. 103.

Ad secundam respondeo concedendo veritatem formalem claudi in vnico prædicamento relationis realis. Quando autem dicitur verum cum ente conuerti, intelligi debet de vero transcendentali, vt diximus n. 7. Adde quòd possunt effici enuntiationes veræ in quouis prædica-

mento : & ita veritas ratione obiecti, seu materiæ, est de transcedentibus, sicut relatio prædicamentalis vagatur per omnia prædicamenta ratione rerum, inter quas reperiri potest.

18. Ad argumenta alterius partis, quòd veritas sit relatio realis, sic respondeo, ad primum quidem, veritatem sumptam pro relatione, non esse perfectionem simpliciter ipsius intellectus, nec actuum eius : sed si sumatur pro fundamento talis relationis, nimirum pro adæquatione intellectus, actuumque eius cum obiecto, aliquando erit perfectio simpliciter, quando scilicet iudicium, siue actus intellectus ex essentiali & specifica sua differentia, seu perfectione habet vt sit conformis obiecto ; cuiusmodi est actus scientiæ, actus fidei supernaturalis. Aliquando verò erit tantùm perfectio secundùm quid, quando nimirum actus ex intrinseca sua ratione non habet indefectibilem, & necessariam conformitatem cum obiecto, sed potiùs aliquam imperfectionem incerti, confusi, obscuri, intrinsecè includit, vt est opinio. Relatio verò, quæ ex huiusmodi adæquatione dicitur consurgere, nihil addit perfectionis intrinsecæ ipsi actui.

Ad secundum dico denominationem veri conuenire iudicio absque fictione : non tamen peti à relatione illa actuali, sed à commensuratione, & adæquatione eius cum obiecto, vt dixi in responsione ad 9. num. 13.

Respondeo ad tertium, relationes, quæ fundantur in mensura, aliquando reales esse, aliquando non, vt explicatum est num. 52. & 90. de relatione. Nam in ista enunciatione, *chimæra est ens fictum*, reperitur veritas realis : & tamen non est in ea relatio realis ad obiectum, quia entis ad non ens non est relatio realis, saltem prædicamentalis, vt ibi diximus. Veritas autem debet esse eiusdem rationis in omnibus ; & consequenter non debet esse posita in relatione reali ; siue alioquin resultet inter conceptum, & obiectum, siue non.

19. Secunda sententia videtur esse Soncinatis 6. Metaph. q. 17. & Capreoli in 1. d. 19. q. 3. concl. 3. existimantium veritatem esse aliquid reale, & absolutum in actu cognitionis. Licet enim velint veritatem includere etiam respectum, nolunt tamen ipsum esse prædicamentalem, sed *secundùm dici*.

Probatur autem hæc sententia primò, quia, vt iam dicebamus, veritas est perfectio simpliciter ipsius intellectus, actuumque illius ; quæ perfectio non potest prouenire à relatione, cùm proprius eius conceptus non sit perficere subiectum in se, sed ordinare ad aliud. Secundò, quia in hoc iudicio *chimæra est ens fictum* est veritas realis absque relatione reali iudicij ad chimæram, quia entis ad non ens non est relatio realis : & veritas debet esse eiusdem rationis in omnibus. Tertiò, patet in veritate intellectus diuini. Nam si cognitio eius comparetur ad primarium obiectum, nempe ad essentiam diuinam, non distinguitur ex parte rei ab illa, & sic non est relatio realis inter vtrumque ; si verò comparetur ad crea-

turas, non potest referri realiter ad illas; est ergo aliquid absolutum.

Ad hæc respondetur sicut responsum est numero præcedenti, videlicet judicium denominari verum absque fictione, ratione adæquationis eius cum obiecto, quæ est fundamentum relationis veritatis, & quasi veritas radicalis. Item veritatem esse perfectionem intellectus, si sumatur pro veritate radicali, seu pro huiusmodi adæquatione cum obiecto. Ad tertium dicitur in illa propositione, *chymæra est ens rationis*, esse veritatem realem ex parte eiusdem adæquationis, quia intellectus iudicat rem vt est; sed loquendo de formali veritate, hæc est relatio rationis, vt explicatum est in sententia Durandi: & similiter veritas diuini intellectus; quæ tamen sumpta radicaliter, est summa perfectio in Deo, vt dictum est numero 13.

Potest etiam dici veritatem formalem in communi dicere relationem, abstrahendo à reali & rationis; & deinde esse realem in ijs, in quibus reperiuntur necessariæ conditiones ad relationem realem, de quibus qu. de relatione: in alijs autem esse relationem rationis, vt in Deo, vel circa non ens, vel non existens.

20. Tertia sententia est Suaris disput. 8. Metaph. sect. 2. num. 5. & sequentibus, veritatem non esse aliquid superadditum intrinsecè ipsi iudicio, siue relatiuum, siue absolutum, sed esse ipsum actum cognitionis, connotando obiectum sic se habens, sicut cognoscitur. Et hæc sententia est valde probabilis, quam sic declaro.

Veritas est conformitas inter actum intellectus, & rem intellectam, ex communi modo dicendi: sed hæc conformitas non est aliquid distinctum ab actu intellectus, ergo neque veritas. Probatur minor, quia illa conformitas consistit in repræsentatione obiecti sicuti est; sed actus intellectus per se immediatè repræsentat obiectum sicuti est; ergo per se immediatè est conformis obiecto absque vlla entitate, ipsi superaddita. Minor patet, quia si actus intellectus non repræsentaret per se immediatè obiectum sicuti est, esset per se difformis obiecto, & consequenter formaliter falsus.

Secundò actus intellectus in se solitariè consideratus, est obiecti cognitio, antequam concipiatur illi aduenire aliqua relatio, aut aliquid aliud. Priùs enim debet cognosci obiectum, quam concipiatur referri ad potentiam cognoscentem, vel contra, quia hæc relatio fundatur in cognitione. Vel ergo in illo priori repræsentat obiectum vt in se est, vel non? si non: ergo illi difformis est, & consequenter falsus. Si repræsentat: ergo verus est per se absque vllo addito. Et ita illa conformitas non erit quid distinctum ab ipso actu, obiectum, vt in se est, attingente.

21. Quod autem veritas præter actum intellectus, connotet obiectum ita se habens, sicut per actum repræsentatur; probatur quia actum esse verum, dicit aliquid amplius quàm esse actum simpliciter: vnde, cum non dicat aliquid ipsi superadditum, siue absolutum, siue relatiuum, vt

iam oſtenſum eſt, reliquum eſt vt addat connotationem, ſeu concomitantiam obiecti, eo modo ſe habentis ſicut intelligitur, ſeu iudicatur: quo fit vt mutato obiecto enunciatio tranſeat de vera in falſam, nullâ factâ mutatione in enunciatione ipſa. Si enim veritas præter actum intellectus non includeret obiectum, eo modo ſe habens ſicut concipitur, non mutaretur ſolo obiecto mutato.

Si quis autem pertinaciùs iſti ſententiæ repugnare voluerit, dicet actum intellectus, attingentem obiectum vt in ſe eſt, eſſe verum radicaliter, & fundamentaliter, non verò formaliter, donec relatio formalis conformitatis acceſſerit: ſicut duo alba in eodem gradu, non ſunt formaliter ſimilia per albedines, ſed per relationes ſuperadditas: & huiuſmodi repræſentationem obiecti ſicuti eſt, eſſe ſolummodo veritatem radicalem, non formalem.

SECTIO III.

Vtrum in ſimplici mentis apprehenſione ſit veritas formalis.

22. EX occaſione tractationis de veritate enunciationis, oritur difficultas, vtrum in ſimplici mentis apprehenſione reperiatur quoque veritas, & falſitas formalis, de qua nobis aliqua dicenda ſunt duabus ſequentibus ſectionibus. Itaque prima ſententia aſſerit non ſolùm in ſecunda mentis operatione, hoc eſt in compoſitione, & diuiſione veritatem formalem reperiri, ſed etiam in ſimplici mentis apprehenſione. Ita Ferrarienſis primo contra gentiles cap. 59. & 60. Soncinas 4. Metaph. cap. 2. q. 17. Fonſeca q. 6. ſectione 4. Conimbricenſes primo de interp. cap. 1. q. 5. art. 2. & alij.

Probatur primò hæc ſententia ex Ariſtotele lib. 3. de anima, cap. 6. textu 26. vbi expreſſis verbis dicit intellectum cognoſcentem quidditatem rei abſque affirmatione, vel negatione, verum eſſe, ſicut viſio proprij ſenſibilis vera eſt, vt ante aſſeruerat, lib. nimirùm 2. cap. 6. textu 63. Item 9. Metaph. cap. vltimo, dicit veritatem eſſe in ſimplici cognitione, quatenus apprehenditur res ſecundùm propriam naturam, & quidditatem.

Probatur ſecundò: veritas formalis eſt conformitas, & adæquatio cognitionis cum re cognita, vt viſum eſt ſupra; ſed inter ſimplicem apprehenſionem, attingentem rem vt eſt, & ipſam rem apprehenſam eſt talis conformitas, & adæquatio; ergo in ea eſt veritas. Probatur minor. Simplex apprehenſio eſt cognitio alicuius rei. Vel ergo talis res repræſenta-

tur per talem cognitionem, vel non? si non: ergo non cognoscitur, nec est obiectum illius, contra suppositionem: si repræsentatur, ergo illi conformatur & adæquatur; quia inter repræsentans, & repræsentatum conuenientia quædam necessariò interuenit. Vnde Aristoteles 3. de anima cap. 8. textu 37. dixit animam intelligendo fieri omnia, quia per repræsentationem omnibus conformatur.

Probatur tertiò ex communi modo loquendi. Ille enim verum de homine dicitur formare conceptum, qui illum apprehendit vt animal rationale. Quare sicut verum aurum dicitur illud, quod habet propriam auri naturam, ita verus auri conceptus dici debet, qui conformis est intentionaliter, & quoad repræsentationem vero auro, quia res omnis, quæ suæ mensuræ adæquatur, propriè vera dicitur: illius autem cognitionis mensura est illud verum aurum.

Probatur quartò, quia in cognitione diuina, & angelica est perfectissima veritas; & tamen nulla est in ea compositio, nulla diuisio; ergo veritas quoque erit in cognitione nostra simplici.

23. Hæc & similia argumenta facilè diluentur, si priùs adnotatum fuerit, duplicem in intellectu posse distingui veritatem transcendentalem; alteram quatenus est ens, & per comparationem ad suum exemplar, quod in mente diuina residet; & hæc est illi communis cum cæteris entibus, vt explicuimus num. 1. Altera conuenit illi quatenus est cognoscens formaliter & per comparationem ad suum obiectum, tanquam ad mensuram, & regulam cognitionis eius: vnde si illud attingat, & cognoscat vt est, vera erit eius cognitio. Hanc autem veritatem à priori diuersam esse, ex eo constat, quòd prima est ab eo inseparabilis. Siue enim cognoscat obiectum vt est, siue non, semper eius cognitio habet veram essentiam, & naturam cognitionis, & ideò conformis est ideæ diuini intellectus. Vnde licet ista propositio, *homo est equus*, careat secundâ veritate, & ex hoc simpliciter falsa sit: tamen cùm veram habeat propositionis essentiam, & regulis Dialecticæ conformis sit, atque ideæ propositionis quæ in diuina mente subsistit, vera est veritate communi cæteris entibus, vt rectè docet Diuus Thom. 1. p. q. 16. a. 8. ad 3.

Cæterùm authores iam allatæ sententiæ vocant secundam veritatem, quæ conuenit intellectui per comparationem ad obiectum, veritatem formalem, siue sermo sit de simplici apprehensione intellectus, siue de secunda eius operatione, seu iudicio. Qui autem nolunt veritatem formalem conuenire simplici apprehensioni, vocant istam veritatem, etiam transcendentalem, quia sicut res quælibet naturalis dicitur vera veritate transcendentali ex eo quod assequitur similitudinem diuini exemplaris, seu ideæ, tanquam propriæ regulæ, & mensuræ: & sicut domus dicitur vera domus veritate similiter transcendentali, quia conformis est ideæ Architecti, tanquam propriæ mensuræ: ita intellectus quatenùs cognoscens est, debet dici verus veritate transcendentali in ordine ab obje-

ctum, quando habet similitudinem eius, seu quando cognitio eius conformis est ipsi obiecto cognito, quia tunc obiectum habet rationem regulæ, & mensuræ respectu talis cognitionis. Et hæc veritas conuenit non solùm iudicio, sed etiam simplici apprehensioni intellectus, quando attingit obiectum vt in se est.

24. Vnde præter hanc veritatem, conuenientem intellectui per comparationem ad obiectum, & inquantum est cognoscens, admittunt isti Authores aliam, quam formalem vocant, eamque denegant simplici apprehensioni, quia verum formale ex Diuo Thoma, eodem loco, importat verum, vt cognitum: intellectus autem per simplicem apprehensionem non cognoscit verum.

Dices: talis conformitas simplicis apprehensionis cum obiecto, potest cognosci ab intellectu per alium actum reflexum simplicis apprehensionis: cùm enim sit quoddam ens, est intra latitudinem obiecti illius: ergo tunc veritas in tali conformitate consistens, erit in intellectu simplici vt cognita.

Respondetur vt supra numero 38. quæstionis præcedentis, intellectum cognoscere huiusmodi conformitatem apprehensione simplici, quidditatiuè, quod est cognoscere per modum simplicis expressionis: non verò denominatiuè, quod est cognoscere se esse actualiter conformem rei, & habere cum ea comparationem, seu æqualitatem, quod includit iudicium, & compositionem. Vide quartam, & quintam rationem sequentis sententiæ, vnde eruitur alia solutio.

25. Ex quibus soluta manent omnia argumenta superiùs allata. In primo enim Aristoteles loquitur de veritate transcendentali per ordinem ad obiectum: vnde veritas potest esse in sensu, & intellectu apprehendente *quod quid est*, tanquam in re vera, vt loquitur D. Thomas loco iam citato primæ partis, non tanquam cognitum in cognoscente, quod importat nomen veri formalis.

Ad secundum dicitur conformitatem cognitionis cum re cognita, esse veritatem etiam transcendentalem, nisi talis conformitas cognoscatur, quod solum conuenit intellectui componenti, & diuidenti.

Ad tertium eodem modo respondetur simplicem conceptum auri, esse verum conceptum, veritate transcendentali in ordine ad obiectum, tanquam ad mensuram; non autem veritate formali.

Ad quartum dico cognitionem angelicam & diuinam, quantumuis simplicem, æquipollere nostro iudicio, & ideo veritatem formalem in ea reperiri, non in nostra.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

26. SECVNDA sententia negat veritatem formalem reperiri in simplici mentis apprehensione, solumque secundæ & tertiæ conuenire contendit. Ita Caietanus 1. p. qu. 16. art. 2. Blasius à Conceptione disp. 23. Metaph. q. 1. vbi vult opinionem hanc communem esse Thomistarum: eandem insinuat Durandus in 1. d. 19. q. 5. num. 14.

Probatur primò ex Arist. multis in locis, l. 1. de interpr. c. 1. expresè asserit in conceptu simplici, & in simplici voce, nec veritatem esse, nec falsitatem *sed verum, falsumque* inquit, *in compositione, diuisioneque consistit.* libro 3. de anima, cap. 6. textu 22. ait *falsitas enim in compositione semper consistit.* Et idem insinuat de veritate. Et initio eiusdem capitis textu 21. inquit *at in quibus iam falsitas, & veritas inest, in hisce compositio quædam iam est conceptuum intellectus.* Et 6. Metaph. c. 3. sub finem, ait circa simplicia, & *quod quid est*, non esse veritatem, neque in intellectu, neque in rebus. Idem alibi sæpè.

Confirmatur authoritate Diui Thomæ 6. Metaph. lect. 4. initio, vbi ait, *voces incomplexæ neque verum neque falsum significant... & cum voces sint signa intellectuum, similiter dicendum est de conceptionibus intellectus: quæ enim sunt simplices, non habent veritatem neque falsitatem; sed solum illæ quæ sunt complexæ per affirmationem, vel negationem.* Et 1. p. q. 16. art. 2. in fine *propriè loquendo veritas est in intellectu componente, & diuidente: non autem in sensu neque in intellectu cognoscente quod quid est.* Idem habet, 1. contra gent. cap. 59. ratione prima: & q. 1. de veritate, art. 3. & alibi.

27. Probatur secundò ex communi hominum sensu, & existimatione. Neque enim dicimus illum qui profert simplex vocabulum, vt *hippocentaurus*, verum aut falsum dicere, vt expresè etiam docet Aristoteles cap. 1. de interpretatione. Si verò addat *hippocentaurus est homo*, statim dicimus ipsum errare, & falsum proferre.

Probatur tertiò: in simplici cognitione non est falsitas; ergo neque veritas. Antecedens patet ex Aristotele 2. de anima c. 6. textu 63. lib. 3. c. 6. textu 21. lib. 4. Metaph. c. 5. textu 24. Consequentia etiam clara est, quia veritas & falsitas contraria sunt: contraria autem eidem subiecto viciſſim inesse possunt, ex eorum definitione.

Probatur quartò. Vltima perfectio intellectus est veritas vt cognita: in eam quippe tendit tanquam in terminum, quo adepto conquiescit: ergo debet attingi per nobilissimam eius operationem, quia finis, & vltimus terminus cuiuslibet rei, pertinere debet ad vltimum, & perfectissimum eius motum, cùm fine possesso, cesset omnis motus: at perfectissimus motus, seu operatio intellectus est iudicium, non verò simplex

apprehensio: ergo veritas formalis reperiri debet in secunda mentis operatione, non verò in prima.

Omnia constant præter vltimam minorem, quæ tamen facilè probatur primò, quia non quiescit intellectus in simplici apprehensione rei, sed vlterius tendit ad ferendum de ea iudicium: vnde simplex apprehensio, naturâ suâ ordinatur ad secundam: ideoque est imperfectior illa. Imo tertia operatio, seu discursus ministrat iudicio, & ad ipsum ordinatur, quia intellectus non discurrit, nisi vt perfectum de re iudicium formet: & ideo quia Angeli simplici cognitione æquiualente iudicio perfectè cognoscunt quidquid in rebus existit, non egent discursu. Secundò, quia vt ait D. Thomas primo contra gent. cap. 59. ratione tertiâ, sicut in naturalibus simplicia sunt in potentia respectu mixtorum, & partes respectu totius; ita intellectus apprehendendo incomplexa, adhuc est in potentia respectu compositionis, vel diuisionis, ac proinde nondum pertingit ad vltimam sui perfectionem in intelligendo.

28. Probatur quintò: veritas formalis est adæquatio, & conformitas intellectus cum re cognita, vt etiam vult opposita sententia: sed in simplici apprehensione non reperitur talis adæquatio; reperitur autem in iudicio: ergo in iudicio, non verò in simplici apprehensione, reperitur veritas formalis. Probatur minor, quia tunc est adæquatio intellectus cum re intellecta, quando gradus in re existentes, vt gradus entis, substantiæ viuentis, animalis representantur intellectui eo modo quo sunt in ipsa re; hoc est, vt coniuncti, & vniti inter se: at sic non repræsentantur per simplicem apprehensionem: hæc enim huiusmodi gradus præcisiuè, & abstractiuè tantummodo attingit, nunc vnum, nunc alium; neque eos inter se, aut cum re ipsa componit, sed hoc pertinet ad secundam mentis operationem, seu propositionem, in qua reperitur verbum connectens prædicatum cum subiecto: ergo in secunda mentis operatione reperitur prædicta adæquatio, & consequenter veritas formalis, non autem in prima.

Probatur sextò. Quia, vt rectè docet D. Thomas, 1. p. q. 16. art. 2. & q. primâ de veritate, articulo 3. tunc res vera est quando habet formam naturæ suæ propriam. Forma autem propria intellectus, quatenus est cognoscens, est similitudo rei cognitæ, per quam adæquatur, & conformatur illi intentionaliter, & repræsentatiuè: ergo tunc erit verus quando huiusmodi similitudinem, & adæquationem assequitur: & hæc omnia sunt clara, & à contrarijs etiam Authoribus concessa. Atqui prædicta similitudo, & adæquatio non habet rationem formæ propriæ intellectus, quatenus cognoscens est, nisi quando iudicat; ego in eo non reperitur veritas formalis, nisi per iudicium, & secundam operationem.

29. Probatur assumptum primò, quia propria forma cuiusque rei attendi debet ex eo quod est præcipuum in illa re: iudicium autem est præcipua forma, seu præcipua operatio ipsius intellectus, vt cognoscens est,

sicut

ſicut oſtendit quarta ratio. Secundò, quia forma non cenſetur propria alicuius rei, quando eſt communis illi cum alijs rebus: conformitas autem & adæquatio, quam habet intellectus cum obiecto per ſimplicem apprehenſionem, eſt illi communis cum viſu, phantaſia, cæteriſque potentijs cognoſcitiuis; quam vero habet per iudicium, illi propria eſt, eique conuenit prout à cæteris potentijs cognoſcitiuis diſtinguitur, & quatenus modo ſibi proprio operatur, & intelligit: ergo verus tantùm denominari poteſt veritate ſibi propriâ & formali, quando iudicat de obiecto cognito.

Ex his colligitur, ad veritatem formalem tria neceſſariò requiri. Primùm eſt, vt ſimilitudo obiecti ſit in eo quod verum nominatur; vnde veritas formalis non poteſt eſſe in rebus non cognoſcentibus. Secundum, vt illa ſimilitudo cognoſcatur ab habente illam; defectu cuius veritas formalis non eſt in ſenſibus. Tertium, vt cognoſcatur non ſolùm in actu ſignato, quidditatiuè, & abſtractiuè; ſed etiam denominatiuè, comparando formam illam cum obiecto, & iudicando illi eſſe conformem, & adæquatam: quod cum non competat ſimplici apprehenſioni, non poteſt in ea eſſe veritas formalis, niſi materialiter, inchoatiuè, & ſeminaliter, quatenus ſimplices apprehenſiones, ſeu conceptus ſunt materia, ex qua conſtituitur propoſitio, vel circa quam intellectus verſatur, quando iudicat, & propoſitionem efformat, cognoſcendo in actu exercito conformitatem, & adæquationem ſui cum obiecto, & ita attingendo veritatem formalem.

TERTIA PARS SECTIONIS.

Soluuntur allatæ rationes.

30. SVPRADICTAE rationes efficaces apparent, & totum negotium confeciſſe videntur. Nihilominus, quia prima ſententia probabilitate non caret, earum ſolutionem hic tradere non piguit: igitur.

Reſpondeo ad primam, quæ ex authoritate Ariſtotelis ſumpta eſt, ſufficienter apparere ex locis in prima ſententia allatis, Ariſtotelem non denegare ſimplici apprehenſioni veritatem formalem per ordinem ad obiectum, cùm eam ſenſibus etiam tribuat: & malè à ſecunda ſententia eam vocari tranſcendentalem, cùm ei non conueniat vt res eſt, & per ordinem ad ideam diuini intellectus, ſicut cæteris rebus, ſed vt cognitio eſt, & per ordinem ad obiectum. Deinde vt notatum eſt numero 23. talis veritas maximè diuerſa eſt à prima, quia inſeparabiliter ineſt cognitioni, iſta autem facilè mutatur, quod eſt contra communem intelligentiam rationis tranſcendentalis, quæ rem ſemper comitari ſolet.

Tantùm ergo vult Aristoteles veritatem formalem complexam reperiri in compositione, & diuisione: incomplexam verò, & simplicem in simplici apprehensione. Illa complexa dicitur, quia ex coniunctione vnius cum alio per iudicium nascitur: hæc verò simplex, quia simplicem conformitatem imaginis cum obiecto, & prototypo significat, aut conceptuum compositione caret. Et quia complexa perfectior videtur, eo quòd securiorem reddit intelligentem, & cognitionẽ obiecti ampliorem importat, ideò quandam analogiam inducit comparata ad veritatem incomplexam: ex quo fit vt nomine veritatis absolutè prolato significetur veritas complexa, sicut nomine entis, substantia, quia ex communi dialecticorum regula, nomen analogi absolutè, & absque moderatione prolatum supponit pro principali. Nec aliud vult Aristoteles, aut Diuus Thomas locis allegatis.

Aliam habet solutionem Ferrariensis 1. contra gent. cap. 59. versus finem, §. *ad dubium ergo motum dicitur*. Videlicet veritatem posse esse in aliquo duobus modis, primò subiectiuè tanquam formam in subiecto, & sic est in sensu, & simplici apprehensione. Secundò obiectiuè, hoc est, tanquam cognitam, & sic est in sola compositione, & diuisione. Vnde quoties Aristoteles, & D. Thomas dicunt veritatem pertinere ad compositionem, & diuisionem intellectus, loquuntur de veritate, vt cognitâ. Et ratio est, quia quando dicimus veritatem esse in intellectu cognoscente, propriè significatur, quòd est in eo, vt cognita, seu quòd ab eo cognoscitur. Hoc autem conuenit illi tantùm in compositione, & diuisione, vt explicabitur sectione quintâ.

31. Respondeo ad secundam, aliud esse dicere verum, & aliud verum formare conceptum. Nam verum dicere, est affirmare aliquid esse, vel non esse, vt supra tetigimus; & hoc solùm fit in compositione: formare autem verum conceptum est elicere conceptum, conformẽ, rei intellectæ quod contingit etiam in simplici apprehensione. Idemque valet in simplici voce, quæ veritatem habet simplicem quatenus conformatur suo significato, seu prout est signum veri conceptus formalis, aut obiectiui. Nam hæc vox *homo*, significat verum hominem, & est verum illius signum: alioquin non posset inducere intellectum ad verum conceptum hominis.

Respondeo ad tertiam, quidquid sit de antecedente, quod citò examinabimus, negando consequentiam: ad cuius probationem dici potest veritatem, quæ est in simplici apprehensione, carere contrario, essque diuersam à veritate, quæ est in compositione, sicut ipsa compositio à simplici apprehensione diuersa est. Vnde, licet error, & deceptio veritati compositionis contrarientur, nulla tamen est falsitas opposita veritati simplici. Cuius ratio est, quia inter intellectum simplicem, & obiectum cognitum necessariò reperiri debet positiua conformitas in ratione repræsentantis, & repræsentati: ergo non potest reperiri difformitas positiua, quæ esset falsitas opposita, quia si repræsentatur, est conformitas, & si non repræ-

sentatur, non est obiectum, & sic est tantùm differmitas negatiua, hoc est, non repræsentatio rei, quæ non est obiectum. Vnde non potest vocari propriè falsitas, alioquin idem actus haberet infinitum numerum falsitatum respectu eorum, quæ non repræsentaret, & quæ non essent eius obiecta.

Adde quòd non est opus vt in omni subiecto, in quo vnum contrarium existit, possit etiam aliud inesse. Nam scientia ob euidentiam obiecti, tantâ vi inhæret intellectui, vt non patiatur contrarium errorem introduci. Denique, vt dicitur in definitione contrariorum, quando vnum contrarium inest à natura, alterum inesse non potest: veritas autem potest dici naturalis, respectu simplicis apprehensionis.

32. Respondeo ad quartam, concedendo veritatem, vt cognitam: esse maiorem perfectionem in intellectu, quam non cognitam, atque adeò debere attingi per nobiliorem operationem, hoc est judicium: sed non inde sequitur, quòd veritas, quæ est in prima operatione, non sit aliqualis perfectio intellectus, aut quòd non sit aliqualis veritas formalis, licet non ita perficiat intellectum, ac dum cognoscitur per iudicium.

Adde ex Ferrariensi citato capite 59. sub finem, simplicem apprehensionem, & compositionem posse dupliciter comparari: primo inter se in ratione cognitionis; secundò in ordine ad rem intellectum, vt scilicet sint cognitiones eiusdem rei; primo modo simplex apprehensio perfectior est, inquit, quia simplicior est, & intima rei penetrat, quia proprium illius obiectum censetur esse quidditas rei. Secundo modo, cognitio complexa perfectior est simplici, quia per simplicem non cognoscuntur omnia quæ sunt in re, benè autem per complexam, quæ hoc modo simplicem includit.

Respondeo ad quintam. Duplicem posse esse adæquationem intellectus cum re intellecta; aliam completam, & perfectam; aliam incompletam. Hæc conuenit primæ apprehensioni; illa iudicio & compositioni. Licet enim simplex apprehensio, concipiendo animal rationale in homine, non vniat vtrumque, aut inter se, aut cum homine (quod tamen infra examinabimus) verè apprehendit animal, & rationale iuxta propriam rationem vtriusque: & ita vtrique est adæquata, atque adeò vera. Quod autem ambo non vniat, tantùm probat, eam non attingere omnia, quæ sunt in re, secundùm omnes rationes & conditiones, & ita non habere completam, & omnimodam adæquationem cum re, sicut judicium.

33. Respondeo ad sextam, negando assumptum: ad eius primam probationem concedo propriam, & perfectam formam cuiusque rei attendi debere ex eo quòd est præcipuum in illa re: sed forma propria, minùs perfecta, potest attendi ex eo quòd in re illa minùs præcipuum est. Vnde similitudo, & adæquatio completa, & perfecta intellectus cum re cognita, attenditur ex judicio: incompleta verò, & minùs perfecta, attenditur ex simplici apprehensione.

Ad secundam eiusdem assumpti probationem dico judicium esse etiam commune homini cum Angelis; itavt sit etiam simplex qualitas in vtrisque, ex probabili sententia. Vnde ex hac parte simplex apprehensio, & similitudo obiecti per eam acquisita, est forma magis propria homini quàm iudicium, vel similitudo obiecti comparata per iudicium. Deinde adæquatio cum re cognita, alio modo conuenit intellectui simplici, & alio visui, cœterisque sensibus: quia sensus in exterioribus tantùm accidentibus occupantur; intellectus verò interiorem quidditatem attingit. Denique visus, inquantum est adæquatus obiecto, & illius similitudinem habet, denominatur verus; ergo talis adæquatio debet esse forma eius propria, juxta rationem prædictam: & tamen est illi communis cum auditu, cœterisque sensibus. Infirma ergo est illa ratio.

SECTIO IV.

Vtrum falsitas in simplici apprehensione reperiatur.

34. PRIMA sententia est quorundam recentiorum supra primam partem Diui Thomæ quæst. 17. in simplici apprehensione reperiri falsitatem æquè, ac veritatem. Probatur primò. In cognitione sensus potest esse falsitas: ergo & in simplici apprehensione intellectus. Consequentia est clara, quia vtrobique est simplex & incomplexa cognitio, & similis omninò modus attingendi obiectum: vnde Aristoteles 3. de anima cap. 6. textu 26. comparat intellectum in cognitione simplicium cum visu. Deinde simplex apprehensio obiectum attingit iuxta quod sensus annunciant: ergo si sensus fallitur, necesse est ipsam quoque falli. Nam simili ratione probat idem Aristot. eodem lib. textu 161. imaginationem falli, quia sensus, vnde haurit species, interdum fallitur.

Probatur verò antecedens ex eodem textu 161. Vbi expresè dicit Aristoteles sensum propriorum sensibilium esse verum, aut rarò admodum suscipere falsitatem. In sensu verò circa sensibilia communia, vt circa motum, & magnitudinem, maximè errorem, deceptionemque fieri, & contingere posse. Idemque docet D. Thomas 1. parte q. 17. art. 2. quòd scilicet circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi per accidens, & in paucioribus ex indispositione organi: *de sensibilibus verò communibus & per accidens* inquit, *potest esse falsum iudicium sensus, etiam sensu rectè disposito.* Præter quam authoritatem adest experientia: nam lingua bili infecta percipit dulcia vt amara: color rubeus nocte, vel à loco remoto visus, apparet niger: quadrata videntur rotũda &c.

Probatur secundò: in simplici apprehensione reperitur inadæquatio, & difformitas cum obiecto; ergo in ea reperitur falsitas. Consequentia

est euidens, quia de oppositis philosophandum est modo opposito. Cum ergo veritas simplicis apprehensionis consistat in conformitate, & adæquatione eius cum re cognita: si in ea reperiatur difformitas, & inadæquatio cum obiecto, reperietur & falsitas. Vnde D. Th. loco citato primæ partis art. 4. ait quod *sicut Verum ponit acceptionem adæquatam rei: ita falsum acceptionem rei non adæquatam.*

Probatur vero antecedens primò experientiâ; nam præsente aurichalco intellectus sæpè format simplicem cognitionem veri auri: & similiter cognitionem simplicem Solis, quasi bipedalis, cùm tamen sit totâ terrâ maior. Secundò probatur ratione, quia non aliunde potest prouenire deceptio, & error in secunda intellectus operatione, quàm ex deceptione primæ. Si enim simplices conceptus essent conformes rebus conceptis, iudicium non erraret in ferenda de illis sententia. Denique, vt iam dicebamus, simplex apprehensio res obiectas attingit iuxta impressiones factas in sensibus externis, & in imaginatione. Cùm ergo sensus, & imaginatio sæpè fallantur, vt dictum est in primo argumento, ex eo quòd obiectorum species imperfectè in eis imprimantur, ex quo omnis ferè deceptio radicem, & ortum habet: necesse est, vt in prima apprehensione sæpè contingat inadæquatio, & difformitas cum rebus obiectis.

35. Probatur tertiò. In rebus reperitur simplex falsitas: ergo & in simplici cognitione intellectus potest reperiri. Antecedens probatur primò ex Arist. 5. Metaph. cap. 29. text. 34. quem citat D. Th. 1. parteq. 17. art. 1. vbi ait falsa esse, *quæ apta nata sunt apparere qualia non sunt, aut quæ non sunt,* quomodò aurichalcum habet similitudinem auri, & stannum argenti. Secundò artefacta quæ deficiunt à forma artis, nec assequuntur ideam, & exemplar, existens in mente artificis, dicuntur falsa, vt docet ibidem D. Thomas; quomodo falsa domus dicitur, quæ non est conformis regulis artis domificatoriæ, & ideæ architecti.

Consequentia verò ostenditur, quia sicut res falsa dicitur per simplicem difformitatem, quam habet cum intellectu, seu cum propria idea, quia hæc est mensura, & regula illius: ita, cùm obiectum sit mensura, & regula simplicis apprehensionis intellectus, si ei non adæquetur, & commensuretur, erit illi difformis, ac proinde falsa. Quòd autem sæpè non adæquetur obiecto, patet ex allatis exemplis aurichalci, stanni &c.

Denique in simplici apprehensione reperitur veritas, ergo & falsitas reperiri potest, quia contraria sunt circa idem subiectum.

36. Pro solutione prædictorum, nota primò ex Ferrariensi 1. contra gent. cap. 59. §. *pro intelligentia eorum quæ in secundo dubio tanguntur*: duobus modis intelligi posse in simplici apprehensione reperiri falsitatem, scilicet per se, vel per accidens. Per se quidem, si ex propria eius ratione illi conueniret difformitas cum suo obiecto: per accidens verò, si per aliquam rationem extrinsecam, illi adiunctam, scilicet compositionem, vel diuisionem. Et hoc modo Diuus Thomas capit

citato contra gentiles ratione secundâ ait intellectum simplicem, attinguendo quidditatem, siue definitionem rei, esse per accidens falsum, inquantum definitio includit aliquam complexionem. Et q. 1. de veritate art. 12. & lib. 1. sent. dist. 19. q. 5. art. 1. ad 7. ait definitionem non esse falsam, nisi quatenus affirmationem falsam implicat. Quæ non debent intelligi de inclusione compositionis aut affirmationis formali, quia sic non differret à secunda mentis operatione; sed de inclusione virtuali, quatenus ex definitione per simplicem operationem concepta, nata est sequi propositio per secundam mentis operationem. Nam ex hoc quòd intellectus simpliciter concipit de circulo hanc definitionem *figura quadrata*, habet vt per secundam operationem, hanc propositionem formet *circulus est figura quadrata.*

Vnde ex duplici capite falsitas cadit per accidens in simplicem apprehensionem, vel quia est occasio, vt formetur propositio falsa per secundam operationem: vel quia definitiõ, seu quidditas rei, quæ dicitur esse proprium eius obiectum, includit aliquam compositionem, vt *animal rationale.*

37. Nota secundò, duplicem posse distingui difformitatem in intellectu respectu alicuius rei; positiuam scilicet, & negatiuam. Positiua est quando intellectus attribuit ipsi rei conceptum alienum, aut ab ea proprium remouet per assertionem; quod fit in compositione, & diuisione, vt si dicat *Petrus non est risibilis, Petrus est equus.* Et hæc est propria falsitas, errorque nuncupatur. Difformitas negatiua nihil aliud est, nisi carentia conformitatis cum aliqua re: quando nimirum intellectus concipit quidem rem aliter ac est, seu secundùm aliquem modum, quem res non habet, vt cum apprehendit stannum tanquam argentum: sed tamen illi non attribuit modum illum, nec vllum alium conceptum alienum: vnde hæc difformitas dicitur ignorantia, vt habetur ex Arist. 9. Metaph. cap. 12. quia intellectus non apprehendendo id quod est in re, aut secundùm quod est in illa, dicitur ignorare quod non apprehendit.

Quapropter hæc disconuenientia negatiua, non potest dici falsitas, alioquin nullus esset conceptus simplex, qui non esset falsus, quia nullus est qui respectu aliquarum rerum non sit difformis: nam conceptus repræsentans hominem, eo ipso non repræsentat equum, estque illi negatiuè difformis. Imò idea, quæ in diuina mente repræsentat leonem, falsa dicenda esset, quia vt sic, non est naturæ humanæ conformis. Quod est absurdum. Idemque cum proportione dicendum est de sensibus. His præmissis.

37. Respondetur ad superiora argumenta. Ad primum quidem Aristotelem, & Diuum Thomam tantum velle, in sensibus esse falsitatem per accidens, extrinsecè, & occasionaliter, quatenus ob indispositionem organi, vel debilem specierum impressionem, aut earundem permixtionem, & confusionem, fiunt sensationes confusæ, ex quo præbetur oc-

casio tum sensibus internis, tum ipsi intellectui concipiendi rem vnam pro alia, aut ferendi falsum iudicium. Semper tamen ipsa cognitio sensus est formaliter, & intrinsecè conformis obiecto cognito, & sensato quia necesse est esse conformitatem inter obiectum, & cognitionem obiecti in ratione repræsentantis, & repræsentati. Quapropter quando lingua ægroti cibum dulcem percipit vt amarum: reuera percipit amaritudinem insidentem in bili, quâ inficitur, & ita est occasio intellectui iudicandi cibum amarum esse. Color item rubeus videtur nocte, sed quia ob defectum luminis, species valde remissas oculis injicit: ideo vix cerni potest, & vt niger apparet. Turris item quadrata, ob distantiam apparet rotunda, quia angulorum species cum alijs confunduntur, nec clarè possunt partes à quibus procedunt, oculis subijcere; & ita de similibus philosophari licet.

39. Respondetur ad secundum, in simplici apprehensione intellectus reperiri tantùm difformitatem, & inadæquationem negatiuam respectu eorũ, quæ non attingit: respectu verò sui obiecti, ipsam semper habere conformitatẽ. Vnde quando ex occasione præsentis aurichalci intellectus format simplicem cognitionem auri, talis simplex cognitio habet pro obiecto verum aurum, illique conformatur; cum aurichalco verò nec conformitatem habet, nec difformitatem, quia illud non attingit, nec respicit, ideoque respectu illius non potest dici falsa cognitio, sed non cognitio eius.

Sicut igitur imago sensibilis, repræsentans aliquam personam, si in aliquo eam non repræsentat vt est, in illo non est imago eius, nec potest dici falsa illius imago, nisi tantùm extrinsecâ denominatione ab actu intellectus, qui tribuit talem imaginem ei, cuius non est imago, seu quem non repræsentat; ac proinde falsitas in compositione est, & diuisione intellectus, non autem in re; ita, si per simplices mentis conceptus res aliqua concipiatur secundùm aliquem modum, quem non habet, falsi dicentur tantùm extrinsecè, & occasionaliter, quatenùs concipiuntur habere pro obiecto rem illam, vel talem illius modum, quem re vera non habent pro obiecto, nec ad illum terminantur: & ita sunt occasio erroris ipsi intellectui, quatenus inde fertur ad tribuendum aliquid rei, quod in illa non est, vel aliquid de illa negandum, quod verè in illa est.

Quare simplex mentis conceptus semper fertur in rem, prout objicitur, & non prout est in se, ac proinde semper est conformis obiecto, vt obiectum est, & vt cognitum est: quo fit vt dum rusticus apprehendit solem tantum bipedalem, non fallatur, quia ob distantiam sic appareat. Vel dicendum quod sol qui nunc est, non est obiectum apprehensionis illius, sed Sol aliquis fictus, licet illum concipiendi occasionem dederit uerus Sol, à quo tantùm dissonat & discordat talis apprehensio quia repræsentare debebat Solem à quo species oculis hauserat, sed hæc difformitas impropriam tantummodo falsitatem constituere potest.

40. Respondetur ad tertium, negando in primis antecedens, quia res naturales sunt semper veræ, quia semper sunt conformes ideæ diuinæ, à qua sumitur per se veritas earū: quod autem habeant similitudinem rerum aliarum, vt stannum argenti, ex qua similitudine inducitur in falsam opinionem, siue iudicium; inde possunt denominari falsæ extrinsecè tantùm, & causaliter, non verò intrinsecè, & formaliter.

Item artefacta possunt dici semper vera, quia semper adæquantur ideæ, à qua procedunt, & cuius sunt effectus, quamuis non ædæquentur perfectæ ideæ, quæ in perfecto artifice reperiri potest. Verbi gratia domus, quamuis conformis non sit regulis artis domificatiuæ, & perfectæ ideæ architecti, à qua non procedit vt à principio practico: est tamen conformis aliis regulis, quas imperfecta idea existens in architecto, ministrat, & respectu cuius dicitur effectus: vnde non debet comparari cum alia, à qua deficit; nec consequenter dici falsa domus respectu illius: sicut simplex apprehensio non comparatur cum re secundùm id, in quo eam non repræsentat, sed prout est eius obiectum.

Quod si huiusmodi defectus nullam agnoscat ideam pro causa: sed reuera domus sit difformis ideæ, à qua proximè procedit, non ideò tamen falsa domus appellanda erit, quia non procedit ab idea secundùm illum defectum, sed casu, ob potentiæ exequentis imbecillitatem, aliudve simile impedimentum: & ita non comparatur ad illam vt ad causam, vel vt ad mensuram, & regulam; ideoque per difformitatem ad illam non potest falsa denominari: sicut ipsa idea non potest falsa appellari per difformitatem ad domum, quia non habet illam pro obiecto secundùm illum defectum. Denominabitur ergo domus imperfecta, defectuosa, vel etiam mala in genere artificiosi operis, quia integritas perfectionis ad bonitatem, non ad veritatem rei pertinet: verum de hoc in Metaph. interim.

Dicamus secundò cum Diuo Thoma 1. parte q. 17. art. 1. falsitatem reperiri tùm in rebus naturalibus, modo jam explicato, nempè extrinsecè & occasionaliter: tùm in artefactis, quando à propria idea discrepant: sed non ideò reperiri in simplici apprehensione: cuius ratio est, quia artefactum comparatum ad propriam ideam, est illi difformis: at simplex apprehensio comparata ad proprium obiectum, est illi semper adæquata, nec potest esse illi difformis, vt explicatum est numero præcedenti, & sic patet solutio ad quartum, pro quo etiam vide quæ diximus numero 31. ad 3.

SECVNDA

SECVNDA PARS SECTIONIS.

41. SECVNDA sententia est Ferrarienſis primò contra gent. cap. 59. Fonſecæ 4. metaph. cap. 2. q. 6. ſect. 1. Suarez diſp. 9. Metaph. ſect. 1. num. 14. Alberti magni. 2. de anima, tract. 3. cap. 5. & aliorum multorum, pro qua citatur D. Thomas loco citato contra gentiles, & 1. parte q. 17. art. 3. & opuſc. 48. c. 5. de enunciat. nimirum in ſimplici apprehenſione non eſſe falſitatem formaliter, & intrinſecè.

Probatur primò ex Ariſtotele 3. de anima cap. 6. textu 26. vbiait intellectum ſimplicem apprehendentem *quod quid eſt*, ſemper eſſe verum. Et 9. metaph. c. vltimo expreſſiùs illud inculcat. Item D. Thomas citato loco primæ partis hæc habet *circa quodquid eſt intellectus non decipitur, ſicut neque ſenſus circa ſenſibilia propria: in componendo verò, vel dividendo poteſt decipi.* Idem aſſerit q. 58. art. 5. & citato capite contra gentiles, & alibi.

Probatur ſecundò ratione. Nulla poteſt eſſe ſimplex cognitio, quæ ſuo ſit difformis obiecto, ergo non poteſt reperiri falſitas in ſimplici cognitione. Conſequentia eſt clara, quia falſitas cognitionis eſt difformitas illius cum ſuo obiecto, vt patet ex dictis. Antecedens verò probatur euidenter, quia illa cognitio quæ obiectum ſuum neceſſario repræſentat vt eſt, non poteſt eſſe illi difformis: ſed omnis ſimplex cognitio repræſentat neceſſariò obiectum ſuum vt eſt: nam hoc ipſo quòd obiectum cognoſcitur, cognitio eſt repræſentatio illius, & illius imago: neceſſe eſt autem repræſentans, & repræſentatum habere inter ſe conuenientiam: ergo ſimplex notitia non poteſt eſſe ſuo difformis obiecto, nec conſequentet falſa.

Probatur tertiò ratione Ariſtotelis citato loco Metaph. quam etiam habet Diuus Thomas citatis locis: quia vel intellectus per ſimplicem apprehenſionem attingit naturam rei, vel non? ſi attingit, verus eſt, quia adæquatur obiecto: ſi non attingit, tunc ignorat illud, quod non percipit, atque adeò falſus dici non poteſt. Quomodo enim dicetur falsò cognoſcere illud, quod de facto non cognoſcit?

42. Reſpondeo ad primum, Ariſtotelem & Diuum Thomam, denegare ſimplici apprehenſioni falſitatem tantùm propriam, & ſtrictam, in qua deceptio & error conſiſtit. Nam ſicut aliquid propriè ſcimus per affirmationem & negationem: ita non decipimur propriè, niſi dum affirmamus quod non eſt; aut quod eſt, negamus. Eâdem quippe ratione ſimplici apprehenſioni denegarunt veritatem formalem, propriè ſumptam, vt viſum eſt num. 26.

Reſpondeo ſecundò, Ariſtotelem, & D. Thomam loqui de ſimplici notitia quidditatum ſimplicium, in qua concedendum eſt non poſſe re-

periri falsitatem propriam, quia vel totaliter attinguntur, & consequenter cognoscũtur vt sunt, vel totaliter non attingũtur, nihilq; de eis intelligitur, & sic cognitio non potest falsa dici respectu earum. Quod autem hæc sit mens vtriusque Authoris, patet ex textu expresso citati loci Metaph. & ex citata quæst. 58. vbi D. Thomas rationem, quam iam dedimus, affert. Item Aristoteles 3. de anima cap. 6. initio hæc habet. *Indiuisibilium intellectio in hisce consistit, circa quæ falsitas non est*, & D. Thomas q. 17. primæ partis citata in fine artic. 3. *propter hoc*, inquit, *in cognoscendo quidditates simplices non potest esse intellectus falsus: sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit.*

De cognitione vero quidditatum compositarum, aliter sentiunt, quòd nimirùm in ea possit esse falsitas, non tantùm extrinsecè, vt explicatum est fusè num. 38. sed etiam intrinsecè, & formaliter. Nam hæc notitia denominatur falsa simpliciter à D. Thoma, citato capite contra gentiles, dum ait hanc definitionem *animal insensibile*, esse simpliciter falsam: non potest autem sic denominari à falsitate secundæ operationis, alioquin haberet falsitatem complexam; ergo ab alia diuersa, sibi propriâ, & consequenter intrinseca.

Præterea dico, huiusmodi falsitatem ipsi conuenire, non tantùm per accidens, vt dictum est numero 37. sed etiam per se, vt in responsione ad 2. fusiùs explicabimus: & hoc patet ex dictis Authoribus. Nam quando locis citatis num. 34. dicit Diu. Thomas quod sensus circa propria sensibilia non habet falsam cognitionem, nisi per accidens: de sensibilibus verò communibus posse esse falsum iudicium sensus: sine dubio loquitur de falsitate per se in postremis verbis, alioquin malè in hoc duo membra distingueret. Idemque dicendum est de Aristotele, vt consideranti patebit. Quòd autem de sensu dicitur, de simplici mentis operatione intelligi quoque debet, vt patet ex dictis.

43. Respondeo ad secundum, distinguendo primum antecedens; *nulla potest esse simplex cognitio, quæ suo sit difformis obiecto*; inquantum est imago illius, concedo; inquantum est applicatio, & comparatio eius ad rem, cui non conuenit, nego. Vel, *non est difformis obiecto, comparata cum eo in esse obiectiuo, & vt obiectum est, concedo: comparata cum eo secundùm esse reale, nego.* Vt enim supra diximus numero 52. de iudicio enunciationis, ipsum in ratione imaginis obiecti enunciati, esse semper ei conforme, & consequenter verum; illud tamen non obstare quò minùs sit sæpè falsum in ratione dictionis, seu affirmationis, & negationis vnius de alio: ita, licet simplex apprehensio sit semper conformis obiecto suo, vt obiectum est, seu vt per eam repræsentatur, & cognoscitur: tamen potest esse illi difformis considerato secundum se, & in esse rei; seu etiam prout illud applicat per simplicem comparationem ad rem, cui non conuenit. Pro cuius intelligentia.

Nota ex Ferrariensi cap. 59. toties citato libri primi contra gentiles §.

circa ea quæ hic dicuntur de incomplexo. Obiectũ simplicis apprehensionis, verbi gratia *animal rationale* quæ est definitio hominis, dupliciter considerari posse: primò in se absolutè, & secundùm suam naturam, præcisè sumptam per abstractionem ab omni re, quomodo nullam importat comparationem, sed dicit naturam humanam specificè, & quasi in abstracto: secundò verò quatenus apprehenditur vt quidditas, & natura huius, hoc est, hominis. Nam intellectus formans definitionem hanc, *animal rationale*, apprehendit eam vt quidditatem hominis, in quantum illam format de homine, non de lapide: sicut & visus cognoscit albedinem vt huius subiecti, quia circa particulare versatur.

44. Vnde D. Thom. capite citato, ratione secundâ dicit, intellectum incomlpexum, intelligendo *quod quid est*, apprehendere quidditatem rei in quadam compositione, siue comparatione ad rem, quia apprehendit eam vt huius rei quidditatem. Vnde infert, quod licet incomplexum, & eius definitio non sit secundùm se verum, vel falsum; tamen prout intelligitur vt huius, vel illius definitio, erit aut simpliciter falsa, si partes eius non cohæreant ad inuicem, vt si dicatur *animal insensibile*: aut falsa secundam hanc rem, prout definitio circuli accipitur vt trianguli. *dato igitur* inquit *per impossibile quod sic intellectus diuinus solùm incomplexa cognosceret, adhuc esset verus cognoscendo suam quidditatem vt suam.*

Ex hoc rectè distinguit pater Magnanus simplicem apprehensionem in complexam, & in incomplexam. Incomplexa est vnius tantum obiecti, vel si sit plurium, eorum est per modum vnius, seu omnium æque primò, ita vt illa nihil aliud habeant in ratione obiecti, nisi solam concomitantiam, & societatem, sicut dum simul videmus plures homines. Complexa est quæ plurium est obiectorum non merè concomitanter, aut æque primò, sed cum ordine, & respectu vnius ad alind, vt dum videmus aquam in vase, albedinem in pariete, non verò solummodo parietem & albediem; aquam & vas; sed aquam vase contentam, aut vas continens aquam. Primo modo se res habet dum apprehenditur animal rationale glomeratim, & æque primò. Secundo autem modo dum apprehenditur animal vt ratione vtens, vel ratio vt in animali.

Differt autem hæc complexa apprehensio à iudicio, quia per eam non cognoscitur copula duorum quasi in re existentem determinatè potiùs quam non existentem determinatè, sed anceps hæret animus an obiecta apprehensa sint inter se coniuncta, vel diuisa, ita vt neutri parti determinatè adhæreat, aut consentiat, sed tantum eorum copulam sub indeterminatione apprehendat, vt cum audit *astra sunt paria.* Quæ dicta sint absque preiudicio eorum quæ supra explicuimus qu. 1. sect. 3. dubio 3.

45. Cùm igitur modus ille cognoscendi sit naturalis apprehensioni

ſimplici intellectus, illi naturale quoque erit illud quod natum eſt ſequi ex illo modo intelligendi: ſed ex illo nata eſt ſequi falſitas; quando ſcilicet quidditas apprehenditur vt quidditas eius, cuius quidditas non eſt: ſicut ſequitur veritas, quando apprehenditur vt cuius eſt: ergo in ſimplici apprehenſione poteſt naturaliter reperiri falſitas formalis, & intrinſeca.

Confirmatur primò ex eodem Diuo Thoma 1. parte q. 17. art. 2. ad 1. *ex eoquòd ſenſus*, inquit, *aliter afficitur interdum quàm res ſit, ſequitur quòd nunciet nobis aliquando rem aliter quàm ſit, & ex hoc fallimur per ſenſum circa rem, non circa ipſum ſentire.*

Confirmatur ſecundò ex Ariſtotele 2. de anima cap. 6. textu 63. *Viſus*, inquit, *non errat eſſe colorem aut auditus eſſe ſonum; ſed quid ſit id quod eſt infectum colore, vel vbi, aut quid ſit id quod ſonat, vel vbi.* Hoc eſt non fallitur viſus, dum colorem percipit, quia reuera colorem aliquem attingit, ſed applicando colorem alicui ſubiecto, cui non ineſt. Et ſimiliter guſtus reuera percipit aliquem ſaporem, v. g. amarorem, ſed fallitur applicando illum melli, cùm ſit in bili, quâ lingua eſt infecta. Pari ergo ratione intellectus apprehendens aurum præſente aurichalco, non fallitur apprehendendo aurum, cuius imago eſt, ſed fallitur applicando conceptum auri, præſenti aurichalco & ſic de alijs.

Reſpondeo ad tertium, Ariſtotelem loqui de cognitione rerum ſimplicium, vt patet ex ipſa ratione, quâ vtitur: aut de cognitione quiditatum ſecundum ſe, & quaſi in abſtracto; non autem de cognitione earum cum comparatione, & compoſitione ſimplici ad rem, cuius ſunt quiditates, vt explicatum eſt in præcedenti ſolutione.

SECTIO V.

Quis ſit ſpecialis modus, quo veritas & falſitas in compoſitione intellectus reperiuntur.

46. CONCORS eſt Philoſophorum illorum, qui veritatem formalem in ſimplici mentis apprehenſione reperiri contendunt, ſententia, ipſam ſpeciali titulo, & modo competere iudicio, ſeu ſecundæ operationi intellectus; in explicando tamen ſpeciali illo modo, non vnus eſt eorum omnium ſenſus. Quidam enim tantùm dicunt veritatem complexam reperiri in ſecunda operatione, ſeu enunciatione; incomplexam verò in prima. Sed hoc non eſt rem explicare, neque aliquid peculiare tribuere ſecundæ operationi; nam pari iure dici poſſet veritatem ſpeciali modo reperiri in prima, quia in ea reperitur veritas incomplexa.

Alij dicunt veritatem primæ per ſe & primò conſiſtere in adæquatione repræſentationis cum obiecto repræſentato: veritatem verò ſe-

cundæ, quamuis fiat per conceptus repræsentationis, non esse positam primò & per se in adæquatione repræsentationis, sed in adæquatione dictionis, vel enunciationis cum re enunciata: ita vt videatur esse per accidens illi, quod verè & aptè repræsentet rationes obiectiuas prædicati, & subiecti. Licet enim risibile, & homo cognoscantur aliter ac sunt; si tamen vnum de alio prædicetur, enunciatio vera erit: sicut è contrario, licet quis aptè cognoscat risibile, & equum; si tamen vnum de alio enunciet, enunciatio falsa erit: & ita secunda operatio dicitur significare verum, aut falsum quando enunciat rem esse, aut non esse, quia eius formalis veritas non est præcipuè sita in repræsentando rem vt est, vel vt non est; sed in dicendo, & enunciando rem ita esse coniunctam, vel disiunctam, sicut intellectus eam extrinsecè componit, aut diuidit.

47. Modus iste dicendi primâ fronte speciosus videtur, sed si rectè consideretur, à primo non differt. Quid enim aliud est veritatem compositionis esse veritatem dictionis, hoc est enunciationis, nisi esse veritatem complexam, quæ fit affirmando, vel negando vnum de alio? Deinde per hoc non ostenditur quare veritas dicatur ab Aristotele & Diuo Thoma in sola mentis compositione reperiri, vt patet ex multis locis, numero 26. allatis: sed tantùm declaratur eam illi conuenire modo sibi proprio, & accommodato, non verò speciali: quod de simplici apprehensione, & de tertia quoque mentis operatione æque dici potest: nihilque tandem concluditur, nisi quod veritas primæ operationis sit veritas repræsentationis: secundæ verò sit veritas dictionis; & tertiæ veritas illationis: quæ quidem differt à veritate secundæ, vt patet ex eo quod enunciatio potest habere veritatem secundæ, & falsitatem tertiæ vt si dicas, *homo est risibilis*, propositio vera est: si verò eam sic inferas, *homo est animal: ergo est risibilis*, falsa est, quia particula illatiua, *ergo*, denotat hominem esse risibilem, quia animal est, quod est falsum, alioquin omne animal esset risibile.

48. Quapropter existimant alij, *ideò Aristotelem veritatem, & falsitatem* specialiter tribuisse compositioni & diuisioni, quia per eam dicimur propriè falli, aut rectè sentire, non autem per simplices conceptus, vt tetigimus n. 27. Sicut enim loquendo non censetur aliquis verum, vel falsum dicere, donec propositionem efformet, ita intelligendo non censetur falli, aut verum propriè cognoscere, nisi iudicando rem esse, vel non esse; quod in compositione & diuisione contingit. Hic modus dicendi legitimus est, sed est tantum à posteriori. Inde enim recte colligitur veritatem, & falsitatem speciali modo esse in compositione & diuisione, sed in quo modus ille consistat, non declaratur.

Denique alij existimant Aristotelem ita loquutum fuisse, quia in simplici apprehensione reperitur veritas, non autem falsitas, per se loquendo: in compositione verò indifferenter reperitur veritas, & falsitas. Sed neque isti veritatem attingerunt: hoc enim modo potius dicendum fuis-

set veritatem speciali titulo reperiri in simplici notitia, esseque illi propriam: cùm à compositione abesse possit, eique inesse falsitas opposita: aut ad summum inde concluditur veritatem singulari modo conuenire compositioni, sed non explicatur quis sit ille modus.

49. His ergo Sententiis omissis, placet opinio Diui Thomæ 1. parte q. 16. art. 2. q. 17. art. 3. aliisque in locis, veritatem nimirùm singulari modo esse in intellectu componente, & diuidente, quia est in eo vt cognita. Cùm enim perfectio intellectus sit verum vt cognitum, sicut dictum est num. 27. ex eodem D. Th. ibidem; rectè dicitur speciali titulo esse in illa operatione, per quam intellectus illam cognoscit. Igitur si concedamus veritatem esse in intellectu per simplicem apprehensionem, in eo erit solùm vt cognoscente rem apprehensam; non verò, vt cognoscente veritatem ipsam: at per compositionem in illo est, vt cognoscente ipsam veritatem: quod quomodo intelligendum sit, satis difficilem habet explicatum.

Caietanus q. 16. citatâ, art. 2. distinguit duplicem modum cognoscendi veritatem, scilicet in actu signato, & in actu exercito. Cognoscere veritatem in actu signato, est cognoscere veritatem *quidditatiuè* sumptam tanquam obiectum, & terminum cognitionis, quomodo qui significatum huius nominis, *verum*, vel conceptum illi respondentem apprehendit, dicitur cognoscere veritatem in actu signato: & similiter qui cognoscit significatum huius nominis, *falsum*, cognoscit falsitatem in actu signato. Cognoscere autem verum, aut falsum in actu exercito, est cognoscere aliquid conforme, vel difforme rei, vt sic. Hoc amplius explicat Caietanus in actu dicendi: quando aliquis dicit vocaliter, aut mentaliter ista nomina, eorumque significata, *conformitas rei, & intellectus*, dicit in actu signato conformitatem rei, & intellectus: quando verò dicit aliquid vt conforme rei, verbi gratiâ, *homo est animal*, dicit in actu exercito conformitatem rei, & intellectus, & consequenter verum; eodemque modo se res habet in actu cognoscendi.

50. Concedit igitur Caietanus intellectum per simplicem apprehensionem, posse cognoscere conformitatem quam habet ad rem, aliâ simplici notitiâ apprehensam, quia huiusmodi conformitas est quoddam ens definibile, & consequenter est intra latitudinem obiecti illius: sed negat debere propterea dici veritatem, vt cognitam, esse in intellectu per simplicem apprehensionem: tum quia talis conformitas non est veritas formalis ex eius opinione, vt notauimus suprà, numero 26. tum quia veritas formalis includit comparationem inter intellectum, & rem intellectam: in simplici autem notitia nulla talis comparatio importatur, quia alioquin deberet intellectus per eam cognoscere se esse actualiter conformem rei, & habere cum ea æqualitatem, quod sine iudicio fieri nequit: tum vltimò quia illa conformitas non cognoscitur nisi reflexè: verum autem cognoscitur directè, alioquin non esset veritas in omni enuncia-

tione, sed tantùm in reflexa, contra Aristotelem.

Dicetur ergo intellectus, per secundam operationem veritatem cognoscere, quia componendo, & diuidendo cognoscit in actu exercito, sui conformitatem ad rem, quam enunciat, eo quòd, inquit Caietanus, omnis cõplexa enunciatio per se exercet, seu includit in propria ratione, quòd sit æqualis, vel inæqualis rei enunciatæ, quoniam essentialiter est similitudo quòd hoc insit, vel non insit illi: & si quidem ineſt quod repræsentat ineſſe, conformis dicitur; sin autem, difformis. Quæ etiam attulimus quæstione secunda numero. 38. Vnde quando intellectus iudicat hominem esse animal, seu quando istam enunciationem efformat, *homo est animal*, per idemmet iudicium, seu enunciationem, cognoscit se rem vt est, enunciare, verumque esse quod dicit seu iudicat; quod est cognoscere non solùm animal conuenire homini, sed iudicium suum esse conforme rei enunciatæ, & consequenter cognoscere verum in actu exercito.

51. Obiicit Ferrariensis cap. 59. lib. 1. contra gentiles, §. *quartum quoque dictum*. Intellectus non potest cognoscere conformitatem quam habet cum re, quam enunciat, nisi per actum reflexum; ergo non potest cognoscere verum, quod in tali conformitate consistit, nisi per actum reflexum: atque adeo falsum est quòd cognoscat verum directè in actu exercito quando componit, aut diuidit. Probatur antecedens: intellectus non potest intelligere se esse conformem rei, intelligendo illam, nisi intelligat se intelligere, vt per se notum est, quia vnum alterum includit: sed non intelligit se intelligere, nisi per reflexionem; ergo &c.

Præterea, quid est enunciationem, per se includere in propria ratione, quòd sit æqualis vel inæqualis rei? si enim intelligatur quòd repræsentat non solùm obiectum, sed etiam conformitatem sui ad ipsum: hoc falsum est: nam conceptus, quo intellectus intelligit hominem esse animal, nihil aliud repræsentat, quàm hominem esse animal. Et verò, quomodo potest repræsentare, se esse conformem obiecto, cùm nullo modo sit obiectum sui? Accedit quòd quando intellectus directè cognoscit hominem esse animal, non comparat conceptum suum ad huiusmodi obiectum, vt cognoscat veritatem, sed solùm comparat animal ad hominem, vt cognoscat coniunctionem vnius cum alio, quòd est componere.

Respondeo primò, non esse mentem Caietani, quòd intellectus componendo, & diuidendo debeat cognoscere verum in actu signato, hoc est directè, & formaliter cognoscere conformitatem ipsam suæ enunciationis cum re enunciata, in quo sensu fortè vera esset obiectio: sed tantùm quòd debeat verum cognoscere in actu exercito, hoc est cognoscere aliquid rei conforme, vt sic; quomodo istam propositionem formando, *homo est animal*, cognoscit, aut saltem existimat se cognoscere, animal esse conforme homini, alioquin non tribueret vnum alteri; & ita implicitè, & consequenter cognoscit conformitatem sui conceptus cum re concepta.

52. Respondeo secundò, vt dixi in fine num.50. intellectum componendo, & diuidendo cognoscere, etiam formaliter, sui conformitatem ad rem, quia iudicando, verbi gratia, hominem esse animal, simul iudicat se rem, vt est, enunciare, alioquin hoc non assereret; & consequenter quasi reflexiuè cognoscit iudicium suum esse conforme rei enunciatæ. Vnde huiusmodi iudicium, licet respectu rei sit simpliciter cognitio directa; respectu tamen sui est virtualiter reflexa; & ita simul æquiualet cognitioni directæ, & cognitioni propriè reflexæ.

Ad aliud, quo quæritur quid sit enunciationem includere in propria ratione quòd sit æqualis, vel inæqualis rei enunciatæ? eodem modo respondeo; quòd nimirum in actu exercito importet aliquid conforme, vel difforme rei vt sic, quia est similitudo quòd prædicatum insit subiecto, vel non insit, vt hæc, *homo est animal*, repræsentat coniunctionem animalis & hominis, quod cùm ita sit, importat consequenter æqualitatem sui cum re enunciata: ista verò *homo est alatus*, repræsentat coniunctionem alati cum homine; quòd cum ita non sit, importat in actu exercito, sui inæqualitatem cum re enunciata; & ita exercet falsitatem, quod non conuenit simplici apprehensioni, quæ, vt dictum est numero 50. non importat comparationem intellectus, & rei. Vide quæ diximus num.38.

53. Obiiciunt alij: quando intellectus in propositione falsa iudicat prædicatum conuenire subiecto, nullo modo cognoscit falsitatem, ergo falsum est, quòd veritas, & falsitas sint in intellectu componente, vt cognitæ: de veritate enim, & falsitate eodem modo philosophandum est, & Caietanus ipse non diffitetur: & re ipsa Diuus Thomas idem asserit de falsitate quòd de veritate 1. p. quæst. 17. art. 3. alijsque in locis: quòd nimirum cognoscatur ab intellectu componente. Antecedens verò probatur, quia, si intellectus iudicat prædicatum conuenire subiecto, cui non conuenit, decipitur, & consequenter verum esse existimat quod falsum est, ergo necesse est vt falsitatem ignoret; si enim eam cognosceret, nullatenus assensum præberet.

Respondeo eodem modo, videlicet intellectum non cognoscere falsitatem in actu signato, seu directè, & formaliter: sed tantùm in actu exercito, hoc est, cognoscere aliquid vt coniunctum, seu vt conforme alteri, cui reuera difforme est; & ita exercere falsitatem, componendo vnum cum altero, cum quo non potest componi, & coniungi, vt dictum est numero præcedenti.

Respondeo secundò conformiter ad secundam responsionem num.52. intellectum cognoscere falsitatem etiam directè & formaliter, non per illud iudicium (ob repugnantiam in obiectione allatam) in quo falsitas reperitur, sed per aliud reflexum. & hoc indicat D. Th. 1. p. q. 17. art. 4. dum ait falsitatem in intellectu esse posse, *non solum quia cognitio eius falsa est, sed quia intellectus eam cognoscit.* Vbi distinguit hæc duo, cognitionem falsam esse, & falsitatem eius cognosci, quasi ad istud

postremum

postremum requiratur actus distinctus & reflexus. Hoc autem non conuenit simplici apprehensioni, etiam reflexæ, quia ei non conuenit comparare vnum ad aliud, ad cognoscendam æqualitatem, vel inæqualitatem inter vtrumque: nec aliud vult Caietanus, vel Diuus Thomas.

54. Ferrariensis citato capite 59. libri primi contra gent. tradit alium modum explicandi doctrinam Diui Thomæ, cur scilicet veritas dicatur esse vt cognita in intellectu componente, & diuidente. Igitur *§. circa illam propositionem*, & *§. quartum quoque dictum*, ait in primis veritatem formalem reperiri in simplici mentis apprehensione, quia in ea reperitur conformitas sui conceptus cum obiecto cognito: pro cuius primi dicti confirmatione vide quæ attulimus num. 22. Dicit secundò veritatem cognosci ab intellectu componente, qua enus reflectitur supra notitiam simplicem, seu similitudinem obiecti, quam habet in se per simplicem eius apprehensionem. Vnde licet compositio sit cognitio directa obiecti, potest tamen dici cognitio reflexa per comparationem ad simplicem rei apprehensionem, eoquòd intellectus formare propositionem non possit, nisi reflectatur supra cognitionem simplicem subiecti, & simplicem cognitionem prædicati.

Sicut enim, quia res non possumus adducere ad scholas, vtimur vocibus pro rebus, vt ait Aristoteles: ita quando volumus rem vnam alteri tribuere, seu de altera affirmare, vel negare, vtimur conceptibus, quatenus res ipsas nobis repræsentant. Et ita fit, vt in ista, verbi gratia, propositione, *homo est animal*, non solùm intellectus comparet animal ad hominem secundum se, & vt est in se, sed etiam vt est ab intellectu conceptum per simplicem notitiam antecedentem, & simul videat se esse adæquatum rei per huiusmodi notitiam simplicem, quod significat, & dicit quando animal attribuit homini in prædicta enunciatione. Quia ergo veritas essentialiter consistit in huiusmodi adæquatione & conformitate intellectus simplicis cum re concepta, ideò intellectus componendo, & diuidendo, verum, aut falsum cognoscit.

55. Quòd autem ea sit mens Diui Thomæ, probat Ferrariensis, tum ex secunda ratione citati capitis contra gentiles, vbi ait quod in complexo *designatur comparatio incomplexi ad rem per notam compositionis aut diuisionis*. Hoc est intellectus in compositione comparat incomplexum, prius conceptum, ad ipsam rem, cui illud attribuit per copulam verbalem. Tum ex 6. metaph. lect. vltima litera c. sub finem, vbi ait quòd in secunda operatione intellectus est veritas, & falsitas, secundùm quod *super similitudinem rei cognitæ reflectitur, cognoscendo, & diiudicando ipsam*. Quod est dicere, intellectum cognoscere veritatem, cognoscendo conformitatem intellectus simplicis ad rem intellectam. Tum denique ex prima parte q. 16. art. 2. vbi ait quòd forma intellectus, inquantum est cognoscens, sit similitudo rei cognitæ, & quòd noscere illam similitudinem, & conformitatem, est cognoscere veritatem, licet intel-

lectus eam non cognoscat per simplicem apprehensionem, sed per eam dicatur verus tantùm sicut res vera.

Ex his apparet Suarem noluisse intelligere Ferrariensem, quando disput. 8. Metaph. sect. 3. num. 20. dixit ipsum Ferrariensem vel noluisse intelligere D. Thomam, & Cajetanum; vel solùm diuersis verbis rem eamdem explicuisse. Quod enim intellexerit Diuum Thomam, patet ex locis citatis. Quòd verò non differat solùm verbis à Caietano, clarum relinquitur ex dictis hic, & num. 50. Nam in primis Caietanus negat conformitatem intellectus simplicis cum obiecto, debere dici veritatem formalem, ac proinde secundò negat quòd cognoscere talem conformitatem, sit cognoscere veritatem: Ferrariensis autem vtrumque sustinet. Tertiò Caietanus negat veritatem cognosci debere per actum reflexum, ad simplicem apprehensionem terminatum, quia sic potest cognosci ab intellectu simplici: Ferrariensis verò contrarium expressè asserit. Quartò denique Cajetanus non vult veritatem cognosci ab intellectu componente, & diuidente in actu signato formaliter, & directè, vt credit Suarez; Ferrariensis è contrario illud contendit, quia intellectus componens cognoscit conformitatem conceptus simplicis, qui est essentialiter veritas, cum re concepta. Malè ergo Suarez ex modo dicendi Caietani, & modo dicendi Ferrariensis, vnum composuit, vtrumque confundens, citatâ sectione, num. 18. & 19.

56. Obiicitur contra Ferrariensem primò illud Caietani numero 50. quod per simplicem nimirum apprehensionem cognosci possit ab intellectu conformitas, quam habet cum re, per aliam apprehensionem simplicem cognitâ; ergo veritas vt cognita, non minùs est in intellectu simplici, & incomplexo, quàm in componente.

Respondet Ferrariensis, vt responsum est numero 24. talem conformitatem posse cognosci quidditatiuè, seu quid sit illa conformitas, sicut potest cognosci quid est homo: non verò denominatiuè, quod est cognoscere intellectum esse actualiter conformem rei: quia hoc importat comparationem inter rem, & intellectum, ad quod requiritur compositio, atque repræsentatio complexi, & consequenter iudicium.

Obiicitur secundò, si veritas cognoscitur ab intellectu complexo, ex eo quòd cognoscitur conformitas intellectus simplicis cum re intellecta, vt vult Ferrariensis, sequitur hoc in diuisione non contingere, & ita non esse conformitatem obiectiuè, seu vt cognitam, in omni enunciatione, contra Aristotelem.

Probatur sequela: in compositione enim, verbi gratia, *homo est animal*, ideò reperitur veritas obiectiuè, quia intellectus cognoscit conformitatem quæ est inter conceptum simplicem hominis, & conceptum simplicem animalis: at in diuisione, vt in ista *homo non est equus*, non reperitur conformitas inter conceptum simplicem subiecti, & conceptum simplicem prædicati, quin potiùs difformitas: ergo intellectus in

tali diuisione non cognoscit veritatem, sed potius veritatis negationem.

Respondetur quod cognoscere difformitatem, quæ est inter vtrumque simplicem conceptum, est cognoscere rem prout est; atque adeò est cognoscere veritatem, non minùs in diuisione, quàm in compositione. Deinde intellectus non solùm cognoscit difformitatem inter conceptum hominis, & conceptum equi; sed etiam conformitatem, quam vnusquisque eorum habet cum suo obiecto: eo enim ipso quo dicit hominem non esse equum, simul aduertit conceptum hominis esse conformem homini, & conceptum equi esse conformem equo, ac proinde non posse inter se conuenire, vel coniungi. Qui est modus dicendi Ferrariensis. Quomodo autem in propositione falsa cognoscatur falsitas, sequendo istam Ferrariensis doctrinam, colliges ex dictis q. præcedenti, num. 39. in fine.

QVÆSTIO IV.

Vtrum enuntiationes de futuro contingenti sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ.

SECTIO I.

Quædam notanda præmittuntur.

1. PRO quæstionis intelligentia nota primò, aliquid posse dici contingens duobus modis: primò, quia casu, & præter agentis intentionem euenit: vt contingens est quod quis fodiendo terram, inueniat thesaurum. Secundò dicitur contingens illud, quod est indifferens ad esse, & non esse; & ita medium tenet inter necessarium, & impossibile, vel potiùs ab vtroque differt: a necessario quidem, quia necessarium ita determinatum est ad esse, vt non possit non esse; futurum autem contingens potest non esse: ab impossibili verò, quia impossibile nullo modo esse potest: at contingens potest esse, & non esse. Et hæc acceptio est huius lõci propria, eamque habet Aristoteles 1. prior. cap. 12. vbi ait, *illud esse contingens quod cum necessarium non sit, eo tamen in esse posito, nullum sequitur impossibile.*

Propositio ergo de futuro contingenti illa est, in qua prædicatum aliquod contingens enunciatur de subiecto per verbum futuri; seu in qua

prædicatum, & subiectum sic inuicem coniunguntur, vt talis coniunctio possit esse, vel non esse, vt ista *Petrus studebit.* Coniunctio quippe studii cum Petro dependet à voluntate Petri, qui pro sua libertate potest se determinare ad studendum, vel non studendum, & sic studium potest esse, vel non esse.

Est autem duplex contingentis genus: aliud est intrinsecè contingens, quod procedit à causa, quæ ex sua naturali vi, & intrinseca virtute potest illud producere, vel non producere: & hæc alia esse non potest nisi libera. Et de hoc contingenti præcipuè hic agimus. Aliud est contingens, tantum extrinsecè, quod habita ratione virtutis intrinsecæ, & naturalis causæ suæ, necessario ab ea produci debet, quia causa necessariò agit, & est ad vnum determinata: quia tamen potest impediri à causis contrariis: quarum resistentiam superare non potest, effectus, alioquin necessarius, denominatur contingens extrinsecè: quomodo puer genitus vt habens quinque digitos in manu, est effectus necessarius ex se; sed tamen contingens extrinsecè, quia sæpè contingit, vt quinque non habeat.

2. Nota secundò, contingens posse in duplici statu considerari, primò in sua causa, vt nondum est productum, sed adhuc in ea virtualiter contentum. Secundò, in seipso tamquam iam productum, & extra suam causam existens. Si consideretur primo modo, differt à necessario, quia necessarium, secundùm quod est in sua causa, habet necessitatem, eo quòd non potest non produci; contingens verò habet contingentiam, quia potest esse, & non esse; produci, & non produci. Consideratum verò secundo modo, licet differat à necessario quantum ad naturam effectus, quia, vt sic, contingentia semper ei conuenit, cùm sit semper effectus contingens, hoc est effectus causæ impedibilis, & contingenter, non necessariò operantis: tamen non differt ab eo, quantum ad modum essendi, seu statum; quia sicut necessarium existens in seipso, est determinatum ad esse, ita vt non possit non esse: ita contingens est determinatum ad esse, & non potest non esse pro illo tempore, quo esse supponitur quia ex Arist. 1 de interpretatione cap. 8. sub finem, *necesse est id quod est, quando est, esse; & id quod non est, quando non est non esse.* Vnde cùm veritas enunciationis fundetur super esse rei: tam verè & determinatè dici potest de effectu contingenti, quod est, quando est, quàm de effectu necessario: non enim minùs verum, & determinatè verum est Petrum currere, quando currit, quàm eclipsim esse, quando est.

Quòd si vtrumq; consideretur vt futurum, & vt in sua causa virtualiter contentum, aliter se res habebit; de eclipsi enim poterit determinatè affirmari quod erit; sed non de Petro quòd curret, quia causa eclipsis, nempe motus corporum cœlestium, est naturaliter, & necessariò determinata ad eam efficiendam tempore certo: causa verò cursus, nempe Petrus, cùm sit agens liberum, est indeterminata, & indifferens ad cursum produ-

cendum; & ideo non potest hæc enuntiatio, *Petrus curret*, esse determinatè vera, nisi vbi supponitur Petrus se iam determinare ad currendum.

Cùm enim enunciatio vera sit, vel falsa ex eo quod res est, vel non est, vt sæpè ex Arist. diximus, consequenter, vt sit determinatè vera, necesse est, vt res enunciata habeat determinatam entitatem tempore significato per copulam, seu verbum enunciationis; & ita si enunciatio sit de præsenti, vt, *Petrus sedet*, res significata debet existere tempore præsenti: si verò sit de præterito, vt *Petrus heri studuit*, studium debet fuisse heri coniunctum cum Petro: si denique sit de futuro, vt *Petrus cras curret*, non potest esse determinatè vera, nisi cursus sit determinatus ad esse pro die crastino; quod si non sit determinatus ad esse pro tunc, sed tantùm sit in potentia indifferenti ad esse, vel non esse, enunciatio prædicta non potest dici determinatè vera; sed veritas eius suspensa manet, donec res enunciata determinatam habebit entitatem; eam autem determinatam habebit tantùm, quando eius causa efficiens intelligetur determinata ad eam efficiendam.

3. Nota tertiò, particulam, *determinatè*, posse cadere supra propositionem, vel supra veritatem propositionis. Si cadat supra veritatem, clarè patet quid sit enunciationem esse determinatè veram, aut non esse determinatè veram: determinatè enim vera est, quæ non est indifferens ad esse veram, & non esse veram; sed est determinata ad esse veram, & consequenter eius veritas est determinata. Ad hoc autem requiritur, vt significatum eius sit determinatum iuxta sensum enunciationis, scilicet ad esse, aut ad non esse; ita vt si significet aliquid fore, illud determinatum sit ad esse, adeò quòd non possit non-esse ex illa suppositione, licet simpliciter habitâ ratione, tum suæ naturæ, tum suæ causæ possit non esse, quia est contingens. Illa verò propositio non est determinatè vera, quæ est indifferens ad esse veram, vel non esse veram; & consequenter cuius significatum non est determinatum juxta sensum illius, sed est indifferens ad esse, vel non esse: quomodo se habet futurum contingens, spectatum in sua causa absolutè, vt iam explicaui; vnde illa propositio, quæ illud enunciat futurum, non est determinatè vera, nisi efferatur sub disiunctione, vt docet Arist. dicto cap. 8. sub finem.

Si verò particula, *determinatè*, cadat supra enunciationem, dum dicetur alteram propositionum oppositarum de futuro contingenti non esse determinatè veram, sensus erit, duarum contradictoriarum de futuro contingenti alteram seorsim designatam, & determinatam, non esse actu veram, nec actu falsam, eo planè modo, quo dicimus neutrum oculum determinatè, esse necessarium ad videndum; non dextrum, quia sufficit sinister: non sinistrum, quia sufficit dexter; sed dextrum, vel sinistrum indistinctè, indeterminatè, sub disiunctione, seu disiunctim: pari enim ratione hæc disiunctiua, *Petrus peccabit, vel non peccabit*, est actu, & necessariò vera: quælibet verò eius pars seorsim, distinctè, & determi-

natè sumpta, vt *Petrus peccabit*, *Petrus non peccabit*, nec necessaria est nec actu vera, nec actu falsa, sed indifferens ad vtrumque, sicut obiectum enunciatum est indifferens ad esse, vel non esse, spectatum, vt diximus, in præcisa causæ suæ potestate, & indifferentia.

4. Cæterum ex ipso textu Aristot. prædicta particula, *determinatè*, cadit aliquando supra veritatem propositionis, aliquando supra propositionem ipsam, & aliquando supra rem enunciatam. Quæ omnia patent ex fine illius capitis 8. vbi ait, *contradictionis enim rerum ipsarum alteram quidem partem necesse est veram esse vel falsam; non tamen hanc vel hanc sed vtraque contingit: sitque vt altera magis sit vera, non tamen vera vel falsa distinctè.* Et paulò supra, *omne necesse est esse, vel non esse & item fore, aut non fore; non tamen necesse est distinctè alterum fore.* Et paucis interpositis: *quare*, inquit, *cùm orationes ita sint veræ quemadmodum sese habent res ipsæ patet contradictionem ipsam, quæ circa eas efficitur, quæ a què fieri, ac non fieri possunt, eamdem cum illis legem subire.* Hoc est, neutram eius partem esse distinctè veram: aut neutram eius partem distinctè sumptam, esse veram: quòd alij exponunt, *determinatè*, alij, *designatè hanc, vel illam*, alij *disiunctim, vel in sensu disiuncto*, quæ omnia eodem recidunt.

Est autem sensus disiunctus, cùm de nullo propositionis disiunctiuæ membro, sigillatim sumpto idem dici potest, quod de vtroque simul sub disiunctione dicitur, vt in ista, *Petrus curret, vel non curret.* Totum illud *curret, vel non curret*, simul sumptum, necessarium est, & determinatè verum; & tamen neutra pars sumpta seorsim, necessaria est, vel determinatè vera. Sensus verò disiunctiuus est, cum de vna parte seorsim sumpta, potest dici, quod de toto dicitur, vt *Petrus currit vel non currit* totum est determinatè verum; *igitur determinatè verum est quòd Petrus currit; vel determinatè verum est quod non currit.*

5. Nota quartò, quòd ex duplici illa consideratione futuri contingentis in se, & in causa sua, quam attulimus numero 2. nasci videtur tota huius quæstionis controuersia. Qui enim asserunt enunciationes de futuro contingenti, non esse determinatè falsas, aut determinatè veras, debent spectare futurum contingens in causa sua indifferenti, & adhuc indeterminata ad illud producendum, vel non producendum. Qui verò contendunt eas esse determinatæ veritatis, aut falsitatis, debent supponere determinationem causæ, quasi exercitam, ex qua effectus contingens, iam determinatus est ad esse, vel non esse tempore significato. Quâ suppositione admissâ primi contendunt futurum contingens spectatum in se, post causæ suæ determinationem, non esse contingens, sed necessarium ex suppositione illa; nec intelligi vt futurum, sed vt præsens.

Primum patet, quia necesse est, id quod est, quando est, esse, vt diximus numero 2. ex Aristotele. Secundùm etiam clarum est, quia suppositâ determinatione causæ, effectus est in actu, non verò in potentia cau-

ſæ: nam cauſa non intelligitur determinata ad agendum, niſi quando actu agit: vnde in quouis alio inſtanti præcedenti eſt indifferens, & poteſt impediri à productione effectus, vt rectè tradit Ferrarienſis 1. contra gent. cap. 67. Atque adeò effectus non habet determinatam entitatem, nec conſequenter propoſitio de eo determinatam veritatem, niſi quando intelligitur vt præſens, & extra potentiam cauſæ ſuæ.

At è contrario effectus non videtur poſſe dici futurus quamdiu intelligitur eſſe in poteſtate ſuæ cauſæ, nõdum determinatæ, ſed tantùm poteſt dici poſſibilis, alioquin quidquid continetur virtualiter in cauſis contingentibus, poſſet dici futurum, quo nihil abſurdius. Quæ autem ex his duabus ſententijs probabilior ſit, argumenta vtriuſque, & eorum ſolutiones manifeſtabunt, ideoque more noſtro vtramque ſub problemate proponemus.

SECTIO II.

Propoſitiones de futuro contingenti eſſe veras, aut falſas determinatè.

6. SENTENTIAM iſtam multi tenent recentiores, in primis Suarez opuſculo de abſoluta ſcientia futurorum contingentium, c. 2. & diſput. 19. Metaph. ſect. 10. num. 11. Vaſquez diſput. 66. in primam partem, cap. 2. & 3. Conimbric. lib. 1. de interpret. in caput 8. quæſt. vnica, art. 3. & 4. Mendoſa diſput. 9. de anima §. 43. dicuntque Ariſtotelem, contrarium aſſerentem, deceptum fuiſſe, & contra principia noſtræ Fidei loquutum. Sed, præterquàm quòd Ariſtoteles hoc non dicit, vt oſtendam num. 44. debebant aduertere ſe idem improperare ſancto Thomæ, qui omninò tenet, vt oſtendam numero 35. propoſitiones huiuſmodi non eſſe determinatè veras, aut falſas.

Primam iſtam ſententiam tenet etiam Scotus in 1. ſent. d. 39. quæſt. vnica, §. *ad argumenta principalia*, numero 26. Gregor. Arim. d. 38. quæſt. 1. art. 2. & poſt multos alios, Camerarius quæſt. 11. Logicæ, Stephanus Burlepher in 1. ſent. d. 38. art. 2. in ſolutionibus argum. Vbi ait oppoſitam ſententiam fuiſſe Romæ damnatam: Moriſanus quoque, aut quiſquis eſt Author curſus illius dicit damnatam eam eſſe à Xixto IV. contra Petrum Arin. & talem cenſuram manuſcriptam ſeruari in Academia Louanienſi. Sed hi duo Authores videntur velle conciliare fidem huic opinioni, fabulas narrando. Neque enim, vt benè aduertit Camerarius, Louanienſes docerent hanc ſententiam in ſua Logica, ſi eſſet damnata à Pontifice: neque hoc ignorarent Thomiſtæ ſacro Palatio præpoſiti, qui eamdem opinionem tuentur.

7. Probatur autem primò ista sententia, quòd similirum propositiones de futuro contingenti, sint determinatè veræ: quia hæc disiunctiua, *Petrus peccabit, vel non peccabit*, est determinatè vera, imò necessaria ex Aristotele cap. 8. citato: ergo altera pars illius est determinatè vera, quia vt propositio disiunctiua sit vera, necesse est alteram eius partem esse veram, vt constat apud omnes. Cùm ergo Petrus non possit vtrumque facere pro eo tempore quod significatur, alterum tantùm facturus est; atque adeò, dum assero illud, quod facturus est, esse futurum, vera est determinatè mea affirmatio.

Respondeo negando consequ. Nam sicut prædicta propositio necessaria est, & tamen neutra pars illius est necessaria, sed contingens; ita potest esse determinatè vera, licet neutra pars illius sit vera determinatè. Quapropter, vt aliqua disiunctiua sit determinatè vera, sufficit, vt ambæ illius partes non possint esse simul falsæ. Et potest hoc argumentum in suos Authores retorqueri: nam in illo signo, in quo Petrus concipitur nondum esse determinatus ad peccandum, seu tantùm posse peccare: aut talis propositio, *Petrus peccabit, vel non peccabit*, est determinatè vera, vel non? si non: ergo neutra pars illius est determinatè vera: quod intendunt Authores oppositi, spectantes futurum contingens in causa sua nondum determinata ad illud producendum. Si autem sit determinatè vera; ergo falsum est quod asserit ista sententia, nempe futurum contingens, vt futuri rationem sortiatur, debere supponere determinationem causæ suæ, & comparari ad eam, vt iam determinatam, non verò, vt indifferentem: sicut tactum est num. 5.

8. Probatur secundò. Veritas propositionis est conformitas eius cum re enunciata: ergo quæ illi erit actu conformis, erit actu & determinatè vera; & quæ erit actu illi difformis, erit actu & determinatè falsa: sed omnis propositio de futuro contingenti est actu conformis, vel actu difformis rei enunciatæ: omnis quippe rem enunciat, vt est, aut vt non est, quia non datur medium: ergo est determinatè vera, aut determinatè falsa. Vnde ista, *Petrus cras disputabit*; si Petrus reuera disputaturus sit, eo modo se habet in significando, quo res in essendo; atque adeò est conformis obiecto: si verò disputaturus non sit; aliter se habet in significando, quàm res in essendo, & ita est illi actu difformis.

Respondeo negando minorem, nempe quòd omnis propositio de futuro contingenti, sit actu difformis, aut actu conformis rei enunciatæ, nisi intelligatur sub disiunctione. Cùm enim futurum contingens, vt futurum, hoc est, vt in causa virtualiter contentum, non habeat entitatem determinatam, sed indifferentem ad esse, vel non esse; propositio, quæ fit de illo, non potest habere veritatem magis determinatam, quàm sit entitas illius: atque adeò non est actu conformis rei enunciatæ, neque actu difformis, sed ad actualem, seu determinatam conformitatem, aut difformitatem manebit suspensa, donec res ipsa determinata erit ad esse,

vel

vel ad non esse. Vnde ista propositio *Petrus cras disputabit*, est tantùm determinatè vera ex suppositione, quòd de facto disputabit; at tunc disputatio non consideratur vt futura, sed vt existens extra causam.

Et hæc est expressa Diui Thomæ sententia in 1. dist. 38. quæst. vnicâ, art. 5. ad 2. *futurum contingens*, inquit, *non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causam determinatam.* Si tamen illa & quæuis alia similis propositio efferatur sub disiunctione, vt *Petrus disputabit, vel non disputabit.* Sic erit necessariò, & determinatè vera, vt diximus ad primum, quia determinatio, & necessitas cadit supra totum disjunctum, non verò super singula membra: & ideò est maxima fallacia argumentari à necessitate totius disiuncti ad necessitatem partium, vt si dicas, *necesse est Petrum disputare, vel non disputare, ergo necesse est Petrum disputare.*

9. Probatur tertiò. Si vna ex istis duabus, *Petrus disputabit, Petrus non disputabit*, non est determinatè vera, & altera determinatè falsa, non erunt contradictoriæ: sed hoc est absurdum, ergo & aliud. Probatur major: nam propositiones contradictoriæ sic se habent, vt significatum vnius repugnet significato alterius, quia vna debet negare totum id quod altera affirmat, vt tradit Aristoteles hic cap. 6. & alibi. Si autem prædictæ non habeant determinatam veritatem, & falsitatem, significatum vnius non repugnabit significato alterius, quia hæc, *Petrus disputabit*, significat Petrum ita disputare posse, vt sit indifferens ad non disputandum: & ista, *Petrus non disputabit*, significat petrum ita posse abstinere à disputando, vt indifferens sit ad oppositum, nempe ad disputandum. Ergo vna non significat oppositum significati alterius, sed indifferens est ad significandum idem quod significat altera, & vtraque indifferenter significat coniunctionem, vel separationem disputationis à Petro.

Respondeo primò, huiusmodi propositiones, licet formam habeant contradictionis grammaticaliter; non esse tamen contradictorias in illo priori, in quo causa futuri contingentis intelligitur indifferens, & nondum determinata ad vnum. Et hoc argumentum in hoc sensu æquè pugnat contra Authores suos, vt ostendimus ad primum. Simili modo Aristoteles hic cap. 6. propositiones indefinitas, vt *homo est albus: homo non est albus*, vocat contradictorias, scilicet ob formam, quia videntur esse de eodem indiuiduo, vt commentatur Diuus Thomas; licet ambæ possint esse simul veræ.

Respondeo secundò: prædictas propositiones, & similes esse contradictorias, sed non ideo alteram esse determinatè veram, alteram determinatè falsam, quia hoc non requiritur necessariò ad essentiam contradictoriarum pro illo priori naturæ, sed sufficit, vt ambæ non possint esse simul veræ, vel simul falsæ; aut vt, si vna est falsa, altera sit vera. Vnde, vt notat Fonseca 4. Metaph. cap. 7. duplex est principium metaphysicum in hac re, alterum negatiuum, vt habetur 4. Metaph. cap. 3. *impossibile*

est idem simul esse & non esse, aut logicè loquendo, *duæ contradictoriæ non possunt simul esse veræ, aut simul falsæ.* Alterum est affirmatiuum, vt habetur cap. 7. eiusdem lib. *necesse est alteram contradictoriarum esse veram, alteram falsam.* Primum valet in omni materia: secundum non valet in materia contingenti de futuro.

10. Probatur quartò. Ista propositio, *Petrus nunc disputat*, est determinatè vera, quando actu disputat; ergo antequam disputaret, ista erat determinatè vera, *Petrus disputabit.* Probatur consequentia primò, quia veritas, vel falsitas enunciationis de futuro debet regulari, & probari per enunciationem de præsenti; ita vt illa propositio de futuro, sit vera, quæ habebit aliquando propositionem de præsenti veram. Secundò: id quod nunc actu fit, antea fuit reuera futurum: ergo sicut nunc verum est dicere hoc determinatè fit; ita verum anteà fuit dicere, hoc determinatè fiet. Tertiò: propositio de re præsenti contingenti, est determinatè vera: ergo & propositio de eadem re futura, cùm non sit minus contingens quando præsens est, quàm dum futura est. Quartò: ex eo quòd res est, vel non est secundùm exigentiam verbi enunciationis, ipsa est vera, vel falsa: sed aliquando ita erit, sicut significatur per propositionem de futuro contingenti, *v. g.* per istam, *antichristus erit:* ergo talis propositio est nunc determinatè vera.

Respondeo negando consequentiam: ad primam eius probationem concedo veritatem enunciationis de futuro, regulari per veritatem enunciationis de præsenti: sed sicut veritas determinata propositionis de præsenti, exigit præsentem causæ determinationem ad producendum hic & nunc effectum: ita veritas determinata propositionis de futuro, præsupponit eamdem determinationem causæ, quâ positâ effectus est iam in actu, non verò futurus, vt explicui numero 5.

Ad secundam respondeo, id quod nunc actu fit, antea reuera futurum fuisse ex suppositione determinationis causæ suæ: ante determinationem verò illam, non fuisse determinatè futurum, sed indifferens ad esse, vel non esse juxta indifferentiam causæ.

Ad tertiam, concedo rem contingentem, quando præsens est, contingentem esse secundùm naturam suam, sed non secundum statum, seu modum essendi, vt explicui num. 2. quia sic necessaria est ex suppositione: & ex hac necessitate oritur determinata veritas propositionis de re illa: quando verò futura est, caret tali necessitate.

Respondeo ad minorem quartæ confirmationis, vt respondi ad secundam, scilicet quòd aliquando ita erit sicut significatur per propositionem de futuro, ex suppositione quòd causa se determinet ad agendum; sed hoc suppositio iam effectus est præsens, non futurus; necessarius ex suppositione, non verò contingens; & ita propositio de illo secundùm hunc statum considerato, est determinatè vera; non verò si consideretur, vt virtualiter continetur in sua causa.

11. Probatur quintò. Aristoteles sæpè hoc capite dicit in propositionibus vniuersalibus contingentibus dari determinatam veritatem, & falsitatem: ergo idem asserendum est de singularibus. Probatur consequentia, tum quia non minùs indifferens est ad esse, vel non esse, significatum harum propositionum, *omnis homo flebit; aliquis homo non flebit*, quam harum singularium, *Socrates flebit, Socrates non flebit*: tum quia propositio particularis verificari debet ratione alicuius singularis: ideò enim aliquis homo flebit, quia Petrus, vel Paulus, vel alius singularis homo flebit. Ita arguunt Pesantius, Conimbricenses, & alij recentiores.

Respondeo primò negando Aristotelem dicere illud quod ei imponunt: & certe plures ex ipsis non videntur legisse hoc caput: non enim loquitur Aristoteles de contingentibus futuris, quando determinatam veritatem tribuit propositionibus vniuersalibus contingentibus, sed de præteritis & præsentibus, vt patet ex principio capitis.

Respondeo secundò: etiam si hoc diceret Aristoteles, non loqueretur de veritate simpliciter determinata, sed moraliter tantùm, & vt plurimùm: nam loquendo moraliter, ista, *omnis homo cras curret*, & similes vniuersales sunt falsæ: ista verò, *aliquis homo cras curret*, & similes particulares sunt veræ.

Probatur sextò: si altera pars contradictionis de futuro contingenti non esset determinatè vera, vtraque esset determinatè falsa: sed hoc est absurdum, & expresè contra Aristotelem hoc capite: ergo & illud, ex quo sequitur. Probatur maior: illa enunciatio est determinatè falsa, in qua asseritur rem fore aliter quam futura sit: sed in ista, *Petrus cras disputabit*, asseritur absolutè, & determinatè disputationem Petri fore, & in ista, *Petrus non disputabit*, absolutè negatur disputationem fore; cùm tamen sit indeterminata, & indifferens ad fore, & non fore; ergo vtraque est determinatè falsa.

Respondeo negando maiorem. Ad probationem nego minorem, & dico quòd veritas, aut falsitas illarum propositionum manet suspensa, quia quælibet ex his potest esse vera, aut falsa iuxta futuram causæ determinationem. Cùm enim propositiones significent ex instituto, consequenter earum significatio debet proportionari, & intelligi iuxta rei significatæ naturam: at futurum contingens, vt futurum, debet spectari, vt contentum in causa indifferenti, & indeterminata: ergo propositiones, quæ fiunt de illo, significant illud, vt indifferens, & indeterminatum ad esse, vel non esse: atque adeò illarum veritas non est magis determinata, quam res significata.

Quod si in illis propositionibus ponatur aliqua particula opposita indifferentiæ & indeterminationi causæ, vt *Petrus determinatè disputabit, Petrus determinatè non disputabit.* Tunc illæ propositiones destruunt suppositionem, & fiunt propositiones de præsenti, quia suppo-

nunt causam determinatam, & consequenter effectum præsentem, vt explicatum est numero 5. vnde altera est vera, & altera falsa.

Vel dici idem potest quod de alijs, nam sensus est, *Petrus determinabit se ad disputandum, vel non determinabit se*, quarum quælibet potest esse vera, aut falsa juxta determinationem futuram.

Vel denique dicendum, veritatem, aut falsitatem in illis esse determinatam, sed non conuenire illis ratione rei enunciatæ, seu futuri contingentis, sed ratione modi enunciandi. Nam similiter ista, *Petrus necessariò currit*, posito quòd currat, falsa est tantùm ratione modi enũciandi, hoc est, huius particulæ, *necessariò*; cùm vera sit ratione rei significatæ.

12. Probatur septimò. Ista propositio, quam Christus ad Petrum pronunciauit, *hodie ter me negabis*, erat de futuro contingenti, quia Petrus Christum liberè negauit, & erat determinatè vera, alioquin Christus exposuisset se periculo mentiendi; quod dicere est impium. ergo à quocumque alio prolata fuisset talis propositio, semper fuisset vera determinatè: quia per accidens est respectu veritatis propositionis, quòd ab illo, aut ab alio proferatur, sed solùm dependet ab obiecto enunciato.

Confirmatur ex oraculis prophetarum, quæ erant certò, & determinatè vera, vt in confesso est apud omnes, licet essent de rebus contingentibus.

Respondeo, huiusmodi propositionem respectu cognitionis Christi fuisse de re præsenti, non de futura; quia ipse, quando illam pronunciauit, distinctè nouerat liberam Petri determinationem ad se negandum, quasi exercitam, & in actu positam. Vnde eius cognitio, & consequenter eiusmodi enunciationis prolatio ferebatur in Petri negationem secundùm se, seu in seipsa existentem, non verò vt in sua causa libera, & indifferenti adhuc contentam.

Ex quo patet solutio ad confirmationem. Veritas enim determinata prædictionum propheticarum non innitebatur super rerum contingentia, sed super infallibilitate, & certitudine diuinæ reuelationis.

13. Probatur octauo. Deus distinctissimè, & certissimè nouit omnia futura contingentia, vt constat ex ipso rationis lumine, & ex sacra scriptura: ergo ipsa contingentia sunt certò, & determinatè futura, alioquin eius cognitio inter vtrumque fluctuaret. Nam certitudo cognitionis supponit certitudinem in obiecto. Ergo videt enuntiationes, quæ de huiusmodi futuris contingentibus fiunt, esse conformes obiectis significatis: atque adeò determinatè veras: & consequenter ipsæ sunt secundùm se obiectis conformes, & determinatè veræ. Ideòque ista propositio, *Antichristus erit*, à quocumque proferatur, siue à Deo, siue à propheta, siue ab alio, est determinatè vera; & ita vera, & certa, vt sit de fide. Idemque de cœteris similibus, quarum significatum aliquando in rerum natura existet, pronunciandum est.

Respondeo, vt respondi ad septimum, Deum intueri futura contingentia in seipsis, & non tantùm in suis causis, vt rectè docet Diuus Thomas 1. p. q. 14. a. 13. q. 16. de malo, a. 7. q. 2. de veritate, a. 12. in corpore, & ad 1. 2. 6. 9. & 10. Si enim ea cognosceret tantùm in eorum causis, eius cognitio esset incerta, & coniecturalis, quia stante dispositione causæ contingentis potest effectus non euenire: & ideò, quamuis talis dispositio certò cognoscatur à Deo, non potest eius effectus, vt certò futurus, ab ipso cognosci in tali dispositione præcisè.

14. Intuetur ergo huiusmodi futura post determinationem causarum, quomodo habent rationem effectus præsentis, & determinati ad esse, iamque extra potentiam suæ causæ existentis: non autem rationem futuri, vt explicui numero 5. & docet Diuus Thomas locis citatis, & in 1. sent. dist. 38. q. vnicà, a. 5. ad 3. dicens: *actus diuinæ cognitionis transit supra contingens, etiam si futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum, dum est: & quia esse quod est, necesse est: quod tamen absolutè non est necessarium: ideò dicitur quòd in se consideratum, est contingens; sed relatum ad Dei cognitionem, est necessarium, quia ad ipsam non refertur, nisi secundùm quod est in esse actuali* Et loco citato de veritate ad 1. ait: *Licet contingens non sit determinatum quamdiu futurum est: tamen ex quo productum est in rerum natura, veritatem determinatam habet. & hoc modo super illud fertur intuitus diuinæ cognitionis.*

15. Eodem recidit responsio eorum, qui concedunt, propositiones de futuro contingenti, esse determinatè veras physicè, aut theologicè; non verò logicè. Cùm enim Logica sit abstractiua, & præcisiua, spectat futurum contingens, vt dependens solùm à sua causa propria, & proxima, quæ cùm sit indifferens ex se ad ponendum, vel non ponendum effectum; possitque etiam impediri ab aliis causis, ne illum producat; concludit propositiones de tali effectu futuro, non posse esse magis determinatas quoad veritatem, & falsitatem, quàm ipsum effectum quoad esse, & non esse.

Physica verò, & Theologia non spectant solam causam particularem & proximam futuri contingentis, secundùm se, sed prout subiacet causis superioribus, præsertim primæ, cuius ordo, & causalitas impediri nullo modo potest, nec cognitio, & prouidentia falli: & ideò futurum contingens, ex suppositione diuinæ cognitionis, diuinique decreti, est determinatum ad vnum: ac proinde enunciatio de illo facta, est determinatè vera, aut determinatè falsa physicè, & Theologicè. Et hoc est quod dicunt communiter Thomistæ, huiusmodi propositiones esse determinatè veras, aut falsas post decretum, non verò ante decretum diuinum.

Huic solutioni congruunt verba sancti Thomæ 1. p. qu. 19. a. 7. ad 2. *Aliquis respiciens ad causas inferiores, dicere poterat Lazarus non resurget; respiciens verò ad causam primam diuinam, poterat dicere*

Lazarus resurget. Et vtrumque horum Deus vult, scilicet quod aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundùm causam superiorem, vel è conuerso.

16. Probatur nono. Effectus contingens non potest dici futurus quamdiu intelligitur esse in potestate suæ causæ, nondum determinatæ, sed tantùm possibilis, seu possibiliter futurus: ergo propositiones de futuro contingenti, non significant effectus vt in potestate causarum contentos, sed vt supponunt eas ad agendum proximè determinatas: atque adeò sunt determinatæ veritatis, aut falsitatis.

Probatur antecedens primò ratione illâ numeri 5. quia alioquin quidquid continetur virtualiter in causis contingentibus, posset dici futurum; quod est valde absurdum. Secundò: enunciatio de futuro contingenti, non esset absoluta, sed modalis, contra Aristotelem, & cæteros Philosophos. Sensus enim huius propositionis, *Petrus disputabit*, esset iste, *Petrum disputare possibile est*, & ita de cæteris similibus. Tertiò: propositio enuncians futurum, prout est in sua causa, est de præsenti, non autem de futuro, quia esse effectus, vt in sua causa est, non est futurum, sed præsens, si causa existat.

Respondeo negando antecedens. Hanc enim acceptionem futuri ponit expresè Aristoteles 2. de generat. cap. vltimo, textu 64. distinguens illud, quod futurum denominatur, ab eo, de quo dicitur, quod erit. *De quo nunc verum est dicere*, inquit, *ipsum esse futurum, hoc non fore nihil vetat: nam tametsi futurum est, vt quispiam ambulet: tamen fieri potest, vt non ambulet.* Ex quibus patet ipsum spectare ambulationem futuram, in sua causa indifferenti, & indeterminata: quia si consideraret eam vt determinatam, iam ambulatio esset necessaria ex suppositione, nec fieri posset, vt ille non ambularet pro tempore illo.

17. Eamdem acceptionem ponit D. Thomas 1. p. quæst. 19. art. 7. ad 2. & ex ea explicat illud Isaiæ 38. de Rege Ezechia, *Dispone Domui tuæ, quia morieris, & non vives.* Vbi mors denunciata fuit vt futura, & tamen non contigit. Debuit ergo futura fuisse in causis naturalibus, vt secundùm eas denunciatio facta à Propheta ex mandato Domini, veritatem haberet. Clariùs adhuc eam admittit quæst. 2. de veritate, a. 12. ad 9. vbi hæc habet: *sic non est inconueniens quòd ponatur quòd Deus scit aliquid futurum esse, quod non erit inquantum scilicet scit aliquas causas ad aliquem effectum inclinatas, qui non producetur.* Denique, vt cæteros omittam Caietanus 1. 2. quæst. 40. a. 3. circa medium his verbis. *Cùm dicimus pluuiam futuram causas pluuiæ significamus adesse præparatas ad eam: cùm autem dicimus pluuia erit, ipsam pluuiam ponendam in esse dicimus.*

Ex quibus respondeo ad primam confirmationem illius antecedentis, illos tantùm effectus vocari futuros, quorum causæ sunt, aut supponuntur proximè dispositæ, inclinatæ, & præparatæ ad eorum productionem:

cœteros verò possibiles. Vnde patet solutio ad secundam. Ad tertiam dico propositionem de futuro contingenti non enunciare effectum secundùm illud esse præcisè, & absolutè, quod habet in causa, sed in ordine ad illius existentiam extra eius potentiam; quomodo est quid futurum, & à causa distinctum.

SECTIO III.

Propositiones de futuro contingenti non esse determinatè veras, aut falsas.

18. ISTAM sententiam tenent communiter Thomistæ: Item Aureolus in 1. d. 39. q. vnicâ art. 3. Louanienſe, in Logica, multique alii, pro cuius confirmatione sit.

Primum argumentum. Si altera pars contradictionis de futuro contingenti esset determinatè vera, futurum liberum non esset contingens: ergo neutra pars est determinatè vera. Probatur antecedens, quia vt liberum dicatur contingens, debet esse indifferens, ita vt æquè se habeat ad esse, & non esse; ad fore & non fore. Si autem altera pars contradictionis esset determinatè vera, res significata per propositionem affirmatiuam, esset determinata ad esse: & significata per negatiuam, esset determinata ad non esse: ergo non esset indifferens ad vtrumque, nec consequenter libera.

Respondeo negando antecedens: ad eius probationem concedo futurum debere esse indifferens indifferentiâ excludente determinationem extrinsecam, & antecedentem, per quam causa sic determinetur ad vnum ab agente extrinseco, vt ei liberum non sit determinare se ad oppositum: non verò excludente determinationem intrinsecam, quæ prouenit ab ipsa causa, sese liberè determinante ad vnum potiùs, quam ad aliud. Quamuis enim futurum, tunc sit determinatum ad vnum, manet tamen liberum, quia determinatio causæ libera est.

19. Secundum argumentum. Si altera propositio de futuro contingenti esset determinatè vera, & altera falsa, res enunciata necessariò eueniret, hoc autem est contra suppositionem, & naturam futuri contingentis: ergo nec determinatè vera est, nec determinatè falsa. Probatur maior ex Arist. qui hoc capite illud infert, & probat hoc ferè modo: si ista *Petrus peccabit*, est determinatè vera, fuit ab æterno vera, quia veritas enunciationis non pendet ex eo quod aliquis eam pronunciarit ante mille annos, vel centum millia annorum, &c. sed eo quod res est, vel non est iuxta verbum enunciationis.

Quod autem est ab æterno verum, non potest non esse verum: tum

quia non datur tempus, in quo possit non esse verum: tum quia ens æternum est immutabile. Non potest autem propositio esse necessariò vera, nisi enunciatum, seu significatum eius sit necessarium: & ita futurum contingens non erit contingens, atque adeò cessabit omnis consultatio: quia si ab æterno verum est illud fore, consultatio vt non sit, nihil proderit.

Confirmatur. Hæc est differentia inter propositionem necessariam, & contingentem, ex communi consensu, quòd illa sit ab æterno vera, seu æternæ veritatis: ista autem sit vera tantùm in tempore. Ergo propositio de futuro contingenti non est ab æterno vera, nec consequenter determinatè vera; aut est necessaria, & sic eius enunciatum erit necessarium.

20. Respondeo distinguendo maiorem, *res enunciata necessariò euenire, necessitate absolutâ, & antecedenti, nego: necessitate ex suppositione futuræ determinationis in causa, seu necessitate consequenti*, concedo. Et eâdem distinctione vtendum est ad probationem eius: propositio quippe illud enuncians, est ab æterno vera, & necessariò vera, sed solùm ex suppositione futuræ determinationis, futurique euentus: Quæ necessitas nullo modo aufert rationem contingentis, aut liberi. Nam sicut ista propositio, *si homo habet alas, potest volare*, non tribuit illi absolutè potentiam volandi: pari ratione ista, *si Petrus determinet se ad peccandum, peccabit*, non illi imponit absolutam necessitatem peccandi, sed tantùm ex suppositione liberæ determinationis, quâ positâ non potest non sequi peccatum.

Ad confirmationem Respondeo talem differentiam poni inter propositiones de præsenti, quia contingens de præsenti, vt *Petrus currit*, exigit ut extrema existant ad hoc vt vera sit: necessaria verò, vt *homo est animal*, abstrahit ab existentia extremorum, ideoque semper est vera. Si autem vtraque sit de futuro, vt *sol orietur, Petrus curret*, vtraque vera erit ab æterno, & necessariò vera, sed prior necessitate absolutâ, seu simplici; posterior verò necessitate ex suppositione tantùm. Quæ omnia vt intelligantur.

21. Aduertendum est, duplicem à Theologis, & Philosophis distingui necessitatem, de qua Aristoteles hic c. 8. Boetius 5. de consol. prosâ 6. Anselmus in opusculo de præscientia, & prædest. c. 1. Altera dicitur simplex, siue absoluta, siue antecedens. Altera dicitur secundùm quid, siue conditionalis, siue consequens.

Necessitas absoluta est quando causa, nullâ factâ hypothesi, sed ex se, & principiis suis intrinsecis est ita determinata ad producendum effectum, vt non possit non producere: & ideò dicitur necessitas antecedens, quia se tenet ex parte causæ, & respicit effectum antequam sit, efficiteque, vt necessariò producatur. Quomodo ortus solis, crastina die futurus, dicitur necessarius.

Necessitas

Necessitas verò consequens est, quæ non se tenet ex parte causæ, nec antecedit effectum: imò potiùs subsequitur, aut comitatur: quando videlicet causa ex se est indifferens, & indeterminata ad productionem effectus: factâ tamen suppositione quòd effectus iam sit productus, vel sit producendus, dicitur ipse necessariò esse, vel fore: quod nihil aliud significat, nisi quòd effectus non potest simul esse, & non esse; fore, & non fore: & ideò ex suppositione quòd sit, necessariò est: ex suppositione quòd futurus sit, necessariò futurus est.

Vnde patet, necessitatem hanc ex hypothesi, nullo modo tollere intrinsecam contingentiam effectus, cùm non tollat libertatem causæ: & hoc adeò verum est, vt D. Thom. quæst. 23. de veritate a. 4. ad 1. non dubitauerit dicere de Deo, qui summè liber est, impossibile esse ipsum aliquid non velle, aut voluisse ex suppositione quod illud velit, aut voluerit.

22. Tertium argumentum. Eo modo se habet veritas, & falsitas respectu enunciationis de futuro contingenti, quo res enunciata se habet ad esse, vel non esse: sed res contingens futura, est indifferens ad esse, & non esse: ergo enunciatio est indifferens ad veritatem, & falsitatem, & consequenter non est vera, vel falsa determinatè.

Confirmatur primò, quia veritas enunciationis causatur ab obiecto: quod autem nullum habet esse, non potest aliquid causare: sed futurum contingens nullum habet esse, neque in se, neque in causa: ergo non potest dare veritatem determinatam enunciationi?

Confirmatur secundò, quia certior est veritas enunciationum de futuris necessarijs, quàm de futuris contingentibus: hæc autem differentia nulla esset, si enunciationes de futuris contingentibus essent determinatè veræ, vt constat.

Respondeo distinguendo minorem, *res contingens futura est indifferens ad esse & non esse antecedenter ad determinationem suæ causæ, concedo: ex suppositione determinationis suæ causæ, nego*: quia positâ determinatione causæ, effectus necessariò est, & determinatè. Enunciatio autem de futuro contingenti debet comparari ad causam, iam determinatam, vt explicatum est numero 5. quia ante eius determinationem effectus habet tantùm rationem possibilis.

23. Ad primam confirmationem nego, futurum contingens nullum habere esse: quamuis enim careat esse actuali, habet tamen esse futurum, tum in se, tum in sua causa: & hoc esse est causa veritatis propositionis per modum obiecti; ad quod non est necesse, vt actu existat, alioquin propositio de præterito non esset determinatè vera, contra Aristotelem. Nam in ista, *Petrus heri disputauit*, obiectum enunciatum nullum habet esse, nec in se, nec in sua causa. Sufficit ergo vt res significata habeat esse secundùm tempus importatum à verbo.

Ad secundam confirmationem nego antecedens. Æquè enim certum est Petrum peccaturum ex suppositione determinationis eius ad peccan-

dum, ac Solem cras illuminaturum istud hemisphærium: tantumque in hoc differentia est, quòd certitudo istius sit absoluta; illius verò sit ex suppositione.

Instabis: si futurum contingens vt futurum, debeat comparari ad causam suam vt iam determinatam, sensus huius propositionis, *Petrus peccabit*, erit iste, *Petrus peccabit, si peccabit*: nam peccatum est simul cum determinatione ad peccatum. Hoc autem falsum est, quia prima propositio est absoluta; & secunda est conditionalis.

Respondeo huiusmodi propositionem, licet in verbis non sit conditionalis, importare tamen prædictam conditionem: quia hoc ipso quo peccatum dicitur futurum, supponitur esse determinatum in sua causa: adeò vt ante eius determinationem intelligatur tantùm possibile, aut possibiliter futurum.

24. Quartum argumentum. Si ista propositio, *Petrus cras disputabit*, est determinatè vera, quæro vtrum aduentante tempore, quo dicitur disputaturus, possit non disputare? an verò non possit non disputare? si non potest non disputare: ergo necessariò disputat, & ita non est liber: si verò potest non disputare, ponamus quòd non disputet: quia possibili posito in esse, nullum sequitur absurdum, ex Aristotele 1. prior. cap. 12. tunc propositio illa, *Petrus disputabit*, erit falsa: sed supposuimus esse determinatè veram: ergo erit simul vera, & falsa: quod cùm sit impossibile, falsum est quòd propositio illa sit determinatè vera: & idem de similibus dici debet.

Respondeo, aduentante tempore designato, Petrum posse absolutè, & simpliciter non disputare: ex suppositione tamen quòd propositio illa vera sit, non poterit non disputare: nam ideò vera est, quia supponit disputationem futuram: vnde cùm Petrus non possit simul disputare, & non disputare, propositio non potest esse simul vera, & falsa, sed est necessariò vera eo modo, quo disputatio est necessariò futura, scilicet ex suppositione quòd Petrus se determinet ad disputandum: quia verò liberè se determinabit, ideo disputatio libera erit secundùm se, & absolutè, tantúmque necessaria ex suppositione dictæ determinationis, vt explicatum est numero 19. & 20.

Quando verò dicitur quòd possibili posito in esse, nullum sequitur absurdum, hoc debet intelligi, vt rectè docet Scotus in 1. d. 39. q. vnic. ad 2. quæstionis 2. num. 28. de possibili secundùm se, absolutè, & simpliciter spectato: si verò fiat suppositio alicuius incompossibilis cum huiusmodi possibili, in esse posito, sequetur absurdum, si tale possibile reducatur in actum: vt hic sequeretur eamdem propositionem esse veram, & falsam; & Petrum simul disputare, & non disputare.

25. Quintum argumentum. Quod Deus futurum præsciuit, non potest non euenire: at si propositio de futuro contingenti, v. g. hæc, *Petrus peccabit*, sit determinatè vera, Deus ab æterno præsciuit peccatum Petri

fittitum, quia quod verum est, Deum latere non potest: ergo peccatum Petri non potest non euenire: atque adeò Petrus necessariò peccabit: quod est hæreticum.

Probatur maior, quia, si illud, quod Deus euenturum præsciuit, posset, non euenire, Dei cognitio posset falli: sed impossibile est cognitionem Dei falli: ergo impossibile est vt illud non eueniat: sed quod impossibile est vt non eueniat, id euenire necesse est: ergo omnia futura necessariò euenient; & ita nihil erit contingens.

Respondeo ad maiorem, *quod Deus futurum præsciuit, non potest non euenire in sensu composito & ex suppositione diuinæ prænotionis de futuritione illius, concedo: non potest non euenire in sensu diuiso, & absolutè, nego.* Hoc est, posito quod Deus præcognoscat effectum aliquem futurum, & ita eius præscientia componatur, & connectatur cum futuritione huiusmodi effectus, non potest ipse non euenire, quia non potest esse præscientia effectus futuri vt sic, & simul effectus non esse futurus, alioquin præscientia Dei posset falli, aut idem esse simul futurum, & non futurum. Sed si diuisim consideretur præscientia Dei; & ipse effectus, causaque eius secundùm se spectentur, tunc non poterit dici necessariò futurus, sed indifferens simpliciter ad esse, & non esse: atque adeò erit intrinsecè contingens, & tantum necessarius ex suppositione extrinseca diuinæ præscientiæ, cum ipso effectu coniunctæ.

Et hoc euincitur è simili de contingente præsente: quando enim Petrus currit, non currit necessariò simpliciter, & absolutè, sed liberè, cùm possit non currere: & tamen fieri non potest vt non currat stante suppositione quòd currat, alioquin contradictoria verificarentur simul de eodem.

26. Scotus in 1. d. 39 q. vnicâ in fine, cum Diuo Thoma d. 38. quæst. vnicâ, a. 5. ad 3. & alijs, dicit effectum esse necessarium necessitate consequentiæ, quia ista consequentia est necessaria, *si Deus scit aliquid futurum illud erit*: non autem necessitate consequentis, quia illud futurum potest simpliciter, & secundùm se esse contingens. Et hoc idem intelligit D. Thomas 1. parte quæst. 14. a. 13. ad 3. & lib. 1. contra Gentiles, cap. 67. in fine, dum vocat istam propositionem, *omne scitum à Deo, necesse est esse*, veram de dicto, & falsam de re. Hoc est, si necessitas intelligatur de re contingenti futura, & supra eam cadat, falsam esse: si verò cadat supra ipsam compositionem præscientiæ, & effectus, significatam per hoc dictum, seu propositionem, *præscitum à Deo, erit*, esse veram. Quòd est dicere, præscitum à Deo futurum, necessariò esse futurum ex suppositione diuinæ præscientiæ.

Denique hæc veritas patet retorquendo prædictum argumentum in contrariam partem hoc modo: quod Deus præsciuit liberè futurum, non potest non euenire liberè: sed Deus præsciuit Petrum liberè peccaturum: ergo Petrus non potest non liberè peccare. Quò spectat illud An-

selmi cap. 1. de concordia præscientiæ, & lib. arbitrij: *non debes dicere præscit me Deus peccaturum, vel non peccaturum: sed præscit me Deus peccaturum sine necessitate vel non peccaturum: & ita sequitur quod siue peccaueris, siue non peccaueris, vtrumque sine necessitate erit.*

27. Instabis primò: Diuus Thomas quæst. 2. de veritate, a. 12. ad 7. primo sent. d. 38. a. vltimo ad 4. in fine, & 1. p. q. 14. a. 13. ad 2. ait istud antecedens, *Deus sciuit hoc esse futurum*, esse simpliciter, & absolutè necessarium: tum ex immobilitate diuini actus: tum ex ordine ad scitum quod subiacet diuinæ cognitioni quatenus est in actu, quomodo est necessarium; ipsum enim necesse est esse dum est. Ergo consequens eius, scilicet, *hoc erit*, debet esse necessarium absolutè, & simpliciter, quia sic se habet antecedens ad consequens, sicut principia ad conclusionem: ex principijs autem necessarijs non sequitur nisi conclusio necessaria ex 1. post. cap. 6. textu 17. aut 18. *si necessariæ sunt sumptiones & conclusionem esse necessariam oportet*, inquit Philosophus. Non rectè igitur dictum est in superiori responsione, illud quod Deus futurum præsciuit, esse tantùm necessarium ex suppositione, non verò simpliciter & absolutè.

Respondeo primò, concedendo cum Diuo Thoma antecedens esse necessarium absolutè, ob rationes iam allatas ex loco citato sententiarum, non verò quia significatur per verbum præteriti temporis, vt existimat Caietanus loco citato primæ partis, quem optimè refutat Ferrariensis 1. contra gentiles, cap. 67. post medium, *§. ista enim opinio.* Concedo etiam cum Diuo Thoma, loco citato de veritate, consequens esse absolutè necessarium, sed tantùm necessitate immutabilitatis. Necessarium quippe absolutè duplex est, vt paulò ante notat Ferrariensis: alterum, quod ab intrinseco, & ex propria terminorum ratione ita necessarium est, vt eius oppositum contradictionem implicet, sicut hominem esse animal rationale: alterum quod est immutabile, ita vt non possit variari, nec mutari de vero in falsum; & dicitur necessarium absolutè, hoc est in se secundùm proprium significatum; & non solummodo necessitate consequentiæ, & illationis per dependentiam ad aliam propositionem, seu antecedens, quomodo in ista propositione, *si Petrus currit, Petrus mouetur*, consequens est tantùm necessarium quantum ad ordinem dependentiæ ad antecedens, non verò secundùm proprium significatum, nec consequenter absolutè.

28. Itaque prædictum consequens est necessarium absolutè, vt explicatum est, sed sub ea ratione, & eo modo, quo ex antecedente sequitur: ex eo autem sequitur, non iuxta modum, & dispositionem rei cognitæ, secundùm se spectatæ; sed secundùm quod est cognita, & consequenter secundùm modum cognoscentis. *Quando enim in antecedente*, inquit Diuus Thomas 1. p. q. 14. a. 13. ad 2. *ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse, quod in se est, sed secundùm quod est in anima.* Prout autem futurum cognoscitur

à Deo, habet rationem præsentis, vt numero 12. & sequentibus dictum est; licet in seipso, & respectu nostræ cognitionis sit futurum.

Sicut ergo in hac propositione, *Video Petrum ambulantem, ergo Petrus ambulat*, vtrumque necessarium est quando est; ita in supra dicta vtrumque necessarium est eâ necessitate, quâ omne, quod est, quando est, necesse est esse ex c. 8. primi de interpretatione. Quod est esse necessarium quoad statum, seu esse in statu necessitatis: licet in se & relatum ad causas proximas sit contingens.

Idem ait Boetius 5. de consol. prosâ 6. his verbis: *eodem igitur modo si quid prouidentia præsens videt, id esse necesse est: tametsi nullam habeat naturæ necessitatem: atqui Deus futura quæ ex arbitrii libertate proueniunt præsentia contuetur: hæc igitur ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt per conditionem diuinæ notionis: per se verò considerata, absolutâ naturæ suæ libertate non desinunt.* Id est non deficiunt à perfecta naturæ suæ libertate. Ex quo patet prædictam solutionem nullo modo labefactari.

29. Respondeo secundò, illud antecedens, *Deus scivit hoc esse futurum*, v. g. Antichristum, esse simpliciter contingens: atque adeo consequens, nempe *Antichristus erit*, est simpliciter contingens. Antecedens est Scoti in 1. d. 39. q. vnicâ num. 25. & *§ ad argumenta quintæ quæstionis*, num. 33. Durandi d. 38. q. 3. num. 25. Feriarensis 1. contra gent. c. 67. *§. considerandum secundò* & *§ ista enim opinio*, Caietani denique q. 14. primæ partis, a. 13. & aliorum. Quod etiam euidenter constat, quia antichristus potuit simpliciter non esse, & de facto non fuisset, si Adam non peccasset, vt potuit non peccare: neque Deus eius futuritionem necessariò decreuit, sed liberè: ergo potuit non esse præscientia Dei de illo futuro: & sicut multa potuerunt esse futura, quæ non erunt: ita potuit Deus multa præscire, quæ non præscit vt futura. Vnde futura huiusmodi, ex se contingentia sunt, & tantùm necessaria ex suppositione cognitionis diuinæ, vt dictum est.

30. Instabis secundò: esto prædictum argumentum non probet, futura esse intrinsecè, & ex propria natura necessariò futura; euincit tamen esse necessariò futura ex suppositione diuinæ præcognitionis, quâ positâ non potest voluntas cauere à peccato præuiso, nec conari in oppositum: sed deberet priùs conari ad immutandam diuinam cognitionem: quod cùm impossibile sit, peccatum erit ipsi ineuitabile. Hoc autem non parùm videtur lædere libertatem voluntatis.

Respondeo, huiusmodi necessitatem, quâ futura dicuntur necessariò euentura ex suppositione diuinæ præscientiæ, esse tantùm necessitatem consequentem, quâ omne quod est, dicitur necessariò esse ex suppositione quod sit: hæc autem nullo modo lædit libertatem, vt explicatum est num. 20. Vnde quemadmodum si aliquem ambulare videas, eum ambulare necesse est: *quod enim quisque nouit*, inquit Boetius, eâdem pro-

sâ sextâ libri 5. *id esse aliter, quam notum est, nequit*: & nihilominùs liberè ambulat, quia tuus intuitus nullâ necessitate præuenit ambulationem eius, imò eam supponit liberè à sua causa prodeuntem.

Ità si Deus videt peccatum Petri futurum, illud fore necesse est, quia diuina cognitio falli non potest, & quod quisque nouit, id esse aliter, quàm notum est, nequit: & tamen Petrus liberè peccabit, quia diuina prænotio naturam rerum, proprietatemque non mutat: sed talia apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura sunt: vnde futuritionem eorum non antecedit, sed quodam ordine futura supponit tamquam obiectum: & consequenter peccatum Petri non ideò futurum est, quia præscitur a Deo; sed ideò præscitur futurum, quia ex libera Petri determinatione futurum est.

31. Vnde colligitur diuinam prænotionem, esse tantummodò quasi signum infallibile res esse futuras iuxta cuiusque naturam, necessarias, necessariò; liberas, liberè: & ita ex eius infallibilitate, & immutabilitate ipsæ non contrahunt vel libertatem, vel necessitatem aliquam antecedentem, sed solùm consequentem, aut comitantem earum futuritionem, quia signum vt sic, non efficit, sed solum manifestat id, quod significat.

Quare eodem modo de rebus futuris philosophandum est, quod attinet ad earum naturam, hoc est, necessitatem, vel contingentiam, ac si per impossibile nulla esset Dei præscientia, vt sapienter docet Boetius lib. 5. citato, prosâ 4. vbi istud argumentum proponit, & soluit his verbis: *sed præscientia, inquies, tametsi futuris eueniendi necessitas non est: signum tamen est necessariò ea esse uentura. Hoc igitur modo, etiamsi præcognitio non fuisset necessarios futurorum exitus esse constaret: omne etenim signum quid sit ostendit, non verò efficit quod designat. Quare demonstrandum priùs est nonnihil ex necessitate contingere, vt prænotionem signum esse huius necessitatis appareat, alioquin, si hæc nulla est, nec illa quidem eius rei signum poterit esse, quæ non est.*

32. Vrgebis: Boëtius eodem libro 5. prosâ 3. reiicit illum modum loquendi, nimirum *non ideo aliquid est futurum, quia Deus præuidet, sed è contrario illud ideò Deus præuidet, quia est futurum.* Idem facit D. Thomas 1. p. q. 14. a. 8. ad 1. dicens id, quod ait Origenes super illud ad Romanos cap. 8. *quos uocauit, hos iustificauit.* Ideò scilicet Deum præscire aliqua, quia sunt futura, intelligendum esse secundùm causam consequentiæ, quia bene sequitur, si aliqua sunt futura, quòd Deus illa præscierit: non verò secundùm causam essendi, quia res futuræ non sunt causa quòd Deus sciat. Idem habet qu. 2. de veritate art. 14. in argumento *sed contra*; vbi sicut in 1. parte affert textum Dini Augustini 15. de Trinitate cap. 13. in medio, & lib. 6. cap. 10. vniuersas creaturas & spirituales, & corporales: non quia sunt ideò nouit Deus, sed ideò sunt quia nouit. Igitur argumentum prædictum manet in suo robore, & præ-

dicta necessitas rebus futuris aduenies ex prænotione diuina, non est tantùm necessitas consequens, vt dictum est in solutione.

33. Pro responsione nota, triplicem à Theologis distingui scientiam in Deo. Alia dicitur scientia *simplicis intelligentiæ*, vt eam vocat D. Thomas citato loco primæ partis, a. 9. & alibi, quâ cognoscit possibilia, numquam futura. Alia dicitur scientia *approbationis*, vt eam vocat Diuus Thomas ibi, art. 8. & est cognitio practica artificis Dei, determinata à voluntate eius ad aliquod opus producendum. Alia dicitur scientia *visionis*, quâ cognoscit res iam à voluntate decretas, aut permissas, & ex consequenti futuras, præsentes, aut præteritas, vt ibidem Diuus Thomas ait, a. 9. Concipimus enim primò Deum cognoscere omnia possibilia per scientiam *simplicis intelligentiæ*: deinde ex his omnibus velle illud, & illud fieri; & consequenter eius cognitionem applicari à voluntate ad illud debito tempore causandum. Tertiò denique postquàm res intelligitur accepisse esse futurum per Dei volutatem, & scientiam istam *approbationis*, Deus illam intuetur scientiâ *visionis*, vt futuram in rerum natura: & ideò hæc scientia *visionis*, non habet rationem practicæ sed speculatiuæ scientiæ; supponitque obiectum suum esse per scientiam *approbationis*. His prænotatis.

34. Respondeo Diuum Augustinum, cæterosque Patres, & Boëtium, quando aiunt futura ideò esse futura, quia Deus illa prænoscit, & non è contrario; loqui de prænotione, seu de scientia approbationis, non verò de scientia visionis: quia per istam non cognoscit futura, nisi quatenus futura sunt: non sunt autem futura, nisi per scientiam approbationis, coniunctam decreto voluntatis diuinæ, vt dictum est.

Nec in alio sensu intelligendus est Diuus Thomas, vt patet ex art. 8. primæ partis citato, vbi sic loquitur in fine; *Vnde scientia Dei secundùm quod est causa rerum, consueuit nominari scientia approbationis.*

Origenes verò, & alij, qui opposito modo loquuntur, ideò scilicet Deum aliqua præscire, quia sunt futura, non contrà; loquuntur de scientia *visionis*, cuius causam esse volunt res futuras, non quidem causam secundùm modum essendi, & existendi, quasi aliquid influant, sicut causæ physicæ, in ipsam Dei scientiam secundùm esse reale, quod habet in Deo, sed *causam sine qua non*, vt dicunt aliqui, quia nisi futuræ essent, non daretur præscientia, seu scientia visionis. Vel causam illationis, & consequentiæ, vt loquitur Diuus Thomas: consequentiæ, inquam, à priori, quia in aliquo signo præsupponuntur futuræ per scientiam *approbationis*, ita vt veritas futurorum, ordine quodam naturæ concipiatur prior per modum obiecti ipsâ scientiâ *visionis*. Vel denique causam denominationis, vt vult Albertus Magnus in 1. d. 38. D. Bonauent. q. 1. & 2. Gregor. q. 2. a. 3. Nam scientia Dei supra eius essentiam addit, siue connotat quemdam respectum rationis ad res scitas; siue possibiles, vt scientia *simplicis intelligentiæ*; siue futuras, vt scientia *visionis*. Respe-

ctus autem, siue relatio supponit terminum, & consequenter prouenit in scientia *visionis* ex rebus futuris, vt sunt futuræ.

Ex quibus patet quomodò determinata veritas, aut falsitas propositionum circa futura contingentia, nullo modo lædat liberum arbitrium nostræ voluntatis.

Sextum argumentum petitur ex authoritate Diui Thomæ, & Aristot. qui vterque expressè videtur asserere hanc sententiam. Nos tamen, qui problematici sumus hac in re, non possumus illos Authores in vtramque flectere partem, nisi velimus dicere eos contraria fuisse loquutos: quod absurdum est. Nihilominùs diligentiùs examinare oportet, quæ fuerit vtriusque sententia, quod in sequentibus præstabimus.

SECTIO IV.

Quid senserit Diuus Thomas circa veritatem propositionum de futuris contingentibus.

35. QVOD Diuus Thomas tenuerit propositiones de futuris contingentibus non esse determinatè veras, aut determinatè falsas, asserunt communiter Thomistæ, & patet ex pluribus locis. Nam 1. sentent. d. 38. q. vnicâ, a. 5. ad 2. hæc habet: *futurum contingens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causam determinatam.*

Item q. 16. de malo, a. 7. sic ait: *quia verò vnumquodque cognoscitur secundùm quòd est in actu, non autem secundùm quod est in potentia vt dicitur in 9. metaph. inde est quòd ea quæ sunt ad vtrumlibet, non possunt cognosci in suis causis determinatè, sed sub disiunctione, vt pote quòd erunt vel non erunt; sic enim habent veritatem.*

Præterea q. 2. de veritate, a. 12. ad 10. sic loquitur: *ad decimum dicendum, quòd futurum, Deo est præsens, & ita est determinatum ad vnam partem quamcumque sed dum est futurum, sic est ad vtrumlibet.*

Denique, vt cæteros omittam textus, 1. p. q. 14. a. 13. ita inquit. *Contingens aliquod dupliciter potest considerari, vno modo in seipso, secundùm quod iam in actu est: & sic non consideratur vt futurum, sed vt præsens: neque ad vtrumlibet contingens: sed vt determinatum ad vnum. Alio modo potest considerari contingens vt in sua causa, & sic consideratur vt futurum, & vt contingens, nondum determinatum ad vnum quia causa contingens se habet ad opposita.*

36. Ex quibus euidenter colligitur futura contingentia non habere rationem futuri, nisi prout considerantur in suis causis, in quibus cùm non

non habeant esse determinatum, propositiones de ipsis futuris, non possunt esse determinatè veræ, vel falsæ, ex mente Diui Th. quia ex eo quòd res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa. Attendant ergo, qui Aristot. erroris contra nostram fidem in hac quæstione accusant, num attentè legerint Diuum Thomam, aut velint eum eiusdem erroris facere reum. Nihilominùs quia posset hic desiderari quædam probabilis interpretatio locorum Diui Thomæ, ad primam sententiam propugnandam, afferemus quorumdam authorum dicta.

Mendosa disput. 9. de anima, ait Diuum Thomam non loqui de propositionibus secundùm se, sed tantùm quoad nos; adeo vt non possimus diiudicare an veræ sint, vel falsæ, quia res enunciatæ non sunt nobis intentionaliter præsentes, sicut Deo, & prophetis, quibus ideò sunt determinatè veræ, vel falsæ.

37. Sed hæc explicatio inanis est, & delusoria, quia, vt patet ex locis iam citatis ex Diuo Thoma, futurum contingens vt futurum, non est determinatè verum, quia non habet causam determinatam: vnde cum oratio sit vera vel falsa ex eo quòd res est vel non est, propositio de futuro contingenti vt futuro, non potest esse determinata in se, ex mente Diui Thomæ: nec consequenter respectu alicuius cognitionis, siue nostræ, siue diuinæ.

Quod ipse euidentiùs exprimit q. 2. de verit. art. 12. vbi considerans futura contingentia in suis causis, sic ait: *ex quo patet contingens, vt futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit: vnde cum diuinæ scientiæ non subsit falsitas nec subesse possit, impossibile esset quòd de contingentibus futuris scientiam haberet Deus si cognosceret ea, vt futura sunt.* Idem habet ad 6.

Præterea multæ possunt fieri propositiones de præsenti, quæ respectu nostri, imò & Angelorum non sunt determinatè veræ, quia earum veritas ipsis ignota est, vt *Petrus cogitat de occidendo inimico.* Ad quid ergo Diuus Thomas tam specialiter hoc diceret de propositionibus circa futura contingentia?

38. Puteanus in primam partem quæst. 14. art. 13. dubitatione suâ primâ ait futura contingentia spectari posse ex D. Thoma ibi in corpore articuli, vt contingentia sunt, & vt sunt futura: priori modo non sunt, inquit, determinatè vera, nec determinatè falsa, quia pendent à causis liberis, quæ positis omnibus ad agendum necessariis, possunt agere, & non agere. Et ita etiam intelligendum esse ait Aristotelem. Posteriori verò modo futura contingentia sunt determinatè vera, vel determinatè falsa, quia sic dicunt actualem existentiam, si videlicet sint futura; ac proinde actualem determinationem.

Verum, licet hæc explicatio proximè ad veritatem accedere videatur, absolutè spectata; non inuenio tamen talem distinctionem in Diuo Thoma, nec ibi, nec alibi. Imò, vt patet ex locis citatis num. 34. & 35.

quando ipse spectat futura contingentia, vt futura, considerat illa in suis causis, in quibus non habent actualem existentiam, nec consequenter actualem determinationem. Neque Aristoteles si in illa fuit sententia, alio modo spectauit futura contingentia, vt futura; sicut clarum est legenti caput 8. primi libri de interpretatione.

39. Germanam itaque interpretationem petendam esse existimo ex distinctione illa, quam insinuaui numero 2. de duplici consideratione futuri contingentis, nimirum in seipso, & in potestate suæ causæ, nondum determinatæ ad productionem illius. Quando enim Diuus Thomas dicit propositiones de futuris contingentibus non esse determinatè veras, considerat futura in causis suis, nondum determinatis, & vt sic, non puto posse negari illius doctrinam, vt satis superque probatum est à numero 7. ad 17. in responsionibus argumentorum.

Si verò quis pertinaciter contendere voluerit, tales propositiones esse determinatè veras, aut determinatè falsas, necessarium esse existimo, vt supponat causas eorum iam determinatas ad ea producenda, vel non producenda: quo supposito controuersia solùm erit, vtrum in primo statu causarum, possint reuera denominari futura, vel tantùm possibilia: in secundo verò præsentia, non autem futura.

Et certè ad sustinendam absolutè primam opinionem, quòd nimirum tales propositiones sunt determinatè veræ, aut falsæ, negandum est, futurum contingens, consideratum in sua causa indifferenti, & indeterminata, posse dici propriè futurum, prout distinguitur à possibili; sed tantùm impropriè, pro eo, quod spectatâ causarum dispositione, aut inclinatione futurum est: quia tamen causæ sunt adhuc indifferentes, aut liberæ, aut impediri possunt; non potest dici, quòd propria ratio futuri ei completè conueniat: sed tantùm quòd probabile est ipsum fore, aut futurum esse.

40. Quare ad futurum contingens, propriè futurum, duo requiruntur; primum est ratio futuri; secundum est ratio contingentis: rationem futuri habet à determinatione causæ, ita vt dum concipitur causa, nondum se determinasse ad agendum, effectus non concipiatur propriè futurus, sed tantùm possibilis, & indifferens ad existendum, vel non existendum. Rationem verò contingentis habet à determinatione libera, seu à libertate determinationis, quia causa, non necessariò, sed sponte se determinat ad producendum effectum: & ideò effectus, inde procedens, non potest non esse liber.

Quòd autem ista diuisio futuri contingentis in propriè futurum, & in futurum impropriè, non sit aliena à mente Diui Thomæ, ostendo ex q. 16. de malo, a. 7. in fine, vbi habet. *Considerandum tamen quòd cognoscere futurum in causa sua nihil est aliud quàm cognoscere præsentem inclinationem causæ ad effectum: vnde hoc non propriè est cognoscere futurum, sed præsens: vnde cognitio futurorum propria est Dei, secundum illud*

Isaiæ 41. *annunciate quæ ventura sunt, & dicemus quòd Dii estis vos.*

41. Igitur futurum spectatum in causa indeterminata, non habet propriam rationem futuri, ex Diuo Thoma: ac proinde quando ipse ait futurum in seipso spectatum, non habere rationem futuri, sed præsentis, supponit causam eius iam determinatam in actu exercito, & consequenter effectum eius in rerum natura actu existentem: aut intelligit ipsum esse præsentem respectu cognitionis intellectus diuini, cuius simplex intuitus super omnia simul fertur, prout vnumquodque est in suo tempore, & sic respicit futurum vt existens.

Etenim sicut ipse ait quæst. 2. de veritate, a. 12. *Tunc aliquid cognoscitur vt futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis & rei euentum inuenitur ordo præteriti ad futurum: hic autem ordo non potest inueniri inter cognitionem diuinam, & quamcunque rem contingentem: sed semper ordo diuinæ cognitionis ad rem quamcunque est sicut ordo præsentis ad præsens.* Verum, hoc non impedit quo minus futurum contingens, sit futurum, tum respectu nostri, nostræve cognitionis: tum comparatione temporis præsentis ad tempus, in quo producetur: tum respectu causarum, extra quarum potentiam nondum existit.

SECTIO V.

Quid senserit Aristoteles de veritate circa futura contingentia.

42. ARISTOTELEM existimasse propositiones de futuris contingentibus non habere veritatem, aut falsitatem determinatam, censent communiter tum Antiqui, tum recentiores Philosophi, & Theologi: & quia multis suspecta visa est falsitatis hæc sententia, conati sunt Aristotelem diuersimodè explicare, præcipuas accipe explicationes.

Ricardus in 1. d. 38. a. 1. q. 5. ad 1. Maior ibidem q. vnicâ, & alij putant Aristotelem, quando ait propositiones de futuris contingentibus non esse determinatè veras, per particulam *determinatè*, idem intelligere quod per *necessariò*: sed hi Authores, quamuis attingerint mentem Aristotelis, vt ostendam num. 44. malè tamen eam inde collegerunt. Nam in primis Aristoteles non vtitur vocabulo, *determinatè*, sed vocabulo, *distinctè*. Secundò: quamuis eo vteretur, non tamen in illa significatione vsurparet; nam paulò post initium illius capitis 8. ex eo quòd huiusmodi propositiones ponantur veræ, infert quòd sint necessariò veræ: si ergo in antecedente intelligat quòd sint determinatè, hoc est necessariò veræ, eius ratio sic se habebit: *sunt necessariò vera, ergo sunt neces-*

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

sariò veræ. Quòd est ridiculum. Tertiò, quando sub finem capitis ita loquitur: *omne namque necesse est esse, aut non esse: & item fore, aut non fore: non tamen necesse est distinctè alterum fore.* si per *distinctè*, quod ipsi vertunt, *determinatè*, intelligit, *necessariò*; sensus erit; *non tamen necesse est necessariò alterum fore*; quod est nugari.

43. Scotus in 1. d. 39. q. vnicâ §. *ad argumenta principalia*, n. 26. concedit non esse similem veritatem, vel similem determinationem in propositionibus de futuro, & in propositionibus de præsenti, aut præterito: quia in istis est veritas ita determinata, vt alterum extremum significatum, sit in esse positum, & vt intelligitur positum, non est in potestate causæ, vt ponatur, vel non ponatur: in illis autem non est talis determinatio ex parte futuri: quia, licet vna pars sit vera determinatè in se; non tamen ita vt in potestate causæ non sit ponere oppositum.

Et hanc indeterminationem ait sufficere ad consiliandum, & negotiandum: si enim neutra pars esset futura, non esset consiliandum quid facto opus esset: ergo quòd altera pars sit determinatè futura, dummodò altera possit euenire, non impedit consiliationem, aut negotiationem, de qua ibidem loquitur Aristoteles. Et hæc explicatio sana est, nec Aristotelis tantùm, sed & Diui Thomæ doctrinæ potest applicari: ita vt dum arguitur hoc modo, *propositiones de futuro contingenti non sunt determinatè veræ, aut determinatè falsæ, ex Aristotele, & Diuo Thoma; ego falsò contrarium asseritur*: rectè sic respondeatur: *non sunt determinatè veræ, quasi oppositum non possit euenire, concedo: non sunt determinatè veræ, quasi alterum non sit reuera futurum, licet oppositum possit euenire nego.*

44. Germanam igitur Aristotelis explicationem ex ipsomet capite 8. citato clarè deduco. Nam initio ait se iam dixisse in præcedentibus capitibus, illarum propositionum, quæ sunt de rebus præteritis, & præsentibus, necesse esse alteram esse veram, & alteram falsam: *in his autem, quæ sunt de futuris singularibus, non similiter se se res habet*, inquit. Non potest autem alius esse illorum verborum sensus, nisi quod non sit necesse propositionum contradictoriarum de futuris singularibus alteram esse veram, alteram falsam: & hoc patet ex textu expresso ante medium capitis, vbi sic ait: *ea igitur absurda quæ eueniunt hæc sunt, & istiusmodi cætera, si necesse est enunciationum oppositarum tam in vniuersalibus vniuersaliter, quàm in singularibus alteram veram, alteram falsam esse; nihil, inquam, in his esse quæ fiunt, quod æquè fieri atque non fieri possit, sed esse ac fieri necessariò cuncta. Quare nec consultare opus est, nec aggredi res agendas.*

Ex necessitate enim veritatis enunciationis rectè infertur à posteriori necessitas rei enunciatæ; & viceuersa ex necessitate rei enunciatæ, rectè infertur à priori necessitas veritatis ipsius enunciationis: quâ necessitate admissâ, benè concludit Aristoteles quòd nihil erit quod æquè fieri, vel

non fieri possit : & consequenter nullâ opus erit consultatione, nullo consilio, pro futuris agendis, aut impediendis : quod à veritate alienum esse nemo non videt.

Sub finem verò capitis suam sententiam aperit, nimirùm quòd necesse sit, omne esse, vel non esse ; & item fore, vel non fore : necessitatem tamen non cadere super singula membra, alioquin res esset absolutè necessaria ; sed supra totum disiunctum.. Necesse quippe est cras fore pugnam naualem, vel non fore : sed necesse non est, alteram partem distinctè, & seorsim sumptam fore, vt necesse non est cras fore pugnam naualem : neque item necesse est, cras non fore pugnam naualem, quia vtrumque est contingens.

45. Eodemq; modo se res habet in contradictione propositionum de futuro contingenti. Totum enim disiunctum est quidem necessariò verum, vt *cras pugna naualis erit, vel non erit.* At neutra pars distinctè, determinatè, & seorsim sumpta, est necessariò vera, aut necessariò falsa, quandoquidem ex eo quòd res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa: res autem enunciata, non est necessariò futura, sed contingenter. Vnde tandem concludit in fine capitis hoc modo ; *quare patet non omnium affirmationum oppositarum alteram necessariò veram esse alteram falsam.*

Hanc autem interpretationem, menti Aristotelis consonam esse, adeò manifestum est ex textibus citatis, & ex toto ipso capite, vt merito Boëtius arguat eos qui aliter ipsum explicant. Atque eodem modo intellexit Philosophum Diuus Thomas ibi lectione 13. dicens : *circa hoc igitur versatur tota præsens intentio, vtrum in enunciationibus singularibus de futuro in materia contingenti, necesse sit quòd determinata vna oppositarum sit vera, & altera falsa.* Et in fine capitis, lectione 15. sic ait, *concludit principale intentum, & dicit manifestum esse ex prædictis quòd non est necesse in omni genere affirmationum & negationum oppositarum alteram determinatè esse veram & alteram esse falsam.*

46. Accedit euidens ratio, petita ex discursu Philosophi, qui infert ibidem omnia necessariò euenire, & omnem tolli contingentiam rerum futurarum, si propositiones de ipsis sint veræ, aut falsæ. Quæ consequentia inanis esset, nisi per veritatem enunciationum intelligeret veritatem necessariam modo explicato. Consequentia enim à simplici, & qualicumque veritate ad veritatem necessariam, & ad necessitatem rei, non valet, vt si dicas, *verum est Petrum nunc currere ; ergo necessariò verum est ipsum currere, aut necessariò currit.* Nulla est consequentia, vt patet. Et quamuis Diuus Bonauentura in 1. d. 38. a. 2. qu. 1. ad 2. dicat rationem Aristotelis esse sophisticam; planè tamen indignum est hoc sentire de tanto Philosopho, Logicæque reparatore, & parente.

Non negat igitur Aristoteles propositionum contradictoriarum de futuris contingentibus, alteram determinatam, & definitè sumptam, esse veram ; aut esse falsam, si non sit vera, alioquin capite quarto præce-

denti malè definiuisset enunciationem in communi, *orationem in qua est verum, aut falsum.* Item in fine huius capitis, non tantùm concedit alteram esse veram, sed etiam magis veram; quia scilicet res enunciata est magis determinata ad esse ex vna parte, quàm ex altera. Denique malè diceret non dari medium inter contradictoria.

Vult ergo alteram propositionem seorsim determinatam, esse quidem veram contingenter, seu veritate contingenti, sicut res enunciata producitur contingenter: non autem esse veram necessariò, vel necessitate simplici, & absolutâ, vel necessitate ex suppositione determinationis actualis in causa ipsa, vel in ipso effectu existentis.

47. Dices: propositiones de præsentibus, & præteritis contingentibus, etiam de mente Aristotelis, non sunt necessariò veræ necessitate simplici (neque enim Petrum, qui nunc currit, necesse est currere) sed tantùm sunt necessariò veræ, vel necessariò falsæ ex suppositione: atqui propositiones de futuris contingentibus, sunt simili modo necessariæ; nimirùm ex suppositione determinationis causæ. Ergo si Aristoteles debeat intelligi, vt explicatum est, frustra ipse differentiam ponit inter illas, & istas propositiones quoad necessitatem.

Respondeo negando consequentiam: quamuis enim vtriusque generis propositiones sint necessariò veræ, vel falsæ, tantùm ex suppositione: vtrarumque tamen necessitas est diuersa, quia propositio de præsenti, est necessariò vera ex suppositione determinationis actualis, ipsius causæ, in actu positæ; & consequenter ex suppositione determinationis ipsius effectus in seipso, quatenus est actu determinatus ad esse quoad propriam existentiam, per quam est actu positus extra causas. At verò propositio de futuro, non est necessariò vera ex suppositione vllius actualis determinationis ex prædictis, quia res enunciata non habet vllam actualem determinationem, neque in se ipsa, cùm nondum existat; neque in sua causa, quia nondum operatur: & ideò est tantùm necessaria ex suppositione futuræ determinationis in causa, quæ secundùm se est indeterminata. Et hoc est quod dixit Scotus supra, numero 43. Et hæc de futuris contingentibus Philosopho sint plus quàm satis.

QVÆSTIO V.

De enunciatione modali.

1. SOLET hæc materia à multis philosophis prætermitti; à pluribus in summulis pertractari. Sed existimo, neque omninò prætermittandam, quia sæpe vtilis esse potest; nec in summulis pertractandam, saltem fusè, quia difficilior quàm par sit, incipientibus, & tyronibus est. In hunc igitur locum, tanquam proprium, eam remisi, deque ea, quâ potero breuitate, & perspicuitate tractabo.

SECTIO I.

Quid sit enunciatio modalis.

ENNVNCIATIO modalis, à modo nomen accepit: modus autem ex Diuo Thoma opusc. 48. tractatu de enunciatione, c. 11. *est rei adiacens determinatio*: id est, aliquod additum ipsi enunciationi, aliquam eius partem, vel totam enunciationem determinans, ita vt inde peculiarem significandi modum habeat: ideoque modus definitur ab Auerroë, Ammonio, & Psello, *Vox significans qualiter prædicatum insit subiecto*. Et consequenter propositio modalis est ea in qua reperitur talis modus, seu vt diximus q. 2. num. 9 *est ea quæ declarat modum quo vnum inest, vel non inest alteri.*

Potest autem talis determinatio, & limitatio fieri multis modis. Aliquando enim fit per nomina adiectiua, vt *homo prudens est pius* Vbi terminus, *prudens*, limitat hominem, & determinat ad significandos solos homines prudentiâ præditos. Aliquando fit per nomina substantiua in casibus obliquis posita, vt *omnis liber Caluini est impius*. Aliquando fit per aduerbia, vt *doctè loquitur*; *diligenter studet*. Sed de his non est nobis hic quæstio.

2. Sunt igitur alij modi, qui determinant propositionem secundùm materiam, seu secundùm connexionem prædicati cum subiecto. Tripliciter enim potest se habere prædicatum ad subiectum: primò vt subiecto ita insit, vt non possit non inesse: vt in ista propositione, *homo est rationalis*, Et hæc dicitur materia necessaria. Secundò, ita vt prædicatum non-

tantùm non insit subiecto, sed nec inesse possit: & hæc est materia impossibilis, vt *homo est equus*. Tertiò, ita vt prædicatum insit quidem subjecto, sed ita vt possit non inesse: vel non insit, sed possit inesse, vt *Petrus currit*. Et talis est materia contingens.

Secundum hanc igitur triplicem materiam triplex assignatur modus, qui materiam illam enunciationis designat, *necessarium*, *impossibile*, *contingens*, quibus additur *possibile*, quamuis solâ voce videatur à contingenti differre: differt tamen si per *contingens*, intelligatur illud, quod actu est, licet aliter se habere possit: per *possibile* verò, illud quod actu non est, licet esse possit. Nam de pariete albo rectè dicitur, *paries est contingenter albus*, & non rectè diceretur *est possibiliter albus*. Differt etiam intelligendo per possibile, aliquid commune contingenti, & necessario: necessarium quippe nondum existens, possibile est, licet contingens non sit, vt eclipsis, ortus Solis die craſtinâ, &c.

Quatuor ergo sunt modalis propositionis genera, secundùm quadruplicem modum, à quo nomen, & determinationem accipere potest, videlicet de necesse, de contingenti, de possibili, de impossibili.

3. Est autem aduertendum primò propositionem modalem posse determinari ab aliquo ex his modis dupliciter: primò, ita vt modi sumantur aduerbialiter, vt *Petrus necessariò est animal*. Secundò nominaliter, vt *Petrum esse animal est necesse*. Vnde, vt aliqua propositio absoluta, fiat modalis per modum nominaliter sumptum, verbum debet poni in infinitiuo, & reliqua in accusatiuo, itavt modus constituatur pro prædicato; cætera verò pro subiecto, quod communiter vocatur dictum; vt in prædicta *Petrum esse animal*, est dictum, & reliqua vocantur modus. Quando verò modus aduerbialiter vsurpatur, non habet rationem prædicati, sed solùm afficit copulam enunciationis, ideoque in ea est vnum tantùm prædicatum, & vnum tantùm subiectum, vt patet. At verò quando vsurpatur nominaliter, adsunt duo prædicata, & duo subiecta. Principale quidem prædicatum, & respectu totius propositionis est ipse modus; principale verò subiectum est totum ipsum dictum, in quo est alterum subiectum, & alterum prædicatum minùs principalia. Vt in superiori propositione animal est prædicatum, & Petrus subiectum dicti.

Aduertendum est secundò modum posse mutari loco tripliciter: vel enim antecedit dictum, vt *possibile est hominem currere*: vel subsequitur, vt *hominem currere possibile est*: vel ponitur intra partes dicti, vt *hominem possibile est currere*. Quamuis autem hæc mutatio nullam videatur inducere diuersitatem in propositionibus, multi tamen notabile discrimen agnoscunt. Etenim Diuus Thomas, siue Author opusculi citati, existimat, illam propositionem modalem non esse, in qua dictum prædicatur, & modus subjicitur, vt in ista, *possibile est Petrum currere*: quia denominatio sumitur à forma, formale autem in enunciatione est prædicatum: vnde si modus prædicetur, propositio erit verè modalis: si

verò

verò prædicetur dictum, modalis non erit, quamuis modalis videatur.

4. Nihilominùs, etsi modus in prædicta sede collocatus, teneat locum subiecti quoad voces: tamen quoad sensum, exercet munus prædicati; & ideò siue in priori, siue in posteriori loco constituatur, propositionem modalem constituet quoad essentiam, & sensum. Nam & in enunciatione absoluta idem sæpè contingit; vt nimirum prædicatum in subiecti sede collocetur, nec propterea varietur essentia, & denominatio talis enunciationis, vt *bonus est Deus: Deus est bonus.*

Adde quòd Aristoteles ferè semper collocat modos initio enunciationum modalium, vt statim earum quantitas, quæ à modis propriè desumitur, appareat; sicut in absolutis solent signa initio reponi.

Quod si modus interponatur dicto, vt *Petrum possibile est currere*, propositio erit modalis de re; si verò subsequatur dictum, erit modalis de dicto, vt ibidem ait Diuus Thomas. Ratio huius denominationis est, quia dum modus prædicatur, determinat ipsum verbum ratione compositionis, quam facit in enunciatione, & afficit totum ipsum dictum, tanquam vnum simplicem terminum. Quando verò modus immiscetur dicto, non cadit super totum dictum, sed supra subiectum dicti, designans modum, quo suum prædicatum illi conuenit. Vnde si dicas *Petrum possibile est currere*, non est sensus, quòd hoc dictum, *Petrum currere*, sit possibile, sed quòd in Petro sit possibilitas currendi. Si verò dicas *Petrum currere est possibile*, sensus est quòd hoc dictum *Petrum currere*, est possibile. Similiter cùm dicitur *Petrus currit necessariò*, non est sensus quòd cursus Petri sit necessarius, sed quòd ista compositio, *Petrus currit*, sit necessaria, inquit etiam ibi sanctus Thomas.

5. Et hoc idem est quod ait Titelmanus, & alij, videlicet modum positum intra partes dicti, siue adnerbialiter, siue nominaliter sumatur, facere modalem diuisam: positum verò separatim extra dictum, facere modalem compositam.

Est autem modalis composita, seu sensus compositus propositionis modalis, quando prædicatum tribuitur, & componitur cum subiecto eo tempore, quo de ipso enunciatur, vt in ista *currentem moueri necesse est*, reperitur sensus compositus, quia eodem tempore, quo aliquis currit, necessarium est vt moueatur. Propositio autem diuisa, seu sensus diuisus propositionis est, quando fit ampliatio aliqua, ita vt prædicatum non possit verificari de subiecto pro eo tempore, in quo de ipso enunciatur, sed in alio, vt cùm dicitur *currentem possibile est sedere*, sensus est, poterit sedere si amplius non currat, seu postquam cessauerit à cursu, non autem sedere, & currere simul. Quod Aristoteles 9. Metaph. cap. 9. breuiter expressit dicens: *posse itaque contraria simul est: contraria verò simul esse, impossibile est.* Et hoc est habere simultatem potentiæ, non potentiam simultatis. Loquuntur alij post Capreolum, quasi diceres: *Petrus habet simul potentiam ad currendum & sedendum: sed non potentiam*

ad currendum & sedendum simul. Sed de hoc latiùs in Physicis, vbi de prædeterminatione Physica.

Volunt ergo prædicti Authores, aliquando contingere modalem compositam esse falsam, diuisam verò, eisdem constantem terminis, esse veram, & contrà. Vt istæ compositæ falsæ sunt, *album esse nigrum est possibile, iniustum esse iustum est possibile.* Quia nimirum tunc sit sensus compositus, quasi album eodem tempore quo habet albedinem, possit eâ retentâ, recipere nigredinem; & iustus eodem tempore habere iustitiam, & iniustitiam. Quod est falsum. At verò si fiant diuisæ hoc modo, *album possibile est esse nigrum, iniustum possibile est esse iustum*, sunt veræ, quia sensus est, album, hoc est, subiectum albedinis posse esse nigrum, si abiiciat albedinem: & iniustum, seu subiectum iniustitiæ posse recipere iustitiam, abiectâ iniustitiâ.

6. Sunt alij denique Philosophi, asserentes modalem esse semper diuisam, quando modus ponitur aduerbialiter: compositam verò, quando ponitur nominaliter. Sed contrarium dicitur in citato opusculo Diui Th. vt numero 4. explicuimus. Quare vt omnis tollatur ambiguitas de huiusmodi sensu composito, & diuiso, existimo illum potiùs esse pensandum ex ipsius materiæ natura, & arguentis intentione, quàm ex vi significationis, ipsius modalis propositionis, aut situ, ordine, & expressione modi: ac proinde eam esse distinguendam, & concedendam in sensu diuiso, negandam verò in sensu composito, vel contrà: cum & in propositionibus absolutis, seu non modalibus possit reperiri sensus diuisus, & compositus, vt in istis, *cæcus videt. Peccator saluabitur.* In sensu enim composito sunt falsæ: quia cœcus, existens cœcus, non videt: & peccator manens in peccato, non saluabitur. In sensu autem diuiso possunt esse veræ, quia cœcus, ablatâ cœcitate potest videre, & peccator, sublato peccato potest saluari.

SECTIO II.

De qualitate, & quantitate propositionum modalium.

7. PER qualitatem propositionum modalium, intelliguntur præcipue affirmatio, & negatio; veritas, & falsitas. Non alio autem modo philosophandum est de earum veritate, ac falsitate, quàm de veritate, & falsitate enunciationum absolutarum; illas scilicet veras esse, quæ rem, vt est, enunciant, falsas verò, quæ rem enunciant aliter, ac est.

Neque tamen oportet eas reducere ad absolutas, ad veritatem, aut falsitatem earum dignoscendam; quia sæpè contingere potest propositi-

tionem modalem falsam esse, absolutâ existente verâ, aut è contrario. Hæc enim modalis, *possibile est Petrum currere*, vera est; & ista absoluta, *Petrus currit*, est falsa, Petro non currente. Similiter hæc absoluta, *homo est animal*, est vera: & tamen ad modalem istam reducta, *hominem esse animal est contingens*, falsitatem incurrit. Consulendum igitur est obiectum, & habenda ratio naturæ, & significationis ipsius modi.

Hoc porro animaduertendum hic est modales propositiones, quæ falsæ sunt, nunquam posse esse veras: & quæ veræ sunt, nunquam posse esse falsas: ac proinde omnes esse, aut impossibiles, aut necessarias. Vnde quamuis ista ex parte dicti sit de materia contingenti, *hominem esse album est possibile*, numquam potest esse falsa. Ista verò, *hominem esse album non est contingens*, nunquam potest esse vera, & sic est impossibilis, sicut prima est necessaria. Idemque valet in cæteris.

8. Quod spectat ad negationem, & affirmationem, sicut hæ sumuntur in absolutis, secundum compositionem, vel diuisionem subiecti, & prædicati, ita & in modalibus. Quemadmodum enim absoluta est affirmatiua, quando non remouetur compositio prædicati cum subiecto per negationem: negatiua autem, quando in compositione est negatio: ita modalis est affirmatiua, si modus, qui habet rationem prædicati, componitur affirmatiuè cum dicto: negatiua autem si ab eo diuidatur per negationem. Vnde propositio modalis dicitur vniuersaliter, & absolutè affirmatiua, vel negatiua à modo affirmato, vel negato; adeò vt quæcumque apponatur negatio ex parte dicti, debeat censeri affirmatiua, si modus non negetur. Quare ista, *Petrum non currere est possibile*, affirmatiua est, non minùs quàm hæc, *Petrum currere est possibile*; vtraque enim est vera, quia Petrus potest currere, & non currere. Si autem prior esset negatiua, cùm sit de eodem singulari, opponeretur alteri contradictoriè, & ita ambæ non possent esse veræ.

Cæterum, quamuis enunciatio modalis dicatur affirmatiua, vel negatiua à modo affirmato, & negato, aduertendum tamen est pro intelligentia dicendorum, quamlibet posse quatuor modis diuersis efferri: primò ita vt vtrumque dictum scilicet, & modus in ea affirmetur, vt *Petrum currere est possibile*. Secundò ita vt vtrumque negetur, vt *Petrum non currere non est possibile*. Tertiò ita vt affirmetur modus, & negetur dictum, vt *Petrum non currere est possibile*. Quartò ita vt negetur modus, & affirmetur dictum, vt *Petrum currere non est possibile*.

9. Circa quantitatem enunciationum modalium, hoc est, vniuersalitatem, vel particularitatem, recolendum est quod num. 3. tetigimus, duplex esse subiectum in modalibus de modo nominaliter sumpto, scilicet principale, & minùs principale. Principale, quod vocatur subiectum enunciationis, est totum ipsum dictum, aut vt alij volunt, est ipsum verbum dicti, respectu cuius modus habet rationem prædicati. Minùs

verò principale, quod Albertus vocat subiectum loquutionis, est pars materialis, ipsius dicti, seu id, de quo aliquid in ipso dicto enunciatur, vt in ista propositione, *Petrum currere est contingens*; Petrus est subiectum loquutionis, de quo enunciatur cursus; *Petrum currere*, seu ipsum solum, *currere*, est principale subiectum enunciationis, de quo modus, scilicet *est contingens*, affirmatur.

Habitâ ergo ratione minus principalis subiecti, reperiri potest quantitas in modalibus, quæ reperitur in absolutis, & ita modales dicentur ex hac parte, aut vniuersales, vt *omnem hominem currere est possibile*: aut particulares, vt *aliquem hominem currere est possibile*: aut indefinitæ, vt *hominem esse Philosophum est contingens*. Aut singulares, vt *Petrum esse Grammaticum est possibile*.

Ratione verò principalis subiecti, reperitur in modalibus quantitas temporis, quæ est aut vniuersalis, aut particularis. Vniuersalis distribuit verbum in omne tempus: particularis verò in aliquod: sed illa distributio dependet à modo, qui illam significat, & importat. Duo autem sunt modi vniuersales, nempe *necesse*, & *impossibile*: quia quod necessarium est, omni tempore inest: & quod est impossibile, nunquam inest. Duo vero sunt particulares, nimirum *possibile*, & *contingens*, qui ex se rem non semper ponunt.

Verum sicut in propositionibus absolutis signa vniuersalia, *omnis*, & *nullus*, fiunt particularia, si eis præponatur negatio: & particularia *quidam*, *aliquis*, simili ratione fiunt vniuersalia, dicendo, *non quidam non aliquis*: ita modi vniuersales, præpositâ negatione fiunt particulares, & particulares fiunt vniuersales: adeò vt *non necessarium*, & *non impossibile*, sint particularia: *non contingens*, & *non possibile*, vniuersalia.

10. Ex quo colligitur, quantitatem modalis enunciationis peti, & ex parte dicti, & ex parte modi, numeralem quidem ex parte dicti: quantitatem verò temporis ex parte modi: ita vt propositio, quæ vtramque habuerit quantitatem vniuersalem, dicatur absolutè, & simpliciter vniuersalis, vt ista *omnem hominem esse animal est necesse*. Quæ verò vtramque particularem, erit simpliciter particularis; ꝟ *g.* ista, *aliquem hominem esse album est contingens*. Quæ denique alteram tantùm, dicetur mixta, vt hæc, *aliquem hominem esse animal est necesse*. Si tamen propositio fuerit indefinita, & in ea ponatur modus vniuersalis, vt *hominem esse animal est necesse*, vniuersalis erit: particularis verò si adsit modus particularis, vt in ista, *hominem esse album est contingens*.

Non est tamen omittendum, Diuum Thomam citato opusculo, & loco, absolutè asserere omnes modales de dicto, in quibus videlicet modus non immiscetur dicto, sed simpliciter de eo prædicatur, esse particulares, seu singulares, quantumcumque dictum vniuersale extiterit, vt in ista *omnem hominem currere est possibile*, quia dictum hoc, *omnem*

hominem currere, sumitur tanquam terminus aliquis particularis de quo modus affirmatur, quasi sensus sit, *hæc propositio, seu hoc compositum* omnis homo currit, *est possibile*. Et ita vniuersalitas dicti se habet omninò materialiter. Hoc idem asserit Mailhatus.

SECTIO III.

De æquipollentia propositionum modalium.

11. EX superioribus constat, quatuor esse genera propositionum modalium iuxta quadruplex modorum genus, nempe vnam esse de necessario, alteram de possibili, tertiam de contingenti, & vltimam de impossibili. Constat item ex numero 8. quamlibet ex his propositionibus habere sub se quatuor veluti species, seu quatuor diuersarum specierum propositiones, vnam in qua modus, & dictum affirmantur; alteram, in qua vtrumque negatur; tertiam in qua negatur dictum, affirmatur modus; & quartam, in qua affirmatur dictum, & modus negatur. Vt ergo cognoscatur quænam sibi sint æquipollentes, & facilius iuuetur memoria.

Notanda sunt ista quatuor vocabula, *Amabimus, edentuli, iliace, purpurea*: in quorum singulis quatuor sunt syllabæ, quarum primæ respondet propositio de possibili: secundæ de contingenti: tertiæ de impossibili: quartæ de necesse: adeò vt omnes propositiones vni, eidemque vocabulo respondentes, sibi inuicem æquipolleant, vt omnes quæ formantur in vocabulo, *amabimus*, & ita de alijs.

Vt autem sciatur quâ ratione formari debeant huiusmodi propositiones, singulis vocabulis respondentes, habenda est ratio quatuor vocalium, quæ in quolibet reperiuntur, scilicet *a. e. i u.* Etenim *a.* significat propositionem modalem ipsi respondentem, debere esse omninò affirmatiuam, hoc est de dicto, & de modo, quicumque sit ille modus. *e.* verò denotat propositionem illi respondentem, debere esse negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo. *i.* autem designat propositionem sibi conuenientem, debere esse affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo. *u.* denique omninò negatiuam. Quod indicat hic versiculus.

E. dictum negat, Ique modum; nihil A. sed V. totum.

12. Sumamus pro exemplo propositiones, quæ respondent primo vocabulo, *amabimus*: & quidem, quia primæ syllabæ, seu vocali *A*, respondet propositio de possibili, & *A* indicat, eam debere esse omninò affirmatiuam, tum secundùm dictum, tum secundùm modum, sic formabitur illa propositio, *Petrum currere est possibile*. Secunda propositio est de contingenti, & respondet secundæ vocali, quæ est etiam *A*,

quæ pariter exigit propositionem omninò affirmatiuam, quæ sic efferetur, *Petrum currere est contingens.* Tertia debet esse de impossibili, respondens vocali *I*, quæ exigit dictum affirmatum & modum negatum hoc modo, *Petrum currere non est impossibile.* Quarta denique est de necesse, respondens vocali *V.* quæ postulat propositionem omninò negatiuam hoc modo, *Petrum non currere non est necesse.* Idemque de cæteris vocabulis poterit quilibet experiri: omnes enim supra dictæ propositiones, & quæcumque similes, sibi inuicem æquipollent, tantumque vna, quantum alia valet.

Vnde poterit facilè cognosci quibus æquiualeat quæuis ad libitum data propositio, *v.g.* ista, *hominem non esse album non est necesse.* Quia enim est omnino negatiua, respondet vocali *V*: & quia est de *necesse*, respondet quartæ syllabæ alicuius vocabuli. Quærendum est ergo vocabulum, habens *V*, in quarta syllaba, & istud est *amabimus.* Vnde infero eam æquipollere affirmatiuæ secundùm dictum, & negatiuæ secundùm modum de impossibili, quæ respondet vocali *I*: itemque de contingenti, & possibili, omninò affirmatiuis, respondentibus alijs vocalibus, nempe *A*, hoc modo *hominem esse album non est impossibile: hominem esse album est contingens: hominem esse album est possibile.*

13. Est autem hic aduertendum pro æquipollentia illarum modalium, quæ sunt de dicto communi, vt postrema, quæ est de *necesse*, sit alterius quantitatis, quàm tres priores: ita vt si tres priores habeant dictum, vniuersaliter sumptum, postrema habeat dictum, particulariter sumptum: & si tres priores sint de dicto, particulariter sumpto, postrema sit de dicto vniuersaliter sumpto. Quæ quidem regula licet necessaria non sit in omnibus; in aliquibus tamen ita necessaria est, vt manifestus sequatur error, nisi obseruetur.

Hoc patet primò in diuinis, si hoc modo procedamus in vocabulo *amabimus: aliquam personam in diuinis esse Patrem est possibile: aliquam personam in diuinis esse Patrem est contingens aliquam personam in diuinis esse Patrem non est impossibile: aliquam personam in diuinis non esse Patrem non est necesse.* Quæ vltima est manifestè falsa, cùm necesse sit esse aliquam personam in diuinis, quæ non sit Pater, nempe Filium, & Spiritum sanctum. Ad hoc ergo vt vera sit, debet mutari quantitas dicti, & fieri vniuersalis hoc modo, *omnem personam in diuinis non esse Patrem non est necesse.*

Patet secundo in creatis, ex suppositione falsæ opinionis, quam Aristoteli tribuunt, mundum fuisse ab æterno, & omnes rerum species necessariò esse. Sic enim tres priores istæ propositiones veræ essent, & vltima falsa: *aliquod animal esse hominem est possibile: aliquod animal esse hominem non est impossibile: aliquod animal non esse hominem non est necesse.* Ex illa enim suppositione Leo, Equus, &c. necessario fuissent

ac proinde necesse esset aliquod animal non esse hominem. Si autem fieret vniuersalis hoc modo, *omne animal non esse hominem non est necesse*, vera esset.

SECTIO IV.

De oppositione, & conuersione propositionum modalium.

14. DE oppositione modalium ex modo aduerbiali, quas diuisas, seu de sensu diuiso semper esse multi contendunt, vt num. 6. adnotauimus, non alia est difficultas, quàm quæ in oppositione absolutarum reperitur, eò quòd per omnia seruant leges, & dispositiones earum. Quapropter consulendæ sunt leges propositionum de inesse quoad negationem, & affirmationē; vniuersalitatem, & particularitatem, vt ad earum normam formentur modales oppositæ, aduertendo quod diximus numero 9. in fine, duos esse modos vniuersales, scilicet *necessariò*, & *impossibiliter*: duos verò particulares, nempe *contingenter*, & *possibiliter*, à quibus præcipuè sumitur quantitas modalium. Vnde cum contrariæ de inesse, debeant esse vniuersales, istæ modales non sunt contrariæ, *omnis homo possibiliter sedet*; *omnis homo possibiliter non sedet*; sunt enim ambæ veræ, & ambæ particulares de modo. Et ita de alijs oppositionibus philosophandum est.

Quod autem spectat ad oppositionem modalium de modo nominaliter sumpto, facilè potest ipsa discerni in vocabulis, præcedenti sectione allatis, videlicet *Amabimus*, *Edentuli*, *Iliace*, *Purpurea*. Propositiones enim vocabulorum *Purpurea*, & *Iliace*, contrariæ sunt. *Amabimus*, & *Edentuli*, subcontrariæ. *Iliace* verò, & *Amabimus*, contradictoriæ, non secus ac *Purpurea*, & *Edentuli*. Denique *Iliace*, & *Edentuli*, sunt subalternæ, sicut *Amabimus*, & *Purpurea*. Quæ omnia patent in sequenti schemate, in quo posuimus modales de dicto tantùm singulari, quia earum oppositio facilè cognoscitur.


Sequitur Schema præfatum.

15 PVRPVREA, ILIACE,

Petrum non currere non eſt poſsibile,
Petrum non currere non eſt contingens,
Petrum non currere eſt impoſsibile,
Petrum currere eſt neceſſe,

Petrum currere non eſt poſsibile.
Petrum currere non eſt contingens.
Petrum currere eſt impoſsibile.
Petrum non currere eſt neceſſe.

Contrariæ.



Subcontrariæ.

AMABIMVS. EDENTVLI.

Petrum currere eſt poſsibile,
Petrum currere eſt contingens,
Petrum currere non eſt impoſsibile,
Petrum non currere non eſt neceſſe,

Petrum non currere eſt poſsibile.
Petrum non currere eſt contingens.
Petrũ non currere non eſt impoſsibile
Petrum currere non eſt neceſſe.

16. Exiſtimat autem Mailhatus, in huiuſmodi propoſitionibus compoſitis, & modalibus de dicto nullam propriè oppoſitionem reperiri, niſi contradictoriam, quia, vt diximus numero 10. ex Diuo Thoma ipſæ ſunt omnes particulares, ſeu ſingulares, quantumcumque dictum ſit vniuerſale: inter propoſitiones autem ſingulares ſola reperitur oppoſitio contradictoria. Vnde ad formandam hujuſmodi oppoſitionem inter modales, oportet ſolùm affirmare in vna copulam principalem, ſeu modum; in altera verò negare, nullâ aliâ mutatione factâ, adeò vt, nulla conſurgat oppoſitio quomodocunque mutetur dictum, ſi non varietur modus penès affirmationem, & negationem: quo fit vt iſtæ non ſint oppoſitæ, inquantum modales, *omnem hominem currere eſt poſsibile. omnem hominem non currere eſt poſsibile.*

Sunt ego tantùm oppoſitæ mat-r aliter, ſeu oppoſitione rerum: ſicut iſtæ *hominem currere eſt neceſſe, eſt contingens eſt impoſsibile* quia ſunt omnes affirmatiuæ. Neque obſtat quod duo modi *neceſſe*, & *impoſsibile* ſint vniuerſales: & alij duo, *poſsibile*, & *contingens*, particulares, vt ſupra diximus; quia, inquit, quantitas ſemper ſe tenet ex parte ſubiecti: iſti

isti autem modi habent locum prædicati: ideoque non tribuunt propositioni vniuersalitatem, aut particularitatem. Quæ tamen diximus, magis communiter recepta sunt.

Cæterum multæ assignantur regulæ à Summulistis pro oppositione modalium de dicto communi, quas lubens omitterem, quia multitudo præceptorum mentem obruit, & consideratâ materiâ, sensuq; illarum propositionum, facilius intelligitur, quo modo inter se opponantur, quàm si huiusmodi regulæ consulantur. Nihilominùs duas breues subiungo; altera, quæ est ex parte modi, sic se habet. In contrarijs idem debet esse modus vniuersalis. In subcontrarijs idem particularis. In contradictorijs & subalternis iidem modi contradicentes. Altera verò, quæ est ex parte dicti, sic. Contrariæ, subcontrariæ, & subalternæ de *necesse* debent habere dicta contraria, aut contradictoria: de possibili verò, & impossibili, dicta contradictoria, aut subcontraria. Contradicentes denique idem dictum habeant.

17. Quod attinet ad conuersionem modalium, nullam in eis agnoscit idem Mailhatus, quia cùm hæc sit mutatio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum, in modalibus non potest reperiri, eo quòd modus in quacumque sede reponatur, habet semper rationem prædicati quoad sensum, vt diximus numero 4. & reuera talis conuersio fieri nequit, nisi secundùm dictum, ac proinde iuxta regulas conuersionis propositionum absolutarum. Vnde modales de *necesse*, *contingenti* & *possibili* affirmatis, & de *impossibili* negato, conuertentur conuersione simplici, si dictum sit vniuersale negatiuum, vel particulare affirmatiuum. Vt *omnem hominem non esse equum est necesse, est possibile: omnem equum non esse hominem est necesse, est possibile* &c. iuxta illum versiculum conuersioni propositionum de inesse aptatum.

FECI, simpliciter conuertitur: EVA per acci.

Modales verò de *impossibili* affirmato, & de *possibili*, *contingenti*, & *necesse* negatis conuerti possunt, quando dicta possunt simpliciter conuerti, non aliter. Vnde ista *omne animal esse hominem est impossibile*, non bene conuertetur per accidens in hanc *aliquem hominem esse animal est impossibile*. Item *nullum hominem esse animal est impossibile*, non bene conuertitur, *ergo aliquod animal non esse hominem est impossibile*: bene autem in hanc *ergo nullum animal esse hominem est impossibile*, quod si dictum sit particulare, rectè conuerti poterit per accidens in eam, quæ dictum habet vniuersale: vt hæc, *aliquod animal esse lapidem est impossibile; ergo omnem lapidem esse animal est impossibile*. Hæc de his plusquam satis.

LIBER SEXTVS.

DE SYLLOGISMO, & Demonstratione.



SEXTVS hic liber complectetur doctrinam, quam tradit Aristoteles in libris priorum, & posteriorum, hoc est, doctrinam de ratiocinatione, & demonstratione. Postquam enim in libris περὶ ἑρμηνείας, seu *de interpretatione*, egit de enunciatione, quæ ad secundam mentis operationem pertinet, progreditur ad discursum, qui ex multis enunciationibus coalescit, & tertiâ mentis operatione constat.

Isti autem libri vno communi nomine vocantur ἀναλυτικοὶ, id est, resolutorii; & sunt quatuor: duo primi dicuntur priores analytici, seu de priori resolutione: alii verò duo vocantur posteriores analytici, seu de posteriori resolutione. Quæ inscriptio ab interpretibus potiùs, quam ab Arist. adhibita est, vt notat Galenus. Nam vt patet ex 1. priorum, c. 4. & primo posteriorum, c. 3. Aristoteles vocat duos priores *de ratiocinatione*, seu *de syllogismo*; duos verò posteriores *de demonstratione*.

2. Ideò potro vocantur resolutorij, quia resoluere est totum aliquod reuocare in suas partes, & principia, vt cùm domus in lapides, ligna, parietes, tectum, &c. ex quibus composita est, dissoluitur, vel reipsa, vel cogitatione. Hoc autem modo resoluit Aristoteles syllogismum in istis libris, cùm in ijs agat de partibus, speciebus, principijs, affectionibus, & proprietatibus ipsius, docens quales esse debeant præmissæ; quomodo ordinandæ, & disponendæ sint inter se, vt legitimam conclusionem inferant. Quâ item ratione enthymema, & cæteræ ratiocinationis species ad ipsum reuocentur. Cuius etiam conditionis debeant esse propositiones syllogismi demonstratiui, quod medium, & quæcumque alia ad ipsum pertinentia.

Possunt etiam dici resolutorij, quia in his docet quomodo syllogismi imperfecti reducantur ad perfectos reductione ostensiuâ, vel per impossibile, vt adnotauimus lib. 1. q. 15. numero. 3.

Quia vero syllogismus in communi, est aliquid prius syllogismo demonstratiuo, sicut animal est prius homine, tanquam genus suâ specie: ideo duo primi libri, in quibus agitur de syllogismo in communi, vocantur de priori resolutione: & duo alij, in quibus agitur de demonstratione, vocantur de posteriori resolutione.

Nos ordinem sequemur Aristotelis, & primò agemus de syllogismo in communi: deinde verò de syllogismo demonstratiuo, omissis multis, quæ in summulis traduntur.

QVÆSTIO I.

De Syllogismo in communi.

SECTIO I.

De natura discursus, eiusque speciebus.

3. CVM syllogismus sit perfectissima ratiocinationis, siue discursus species, vt melius eius natura intelligatur, necesse est aliqua de discursu in communi præfari.

Itaque per discursum intelligitur illa mentis operatio, per quam vnum ex alio inferimus, seu per quam intellectus ex cognitione vnius rei, colligit, & infert alterius rei cognitionem, vt cùm ex eo quòd cognouerit hominem esse rationalem, colligit, & infert esse risibilem. Vnde meritò comparatur discursus ab Alberto Magno, motui progressiuo animalis. Sicut enim animal dum mouetur, transit ab eo loco, quem deseirit, quique *terminus à quo*, dicitur; ad eum, ad quem accedit, qui dicitur *terminus ad quem*: ita intellectus discurrendo procedit ex vna cognitione, tanquam ex *termino à quo*, ad aliam, tanquam ad *terminum ad quem*.

Quòd si inter has cognitiones nulla sit dependentia, sed veluti sit series quædam cognitionum absque connexione, vt dum vnum post aliud intelligitur, talis discursus dicetur discursus secundùm successionem: alter verò dicitur discursus secundùm causalitatem: quando videlicet intelle-

ctus progreditur à cognitione vnius rei ad cognitionem alterius cum dependentia vnius cognitionis ab alia, qualis est inter cognitionem rationalitatis, & cognitionem risibilitatis. Et hæc distinctio est Diui Thomæ 1. p. q. 14. a. 7.

De priori non agimus hic: reperiri enim potest etiam in apprehensionibus simplicibus, quia post cognitionem simplicem vnius rei, cuilibet liberum est alterius rei cognitionem simplicem formare. At posterior supponit iudicium. Sicut enim secunda mentis operatio supponit primam, ita tertia supponit secundam. Vnde hæc tertia dicitur ratiocinatio: & quando intellectus hoc modo operatur, ratio nuncupatur, vt rectè ait Diuus Thomas 1. p. q. 79. a. 8. ideoque particula illatiua, *ergo*, dicitur particula rationalis.

4. Ex his rectè potest definiri discursus, *cognitio ignoti, ex notioris cognitione deducta*. Per cognitionem intelligitur tertia mentis operatio, quæ supponit notitiam iudicatiuam. Quamuis enim simplex apprehensio ex alia causari posse videatur, nullam tamen ad eam, ex qua causatur, habitudinem seruat. Et ita, dum intellectus format simplicem conceptum animalis ex conceptu simplici hominis, nulla interuenit connexio rationalis, & discursiua, per quam intelligatur vnum ex alio dependere.

Dicitur deinde, *ex notioris cognitione deducta*: quia cùm discursus sit progressio ab vnius cognitione ad cognitionem alterius, non potest fieri talis progressio, nisi vno ex his quatuor modis, scilicet ex noto ad notum; ex ignoto ad ignotum; ex ignoto ad notum; ex notiore ad minùs notum. Tres primi modi, aut sunt inutiles, aut impossibiles: am in primo nulla acquiritur cognitio: neque etiam in secundo, quia ignotum non potest manifestare ignotum. In tertio maior adhuc est repugnantia.

Sequitur ergo quod fiat progressus à notiore ad minùs notum: quod debet intelligi de notiore saltem quoad nos; non verò solùm de notiore quoad se: illud autem est notius quoad se, quod habet nobiliorem, & perfectiorem entitatem, vt Deus notior est, quàm creaturæ, secundùm se; causa quàm effectus &c. Vnde quia aliquando cognoscimus causam per effectus, vt hominem esse rationalem, quia est risibilis, ideo res, quæ priùs cognita nos ducit in cognitionem alterius, debet esse notior, saltem quoad nos, re illâ, quæ per ipsam cognoscitur.

Et ex hoc nascitur subdiuisio discursus in discursum à priori, & discursum à posteriori. A priori quidem est, quando antecedens continet causam consequentis, vt *est rationale; ergo est risibile*. A posteriori verò, quando antecedens continet effectum consequentis, vt *est risibilis; ergo est rationalis*.

5. Potest autem hic esse controuersia, vtrum in discursu plures requirantur cognitiones, vel vna solùm sufficiat? Conimbricenses hic, q. 2. a. 1. dicunt Scotum in prologo sent. q. 4. & in 2. d. 7. q. 1. asserere non

requiri pluralitatem cognitionum, sed sufficere vnam, quâ vnum ex alio percipiatur, eumque meritò propterea reprehendi à Caietano, 1. p. q. 58. a. 3. verùm neque Caietanus illum ea de re arguit, neque Scotus hoc asserit, sed tantùm non requiri ad discursum successionem, & ordinem temporis, sed sufficere ordinem, & prioritatem naturæ: ita vt vnum sit priùs naturaliter notum, & ita causet cognitionem alterius extremi.

Hoc patet q. 3. prologi sub titulo quæstionis quartæ, & quintæ lateralis, numero 27. vbi sic loquitur: *omnis veritas causata in intellectu nostro per aliquid priùs naturaliter notum, causatur per discursum: quia discursus non requirit successionem temporis nec ordinem ipsius, sed ordinem naturæ: scilicet quòd principium discursus sit priùs naturaliter notum, & vt sic, sit causatiuum alterius extremi discursus.* Vbi manifestè plures ad discursum cognitiones requirit, quia idem non est causa sui ipsius. Et lib. 2. d. 3. q. 9. num. 5. hæc habet: *omnis discursus præsupponit notitiam illius simplicis, ad quod discurritur: igitur si per illam essentiam cognitam*, videlicet essentiam angeli, *habetur notitia de essentia diuina per discursum, oportet præhabere conceptum simplicem de essentia diuina.*

6. Communis ergo sententia est, plures ad discursum necessarias esse cognitiones, & patet ex ipsa discursus natura. Cùm enim discurrere sit vnum ex alio cognoscere, necessarium est, vt duæ saltem sint cognitiones, altera antecedentis, altera consequentis, quarum vna dependeat ab alia, quæ sit via, & ratio, quâ intellectus in alterius notitiam deducatur. Idem autem non potest dependere à seipso, nec seipso prius esse, aut posterius: ac proindè cognitio antecedentis debet esse prior cognitione consequentis, si non tempore, saltem naturâ; quod addo, quia multi volunt intellectum in eodem instanti posse multas elicere cognitiones, sicut potest plura iudicia simul conseruare. Et hoc videtur asserere Aristoteles 1. post. cap. 1. sub initium, vbi ait priorem præmissam, seu maiorem syllogismi, priùs cognosci, quàm conclusionem; minorem verò simul cum illa: sed de hoc infra.

7. Cæterum ex prædicta discursus definitione, & ex hac cognitionum pluralitate, quam exigit, satis potest intelligi, radicem, & propriam causam cur intelligamus discurrendo, esse, quia non intelligimus res ipsas, earumque proprietates cognitione perfectâ, seu quidditatiuâ, & intuitiuâ. Cùm enim discurrere, sit vnum per aliud cognoscere, si intelligeremus res in se cognitione intuitiuâ, & quidditatiuâ, non indigeremus cognitione aliarum rerum ad ipsas intelligendas. Defectu ergo talis perfectæ cognitionis, cogimur vti cognitionibus aliarum rerum, nobis notiorum, vt cognitione rerum materialium, ad cognoscendas spiritales; accidentium ad cognoscendam substantiam; effectuum ad cognoscendas causas, &c.

At verò Angeli, qui res naturales vident clarè, & intuitiuè, vt in se

sunt, non cognoscunt discurrendo ex opinione sancti Thomæ, sed vno simplici iudicio cognoscunt risibilitatem, *v. g.* conuenire homini propter rationalitatem. Vnde aliud est cognoscere risibilitatem conuenire homini propter rationalitatem: aliud verò cognoscere risibilitatem conuenire homini, eo quòd cognoueris ipsum esse rationalem. Primum enim potest esse sine discursu, vt patet in Deo: non verò secundum.

Aliqui tamen vocant hunc modum cognoscendi, nimirùm effectum ex causa, discursum virtualem, quem nec Angelis, nec Deo denegant; quia, licet vnica sit cognitio actu, est virtute duplex.

8. Pro secunda sectionis parte multiplex assignatur species discursus, seu argumentationis, & maximè quadruplex. Prima est *syllogismus*, constans, tribus propositionibus, maiori, minori, & conclusione; vt *homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal.* Et hæc est perfectissima omnium; adeo vt ex eo vis concludendi in cæteras deriuetur, aut ad eam reduci debeant cæteræ, vt vim concludendi habeant.

Secunda est *Enthymema*, duas habens propositiones, alteram pro antecedente, alteram pro consequente, vt *Petrus est homo; ergo Petrus est animal.*

Tertia dicitur *Inductio*, quæ est à singularibus ad vniuersalia progressio: quando videlicet ex particularibus sufficienter enumeratis in antecedente, inferimus consequentiam, aut conclusionem vniuersalem. Vt *hic ignis est calidus, & ille, & ille: ergo omnis ignis est calidus.*

Quarta est *exemplum*: & est argumentatio, in qua ab exemplo rei gestæ, quippiam simile colligitur, seu qua ab vno, aut altero singulari inferimus aliud singulare, vt Petrus epotâ cicutâ interijt, itemq; Paulus: ergo Ioannes, si eam hauserit, interibit. Sed de his fusius agemus infra.

Additur *Dilemma*, quod est argumentum cornutum, vt aiunt, complectens duas partes, vt in quamcunque te verteris, expedire te non possis: vnde fit per duplex veluti enthymema.

SECTIO II.

De definitione Syllogismi.

9. ARISTOTELES lib. 1. priorum cap. 1. definit syllogismum his verbis: *Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quippiam à positis, necessariò euenit, eo quòd hæc sunt.* Oratio, intellige mentalem, est genus remotum, proximum autem est argumentatio; & ideo alij loco orationis ponunt *ratio*; nam græcum λόγος vtrumque significat. Quia tamen inter mediæ differentiæ adduntur, genus remotum sufficit, & per hoc excluduntur termmini simplices.

Sequitur *quibusdam positis*, hoc est duabus propositionibus simplicibus. Aristoteles enim, vt inquit Aphrodisæus, censendus est hic intelligere propositiones, quas antea definierat per affirmationem & negationem alicuius de aliquo, quod est proprium enunciationum simplicium: nam coniunctæ, seu hypotheticæ, sunt potiùs illatiuæ vnius ex alio, vt patet ex quæst. 2. libri præcedentis. Et ita ab hac definitione excluditur syllogismus hypotheticus, qui ex propositionibus hypotheticis componitur.

Quamuis autem plures sint in syllogismo propositiones: tamen quia omnes ad eundem finem ordinantur, scilicet ad inferendam conclusionem; quia sunt materia vnius iudicij illatiui; quia præmissæ vniuntur in vno medio; & conclusio cum præmissis coniungitur per particulam rationalem, seu illatiuam, *ergo*, ideo rationem vnius orationis habent.

Per easdem quoque particulas excluduntur ab hac definitione, *Enthymema*, *Inductio*, *& exemplum*, in quibus vna tantùm propositio, aut saltem vim vnius tantùm habens, in antecedente ponitur, vt patet ex sectione præcedenti: in syllogismo autem duæ præmittuntur, & tertia infertur.

10. Vocabulum, *positis*, idem est, ac *benè dispositis*, *& secundùm regulas syllogisticas ordinatis* ex Ægydio romano. Iuxta Auerrorem hic c. 1. idem est, ac *concessis*: vnde etiam Boëtius lib. 2. de syllogismo categorico cap. 7. ponit in definitione, *positis & concessis*. Aphrodisæus quoque interpretatur *positis*, id est, *concessis*, vel saltem aptis, vt concedantur. Cùm enim syllogismo vtamur ad aliquid probandum, oportet, vt constet propositionibus veris, aut saltem habentibus veritatem apparentem.

Distinguendum tamen existimo. Si enim loquamur de vi, & facultate syllogismi, *positis*, idem erit, ac debitè ordinatis, & dispositis secundùm debitam formam, & figuram. Etenim vis, & facultas syllogismorum quoad illationem conclusionis, non dependet ex concessione præmissarum, ab aduersario facta; sed ex varia medij cum extremis dispositione, & habitudine: ideoque siue concedantur præmissæ, siue non; semper in eis est facultas, & vis inferendi consequentiam, si sint rectè ordinatæ.

Quòd si sermo sit de inflexione intellectus ad assensum conclusionis, quam suadere conamur, tunc, *positis*, idem erit, ac *concessis*. Necesse enim est, vt præmissis assensus præbeatur antequàm intellectus conclusioni adhæreat, quia assensus conclusionis à præmissarum concessione dependet.

11. Additur denique, *aliud quippiam à positis, necessariò euenit eo quòd hæc posita sunt*. Vbi per *aliud*, intelligitur conclusio, quæ à præmissis debet esse distincta. Per illa verò, *necessariò euenit*, excluduntur etiam aliæ argumentationes, vt *enthymema*, *inductio*, & *exemplum*, quæ ex vi formæ suæ, non inferunt necessariam consequentiam. Vnde

vltimo

vltimo loco ponitur, *eò quòd hæc sunt*, seu *eò quòd hæc posita sunt*, id est, rectè ordinata, vel concessa, secundùm ea, quæ iam dicebamus. Fieri enim non potest, vt concessis præmissis negetur conclusio à mentis compote, si syllogismus sit in debita figura, & forma. Et si sermo sit de vi, & facultate concludendi ipsius syllogismi, conclusio etiam sequitur necessariò eo quòd hæc posita sint, id est, vi consequentiæ, seu formæ syllogisticæ. Quod vt melius intelligatur.

Aduertendum est, conclusionem posse duobus modis inferri ex præmissis, primò, *vi formæ*, quod aliter dicitur, *necessitate consequentiæ*. Secundò, *vi materiæ*, seu *necessitate consequentis*.

12. Conclusio tunc dicitur sequi *necessitate consequentiæ*, quando termini, & præmissæ rectè disponuntur, prout figuræ, modique syllogismorum exigunt, licet alioquin reperiatur falsitas in materia præmissarum, vt in isto syllogismo, *omnis homo est lapis. omne risibile est homo: ergo omne risibile est lapis.* Conclusio sequitur necessariò ex præmissis *vi formæ*, & *necessitate consequentiæ*: adeò vt concessis præmissis non possit negari conclusio. Et de hac illationis necessitate, debet intelligi definitio syllogismi tradita.

Si verò propositiones, & termini non sint rectè dispositi prout exigunt figuræ & regulæ syllogismorum: sint tamen necessariò inter se connexi, ratione materiæ, seu rei significatæ, tunc conclusio sequetur *necessitate materiæ*, seu *consequentis*: adeò vt veris præmissis, ijsdemque concessis, vera sit conclusio, & concedenda: non quòd sequatur ex vi ipsa formæ syllogisticæ, sed præcisè ex veritate rei. Vt in isto syllogismo *omne animal est substantia; omnis homo est substantia; ergo omnis homo est animal.* Non est enim syllogismus in forma: tamen, quia substantia necessariò coniuncta est cum homine, ideò conclusio vera est, & concedenda.

Quâ verò necessitate compellatur intellectus ad assentiendum conclusioni, concessis semel præmissis, quæstio esse solet, quam examinabimus sectione 7.

SECTIO III.

De materia, & forma Syllogismi.

13. QVEMADMODVM in artefactis materia dicitur illud ex quo aliquid fit, vt lignum dicitur materia Cathedræ: ita in syllogismo, qui est veluti quoddam artefactum, materia dicitur illud ex quo ipse conficitur: forma verò id, quo distinguitur a secunda mentis operatione, sicut forma artefacti est illud, per quod à cæteris artefactis differt. Agimus ergo hic de materia syllogismi, & de forma illius essentiali.

Duplex autem materia syllogismi distingui solet: remota nimirum, & proxima. Remota sunt tres termini, maius extremum, minus extremum, & medium, seu medius terminus: ex quibus diuersimodè inter se ordinatis consurgit figura syllogistica, vt in summulis tradi solet. Proxima verò sunt ipsæ propositiones, quæ ex terminis formantur, & ex quibus immediatè conficitur, & componitur syllogismus juxta regulas syllogisticas, de quibus ibidem sufficienter agitur.

Circa materiam verò remotam, seu circa terminos, hic aduertendum est, debere quandam esse connexionem inter eos, obiectiuos intelligo, hoc est inter res significatas per terminos vocales, aut mentales: quia cùm per syllogismum intendamus cognoscere coniunctionem alicuius passionis, aut cuiuscumque alterius prædicati cum suo subiecto, & hæc cognitio, quæ comparatur in conclusione, dependeat ex præmissis: si res significatæ per terminos, ex quibus præmissæ constant, non habeant aliquam inter se connexionem, non poterunt esse causa, cur talis coniunctio prædicati cum subiecto in conclusione cognoscatur: alioquin nulla posset assignari ratio, cur risibile v. g. non sequeretur ex rugibili æquè ac ex rationali. Propter hanc autem connexionem, si conclusio syllogismi falsa sit, & syllogismus sit in forma, necessarium est, aliquam ex præmissis falsam esse, & habere veritatem tantùm apparentem.

14. Circa formam verò essentialem ipsius syllogismi, controuersia est; quia illi qui nolunt conclusionem esse partem illius constitutiuam, volunt formam eius, consistere in dispositione medij cum extremis, quæ in præmissis & non in conclusione reperitur.

Qui verò contendunt conclusionem esse de essentia syllogismi, volunt formam ipsius essentialem, eumque à secunda mentis operatione distinguentem, esse iudicium illatiuum, hoc est, assensum, quo intellectus iudicat maius extremum conuenire, vel non conuenire minori ex eo quòd vtrumque cum medio termino in præmissis coniungatur, vel non coniungatur: ita vt ratio cur præbeat assensum conclusioni, sit talis coniunctio, vel separatio vtriusque extremi à medio in præmissis.

Ratio huius opinionis, in quam magis inclino, ista est, quia illud est forma essentialis syllogismi, quo primùm posito constituitur syllogismus, & a quacumque alia operatione distinguitur: sed iudicium illatiuum est huiusmodi: ergo, &c. Probatur minor. Etenim iudicium illatiuum necessariò dependet ab alio iudicio, ex quo infertur: quod quidem aliud iudicium præsupponitur in præmissis. Iudicium verò, quod in secunda mentis operatione reperitur, non dependet ab alio priori iudicio. Et quamuis iudicium illatiuum in aliis argumentationibus reperiatur; non tamen ita propriè, quia non concludunt vi formæ, vt diximus sectione præcedenti, vnde vt fiat proprium syllogismi, debet supponere dependentiam à duabus præmissis, rectè dispositis, ex quibus colligitur.

15. Vtrum autem huiusmodi iudicium illatiuum, quod vocatur iu-

dicium conclusionis, seu consequentis, distinguatur à iudicio consequentiæ, seu formæ syllogisticæ, duplex est sententia, vtraque probabilis.

Prima negat esse distinctum, si formaliter nimirum sumatur, quatenus dependet, & deducitur ex iudiciis præmissarum per particulam illatiuam, *ergo*, vel similes. Ratio est, quia alioquin in quolibet syllogismo quatuor essent iudicia diuersa, & distincta, scilicet duo præmissarum, tertium conclusionis, & quartum illatiuum, expressum per copulam rationalem *ergo*: quod est contra communem modum loquendi, & contra experientiam. Experimur enim nos tantùm formare duo iudicia, quibus iudicamus duo extrema conuenire vel non conuenire cum medio in præmissis, & tertium, quo iudicamus duo extrema inter se conuenire propter conuenientiam, & connexionem, quam habent cum medio.

Hoc enim modo iudicium conclusionis, fit iudicium illatiuum, & tantum addit supra seipsum absolutè consideratum, ordinem, & dependentiam ad iudicia præmissarum, ex quibus deducitur. Quamuis negandum non sit ipsum esse virtualiter duplex, & æquiualere duobus, alteri consequentis, alteri consequentiæ. Nam per illud iudicamus & conclusionem esse veram, & rectè ex præmissis inferri ob formam syllogisticam. Sed ad hæc patebit solutio ex argumentis alterius sententiæ.

16. Secunda sententia asserit iudicium consequentiæ esse distinctum à iudicio consequentis, seu conclusionis. Probatur primò, quia dum syllogismus est de materia Physicæ, iudicium conclusionis est actus elicitus ab habitu Physicæ; & iudicium consequentiæ, ab habitu Logicæ: ergo sunt duo actus distincti: nam distinctio actuum non videtur clarius aliunde colligi, quàm ex distinctione habituum.

Secundò: idem iudicium non potest esse simul verum, & falsum: sed aliquando iudicium consequentis est verum, & iudicium consequentiæ falsum, quando aliquis assentitur conclusioni, materialiter tantùm veræ, syllogismo non existente in forma.

Tertiò: forma syllogistica potest esse optima, & propositiones falsæ; & tunc approbatur consequentia, & reprobatur conclusio. Idem verò actus non potest esse simul approbatiuus & reprobatiuus.

Quartò: bonitas consequentiæ est causa assentiendi conclusioni: si autem assensus vtriusque idem sit, idem erit causa sui: quod absurdum est.

17. Ad hæc ita respondeo; ad primum quidem, non esse absurdum duos habitus ad vnum, eundemque actum concurrere, sicut multæ causæ ad vnum effectum producendum concurrunt. Ille tamen actus simpliciter pertinebit ad illam scientiam, cuius est materia, scilicet ad Physicam in dato exemplo: sicut actus, quo quis martyrium subit quamuis à charitate etiam pendeat, simpliciter tamen ad fortitudinem pertinet, quia versatur circa materiam eius.

Ad secundum dico in illo casu nullum fore iudicium consequentiæ,

nec intellectum assentiri conclusioni propter præmissas, sed tantùm propter connexionem vtriusque extremi: modò tamen non decipiatur, existimans consequentiam esse bonam.

Ad tertium dico non esse absurdum, quòd idem actus sit assensus, & dissensus simul, hoc est, quòd approbet vnum, & reprobet aliud: sicut per eundem actum judicamus hunc parietem album, esse similem isti albo, non autem illi nigro. Vnde intellectus per idem iudicium iudicat consequentiam esse bonam, & consequens falsum.

Ad quartum respondeo, bonitatem consequentiæ esse causam cur assentiamur conclusioni: sed nego propterea debere distingui duplex iudicium, quia eodem totum hoc præstari potest, vt probabiliter ostensum est num. 15. quatenus est virtute duplex. Vnde vt est iudicium consequentiæ, seipsum virtualiter antecedit, prout est iudicium consequentis, & vt elicitur cum dependentia à iudicijs præmissarum.

Cæterùm negandum non puto, in rudibus ingenijs diuersa esse iudicia conclusionis & consequentiæ vt plurimùm: licet in ingenijs acutis, & exercitatis præ celeritate mentis idem sæpè sit formale iudicium consequentiæ, & iudicium consequentis.

SECTIO IV.

Quæ sint partes essentiales Syllogismi.

18. QVAERITVR, vtrum solæ præmissæ constituant essentialiter syllogismum; an sola conclusio; an præmissæ simul cum conclusione. Totidem enim sunt hac de re sententiæ, omnesque probabiles: rationes earum hic habes cum solutionibus.

Prima, quæ est Alberti Magni, tract. 1. lib. 1. priorum, cap. 5. Masij sectione vnicâ, quæst. 3, & aliorum, probatur primò ex definitione demonstrationis, quam tradit Aristoteles 1. post. c. 2. his verbis: *demonstrationem autem dico ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit*: sed scientia est ipsamet conclusio: ergo demonstratio sunt solæ præmissæ, quia effectus debet esse à causa distinctus.

Confirmatur ex multis Aristotelis locis: nam 1. prior c. 29. ait syllogismum constare duabus propositionibus, & tribus terminis: & c. 26. omnem syllogismum constare propositionibus paribus, & terminis imparibus: & lib. 2. c. 1. vnum, & eundem syllogismum posse varias inferre conclusiones.

Respondeo demonstrationem efficere scientiam, non effectiuè, sed formaliter. Eo enim modo, quo albedo dicitur efficere album, seipsam communicando subiecto: ita demonstratio dicitur efficere scientiam,

quatenus ab intellectu formata, ipsum actualiter scientem constituit per sui communicationem.

Potest etiam dici Syllogismum per præmissas efficere conclusionem, quæ est scientia actualis. In his enim, quorum essentia ex multis partibus constat, non est absurdum vnam partem esse alterius effectiuam: quæ autem parti conueniunt, solent toti attribui: quo modo homo se mouere dicitur, licet sola anima sit causa effectiua talis motus.

Ad confirmationem dico, Aristotelem sæpiùs vsurpare præmissas pro integro Syllogismo: quia tota difficultas consistit in ordinandis, & componendis præmissis, ex quibus statim sequitur conclusio. Vnde vt ostenderet quomodò constaret forma Syllogismi, sæpiùs præmissas, nomine syllogismi nuncupauit.

19. Probatur secundò ratione: quia illud solum est de essentia syllogismi, quo tantùm variato variatur syllogismus, & quo inuariato non variatur: sed variatis præmissis variatur Syllogismus, etiam si non varietur conclusio: variatâ autem conclusione non variatur, modo eædem præmissæ in eodem statu permaneant: ergo solæ præmissæ sunt de essentia Syllogismi.

Minor patet in istis duobus Syllogismis, in quibus manet eadem conclusio, & tamen ipsi sunt omninò diuersi, quia primus est in prima figura, in modo *Baralipton*: secundus verò in tertia, in modo *Datisi*: *omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo aliquod risibile est homo.* Item, *omne rationale est homo: aliquod rationale est risibile: ergo aliquod risibile est homo.*

Respondeo negando minorem. Non enim possunt variari præmissæ, quin varietur conclusio formaliter sumpta: quamuis eadem materialiter, & quoad terminos maneat: nec item potest variari conclusio, quin præmissæ formaliter varientur. Variato enim terminorum ordine in præmissis, variatur illatio, & dependentia conclusionis, in qua illatione, & dependentia consistit forma essentialis syllogismi; licet ijdem termini materiales maneant. Variatâ item conclusione, quamuis eædem præmissæ materialiter persistant, variatur forma, & modus sygillogismi, alioquin sygillogismus in *Baralipton* non esset formaliter diuersus à syllogismo, facto in *Barbara*.

20. Secunda sententia, essentiam syllogismi in sola conclusione constituens, probatur primo: conclusio concepta in ordine ad præmissas, vt dum iudicamus prædicatum conuenire subiecto propter discursum, aliàs factum, non est secunda mentis operatio, quia per eam tantum iudicamus vnum alteri conuenire absque dependentia à discursu præuio, ergo est tertia mentis operatio: tunc autem non existunt præmissæ, vt supponimus: ergo sola ipsa conclusio est tota syllogismi essentia.

Respondeo: quando iudicamus prædicatum aliquod conuenire subiecto propter discursum aliàs factum, inflectendo mentem supra talem

discursum, huiusmodi iudicium dependere à præmissis, obiectiuè in mente existentibus: vnde nihil inde concluditur. Si verò de præmissis nulla cogitatio mentem subeat, virtute cuius præbeamus assensum rei propositæ: tunc non erit assensus discursiuus, sed tantùm indicatiuus absque vlla illatione.

Probatur secundò. Per syllogismum intendimus cognoscere vnionem extremorum inter se, & hanc cognitionem habemus clarè in conclusione: in præmissis verò tantùm confusè: ex cognitione autem confusa, & ex cognitione clara, de eodem obiecto, non potest constitui vnus modus sciendi: igitur vel solæ præmissæ vel sola conclusio constituit syllogismum. Cum autem præmissarum assensus non sit illatiuus, & insuper confusè tantùm contineat tanquam principium, cognitionem, quam intendimus in conclusione; potiùs in conclusione, quàm in præmissis, statui debet essentia syllogismi.

Respondeo negando, ex cognitione clara, & ex cognitione confusa non posse fieri vnum modum sciendi, quando cognitio confusa infert cognitionem claram; non quidem prout est confusa, sed quatenùs est clara circa vnum obiectum, ex quo dependet cognitio, quæ infertur. Licet enim connexio maioris, & minoris extremi non cognoscatur clarè in præmissis: tamen quia in illis clarè cognoscitur connexio eorum cum medio, ex qua necessariò in creatis sequitur, & dependet connexio eorum inter se: ideo tales actus, inferens & illatus, vnum sciendi modum integrare valent.

21. Tertia sententia communior est, & mihi probabilior, conclusionem videlicet, & præmissas simul, esse de essentia syllogismi: ita vt ex vtroque constituatur vnum totale obiectum cognitionis ratiocinatiuæ, cuius materiale, & id quod cognoscitur, est in conclusione, nempe coniunctio maioris extremi cum minori extremo: formale verò, seu ratio *sub qua*, aut id quo mediante deducitur intellectus in cognitionem conclusionis, est in præmissis, sicut in visione obiectum materiale, seu quod videtur, est v. g paries, ratio verò *quâ*, vel *sub qua*, seu obiectum *quo* est color: quia non posset videri paries nisi esset coloratus: quemadmodum intellectus non assentitur connexioni maioris, & minores extremi, nisi quia connectuntur cum medio in præmissis.

Probatur hæc opinio primò ex definitione syllogismi, quam ex Aristotele tradidimus supra, dicitur enim oratio, in qua quibusdam positis aliud sequitur: non verò oratio, ex qua sequitur aliud: quod dicendum erat, si conclusio esset aliquid à tali oratione distinctum.

Respondeo sensum definitionis hunc esse, syllogismus est oratio, in qua duæ propositiones cum tribus suis terminis sic disponuntur, vt conclusio necessariò sequatur. Deinde omnia quæ ponuntur in aliqua definitione, non est opus vt sint de essentia rei definitæ, cùm sæpe definiatur per suum effectum, vt si dicas *risibilitas est facultas ridendi in ho-*

mine. Hoc ergo modo definitur syllogismus per conclusionem, tam quam per suum effectum.

22. Probatur secundò: quia alioquin syllogismi in *Barbara*, & *Baralipton* non essent modi syllogisandi distincti; nam ola differunt conclusione: & ita *Baralipton* frustrà reduceretur ad *Barbara*.

Respondeo duos illos syllogismos non differre essentialiter, quia essentia formalis syllogismi consistit in dispositione medij cum extremis, quæ in vtroque est eadem. Differunt igitur materialiter tantùm, seu ratione materiæ extrinsecæ, vel effectus. Materia extrinseca est, quæ non informatur formâ totius, vt est sanguis in homine, qui non informatur animâ rationali, & tamen ad compositionem hominis naturalem pertinet. Materia verò intrinseca est quæ informatur à forma totius, vt caro in eodem homine.

Conclusio itaque non informatur formâ essentiali syllogismi, quæ consistit in dispositione medij cum extremis; talis enim dispositio non reperitur in conclusione: & ideo conclusio est tantùm pars materialis extrinseca, siue effectus syllogismi.

Probatur tertio. Ita se habet conclusio ad syllogismum, sicut consequentia ad Enthymema: sed consequentia est de essentia Enthymematis, vt per se patet: nam argumentatio definitur *oratio constans antecedente, & consequente*, quæ aliquâ coniunctione connecti debent. Ergo & conclusio erit de essentia syllogismi.

Respondeo eodem modo, scilicet negando, consequentiam esse de essentia enthymematis: est enim tantum pars extrinseca, & materialis, antecedens verò est pars intrinseca. Vnde germana argumentationis definitio est *oratio, in qua vnum ex alio infertur*: & non aliter debet explicari illa particula *in qua*, quàm in definitione syllogismi, numero 21.

23. Probatur quartò. Syllogismus est essentialiter tertia mentis operatio: hæc autem operatio essentialiter includit illationem, & conclusio est ipsa illatio: illatio autem dependet ab eo, ex quo fit, nempe ex præmissis: ergo & præmissæ, & conclusio sunt de essentia syllogismi.

Respondeo concedendo syllogismum esse tertiam mentis operationem, non secus ac argumentationem in communi, ratione illationis, & conclusionis: at non ideò conclusio est de essentia syllogismi, sed tantùm necessariò ex eo sequitur vt effectus: ac proinde syllogismus, non essentialiter, & intrinsecè, sed illatiuè, & consecutiuè dici debet tertia mentis operatio.

Probatur quintò. In cognitione discursiua, qualis est syllogismus, ratio quæ cognoscitur, est connexio maioris extremi cum minori: ratio verò formalis mediante quâ talis connexio cognoscitur, est coniunctio vtriusque cum medio, quæ fit in præmissis, vt diximus numero 21. ergo & conclusio, & præmissæ sunt de essentia syllogismi. Nam ex ratione materiali, & formali constituitur vnum totale obiectum cognitionis,

ſicut ex pariete & albedine vnum totale obiectum viſionis. Præmiſſæ autem ſunt ratio formalis, & concluſio eſt materialis: ergo & concluſio, & præmiſſæ ſimul, erunt totale obiectum cognitionis ſyllogiſticæ: ac proinde erunt de eſſentia ſyllogiſmi.

Reſpondeo concedendo præmiſſas eſſe rationem, & cauſam aſſenſus concluſionis, ſed non ita quod concluſio ad eſſentialem, & intrinſecam ſyllogiſmi conſtitutionem concurrat: ſed eſt vna cognitio deducta tanquam effectus ex præmiſſis, in quibus eſſentia ſyllogiſmi poſita eſt.

SECTIO V.

Quomodo præmiſſæ influant in concluſionem.

24. CONSTAT ex definitione ſyllogiſmi, quam ſectione ſecunda explicuimus, & in qua dicitur concluſionem neceſſariò ſequi propter præmiſſas. Item ex communi ratione diſcurſus, in quo vna cognitio infertur ex alia, aliquam eſſe dependentiam concluſionis à præmiſſis: quæ dependentia vt intelligatur.

Examinandum eſt quomodo præmiſſæ in concluſionem influant. Et quidem in primis certum eſſe videtur, eas non influere in genere cauſæ finalis, quia potiùs concluſio eſt cauſa finalis præmiſſarum. Quod enim ſcire intendimus in ſyllogiſmo, eſt connexio maioris, & minoris extremi, quæ habetur in concluſione. Certum etiam apparet eas non eſſe cauſam materialem, neque formalem intrinſecam: non quidem formalem, quia aſſenſus præmiſſarum non recipiuntur in aſſenſu concluſionis, tanquam in ſubiecto: non etiam materialem, quia aſſenſus concluſionis deberet ſubiectari in aſſenſibus præmiſſarum, tanquam forma in materia. Quod verum non eſt.

Supereſt ergo vt videamus, vtrum concluſio dependeat à præmiſſis tanquam à cauſa efficiente, vel vt à conditione *ſine qua non*, aut vt à cauſa formali extrinſeca, illuminante intellectum. Circa quod duplex eſt ſententia principalis, vtraque probabilis, & vt ſic explicanda.

PRIMA

PRIMA PARS SECTIONIS.

Præmissas influere efficienter in conclusionem.

25. PRIMA sententia contendit, assensus formales præmissarum physicè, & efficienter concurrere cum intellectu ad assensum conclusionis. Ita Complutenses disp. 17. q. 3. vbi asserunt communem esse apud Thomistas. Et certè ita videtur sentire Diuus Thomas 2. post. lectione 3. his verbis: *principia se habent ad conclusiones in demonstratiuis sicut causæ actiuæ in naturalibus ad suos effectus: vnde in 2. Phys propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis* & 1. contra gent. c. 55. ratione 4. *in omni scientia discursiua oportet aliquid esse causatum: nam principia sunt quodammodo causa efficiens conclusionis: vnde & demonstratio dicitur syllogismus faciens scire.* Eam etiam tenet Ioannes Pontius disp. 20. q. 2. concluſ. 4. alijque non pauci.

Probatur primò ex Aristotele 1. post. c. 2. vbi ait demonstrationem efficere scientiam. Ex communi autem interpretatione, per scientiam intelligitur conclusio: quòd indicat ipse Aristoteles dicens ibidem præmissa esse causas conclusionis: igitur præmissæ effectiuè influunt in conclusionem.

Sed ad hoc facilè respondeti potest primò, per scientiam hic intelligi habitualem: vnde communiter ex hoc loco definitur scientia, *habitus per demonstrationem acquisitus.*

Secundo, si per scientiam intelligatur conclusio, verbum, *efficere*, latè sumendum esse pro qualicunque causa, hoc est, pro omni eo, quod ad scientiam habendam, per se concurrit. Sic enim præmissæ possunt dici causa conclusionis, quæ ex illis sequitur, quatenus illuminant intellectum, eique præsentant identitatem extremorum cum tertio, ex qua in conclusione sequitur identitas eorum inter se.

Denique per scientiam potest intelligi tota ipsa demonstratio, comprehendens præmissas, & conclusionem: quæ demonstratio dicetur efficere scientiam, non in genere causæ efficientis, sed formalis: ita vt demonstratio sit ipsamet scientia actualis, efficiens intellectum formaliter scientem, eo modo, quo albedo dicitur efficere album, communicando se subiecto.

Imò si conceptus, seu verbum mentis, quod dicitur terminus intellectionis, ab ipsa distinguatur, vt probabile est, demonstratio poterit dici causa propriè efficiens scientiæ: quia huiusmodi conceptus, seu termini iudiciorum conclusionis, & præmissarum, erunt actualis scientia, & notitia obiecti scientifici, producta ab illis iudiciis, seu ab intellectu per illa iudicia. Et aliquo ex his modis potest explicari D. Thomas.

26. Probatur secundò. Major est causalitas, & influxus ipsius assensus præmissarum in assensum conclusionis, quàm simplicis apprehensionis in iudicium. Nam conclusio sequitur ex præmissis impulsu quodam, & necessitate adingente intellectum ad illius assensum: quod non conuenit apprehensioni respectu iudicij. Ergo cùm apprehensio sit solùm conditio *sine qua non*, respectu iudicij, oportet vt assensus præmissarum maiorem vim exerceat, & consequenter effectiuè influat in assensum conclusionis.

Respondeo, quidquid sit de causalitate apprehensionis in iudicium, quia multi credunt eam esse effectiuam, negando vltima verba consequentiæ; quod scilicet assensus præmissarum habeat vim effectiuam in conclusionem, aut aliquid vltra rationem conditionis *sine qua non*. Nam approximatio ignis ad lignum, est tantùm conditio *sine qua non*: sicut propositio boni facta voluntati ab intellectu: & tamen quò maior est approximatio, eò acriùs, & citiùs ignis adurit: & quò maior proponitur bonitas obiecti, eò libentius fertur voluntas ad illius amorem.

Pari igitur ratione fortiùs determinabitur intellectus ad conclusionis assensum ab assensu, & iudicio præmissarum, quàm ad iudicium à simplici apprehensione: tum quia est maior proportio iudicij ad iudicium: tum quia ex iudicio de identitate extremorum cum vno tertio, in præmissis habito, adeò clarè sequitur in creatis identitas eorum inter se, vt non possit intellectus, per se loquendo, vel nisi ægrè admodùm suspendere assensum conclusionis.

27. Probatur tertiò: ex diuersitate specifica assensuum præmissarum sequitur diuersitas specifica assensus conclusionis: ergo assensus præmissarum non sunt tantummodò conditio *sine qua non*, respectu assensus conclusionis: ergo efficienter in illum influunt, quia nullum aliud genus dependentiæ conclusionis à præmissis, potest assignari.

Et quamuis absolutè loquendo, ex diuersitate causæ efficientis non rectè inferatur diuersitas effectus, cum idem specie calor ab igne, & sole procedat: tamen quando effectus aliquis determinat sibi naturaliter causam diuersæ speciei, ita vt ab alia non possit naturaliter produci, rectè infertur esse diuersæ speciei ab alijs.

Antecedens autem est euidens, quia assensus conclusionis, proueniens ex præmissis, probabiliter cognitis, est diuersus specie ab assensu, proueniente ex præmissis, certò, & euidenter cognitis: quia iste est scientificus; ille verò tantùm opinatiuus: & hoc verum est, etiam si præmissæ obiectiuæ, & conclusio obiectiua, sint eiusdem speciei.

Probatur ergo prima consequentia, quia ex diuersitate specifica conditionis *sine qua non* præcisè, non sequitur diuersitas specifica effectus. Nam amor quo quis Deum amat, vt cognitum per scientiam naturalem, non est diuersus specie ab amore, quo illum amat, vt cognitum per opinionem: & sic de alijs similibus.

28. Respondeo negando primam consequentiam: ad eius probationem dico variari specificè effectum variatâ specificè conditione, *sine qua non*, si inde sequatur quædam diuersitas in obiecto. Nam ex Scoto in 4. d. 49. q. 5. numero 5. amor viæ, & amor patriæ, licet procedant ab eadem voluntate, & caritate, sunt diuersæ rationis, quamuis cognitio, & propositio obiecti sit tantùm conditio, *sine qua non*, respectu voluntatis, quia talis propositio inducit quamdam in obiecto diuersitatem, vt etiam fatetur Caietanus 1. p. q. 82. a. 2. in fine. In patria quippe proponitur Deus distinctè secundùm rationem particularem: in via autem secundùm conceptum abstractiuum, & confusum.

Sic autem se res habet in nostro casu, quia assensus præmissarum tantùm probabiles, non ostendunt obiectum vt in se est; sed tantùm confusè, & abstractiuè: assensus verò certi, & euidentes, illudostendunt vt in se est, clarè: & ideò sequitur assensus conclusionis, specificè diuersus ab alio.

Adde quòd etiam si non varietur, nisi accidentaliter, conditio, *sine qua non*, sæpè sequitur effectus specie diuersus, ex ipsa causæ natura. Nam ex igne multùm approximato sequitur ignis, ex quo distante sequitur tantùm calor. Et ex visione animalis à loco diffito, sequitur in intellectu conceptus animalis in communi: ex visione verò à loco propinquo, sequitur conceptus bouis, equi &c. qui conceptus multum differunt. Item circa idem bonum est desiderium, & spes dum est absens: delectatio verò, & gaudium, dum est præsens. Et ita propter solam approximationem obiecti ad potentiam possunt contingere effectus specie diuersi: quod expressè docet Scotus in 3. d. 31. quæst. vnicâ, numero 4. & 5.

29. Probatur quartò. Assensus formales præmissarum substituuntur loco speciei impressæ, ipsius conclusionis: sed hæc species, si adesset, determinaret intellectum effectiuè ad assensum conclusionis, quia ex communi sententia, concursus, quem species impressa præbet intellectui ad intelligendum obiectum, est effectiuus: ergo assensus præmissarum influunt effectiuè in assensum conclusionis.

Respondeo negando maiorem. Sicut enim assensus præmissarum formalium supponunt species impressas præmissarum obiectiuarum, & earum apprehensiones: ita assensus conclusionis formalis supponit speciem impressam conclusionis obiectiuæ, eiusque apprehensionem simplicem. Vndè malè dicitur assensus præmissarum substitui loco talis speciei impressæ, cùm non absit: imò nec possit naturaliter haberi iudicium conclusionis absque illa. Si autem sermo sit de alia specie impressa conclusionis, frustrà omninò illud asseritur. Sufficit ergo vt præmissarum assensus sint conditio, *sine qua non*.

30. Instabis: intellectus non est completè potens in genere causæ efficientis ad eliciendam apprehensionem obiecti absque specie impressa illius: ergo non erit completè potens ad eliciendum iudicium conclusio-

nis, absque aliqua specie impressa: sed hæc non est species illa, quæ inseruit simplici apprehensioni, quia totam vim suam exercet in ipsam apprehensionem: ergo debet alia assignari.

Respondeo negando primam consequentiam. Licet enim intellectus ad primam apprehensionem egeat specie impressa, per quam obiectum effectiuè influat in ipsam cognitionem ex parte sua, & determinet intellectum, indifferentem ex se ad quamcunque apprehensionem: tamen huiusmodi apprehensione posità, intellectus solus absque alia specie potest elicere iudicium de obiecto apprehenso, quia sufficienter ad hoc determinatur tam ex parte obiecti, tum ex parte sua per talem apprehensionem, tamquam per conditionem, *sine qua non*, seu formaliter, & illuminatiuè: quia illa apprehensio est signum formale, & expressa obiecti representatio. Cùm autem non conueniat speciei impressæ determinare intellectum formaliter, & illuminatiuè quia est tantùm representatio virtualis obiecti; ideò vendicare sibi debet aliud determinationis genus, scilicet effectiuæ.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Præmissas non concurrere effectiuè ad assensum conclusionis.

31. SECVNDA sententia asserit præmissarum assensus esse tantummodo conditionem, *sine qua non* ipsius assensus conclusionis, seu concurrere ad illum solummodò formaliter, & illuminatiuè, quatenus intellectui ostendunt identitatem, siue connexionem extremorum cum medio, ex cuius identitatis cognitione, absque vllo efficienti influxu, sufficienter determinatur intellectus ad assensum conclusionis, vt patet ex solutionibus, quas iam dedimus præcedentibus argumentis. Hanc tenet Auersa q. 25. sect. 3. Arriaga disput. 15. sect. 5 alijque recentiores.

Probatur primò, quia non sunt multiplicandi influxus sine necessitate: nulla autem est necessitas influxus effectiui præmissarum formalium in conclusionem: tum quia sufficienter intelligitur determinari intellectus ad illi assentiendum, per concursum earum formalem, & illuminatiuum, vt in altera parte sectionis explicuimus: tum quia non debet concedi actibus intellectus virtus effectiua aliorum actuum similium. Neque enim cognitio de Socrate potest aliam cognitionem sibi similem efficere.

32. Respondeo negando minorem: huiusmodi enim concursus effectiui necessitatem sufficienter probant argumenta alterius sententiæ. Ad eius probationem dico concursum formalem, & illuminatiuum, quem accipit intellectus à præmissis respectu conclusionis, non esse tribuen-

dum præmissis formalibus, sed obiectiuis. Ratio est, quia illud censeri debet influere in conclusionem formaliter, & illuminatiuè, supra quod intellectus in ipso conclusionis assensu reflectitur tamquam in rationem assentiendi; non reflectitur autē supra assensus præmissarū, sed ad summum supra ipsarum obiecta. Quandò enim iudicat Petrum esse risibilem, quia est rationalis, non attendit ad hanc propositionem formalem, *Petrus est rationalis*, sed ad obiectum eius, & ad rem significatam, vt per se notum est.

Deinde: esto præmissarum assensus illuminent intellectum circa identitatem extremorum cum medio, non illuminant tamen eum sufficienter circa identitatem eorum inter se: sed hoc prouenit ab illo principio, naturaliter noto, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: quod nosse debet intellectus antequam conclusioni assentiatur ex vi præmissarum. Igitur necessarius adhuc est ex parte præmissarum influxus effectiuus in assensum conclusionis.

Ad secundam probationem, nego non debere tribui actibus intellectus virtutem effectiuam actuum similium. Sicut enim se habet species impressa respectu simplicis apprehensionis: ita se habet simplex apprehensio respectu iudicii: sed species concurrit effectiuè ad apprehensionem, vt dicitur in libris de anima; ergo apprehensio potest concurrere effectiuè ad iudicium. Nec vlla potest assignari disparitas alicuius momenti. Vnde consequenter, & potiori iure poterunt assensus præmissarum efficienter concurrere cum intellectu ad assensum conclusionis.

33. Probatur secundò: quia non magis influunt assensus præmissarum in conclusionem, quàm propositio boni, facta ab intellectu, influat in amorem voluntatis circa illud bonum: sed propositio illa non influit effectiuè in amorem, sed tantùm vt conditio, ergo neque assensus præmissarum in assensum conclusionis.

Respondeo negando maiorem, quia nulla particularis ratio suadet aliam causalitatem propositionis obiecti in amorem illius, quàm per modum conditionis *sine qua non*: secùs autem se res habet de assensibus præmissarum in assensum conclusionis, vt ex dictis constat.

Deinde propositio boni, facta voluntati ab intellectu, offert ipsi voluntati totam rationem obiecti illius, ac proinde voluntas potest ex sua virtute insita, absque alia determinatione elicere actiones suas circa illud. At verò præmissarum assensus non offerunt clarè intellectui conclusionem obiectiuam, seu identitatem extremorum inter se; & ideò ipse non determinatur sufficienter ad illi assentiendum, nisi accedat causalitas efficiens huiusmodi assensuum in assensum conclusionis.

Adde quòd potest etiam negari minor: nam ex multis Philosophis cum Caiet. 1. p. quæst. 80. a. 2. intellectus effectiuè concurrit cum voluntate ad actus voluntatis; & ex alijs Authoribus cum Gregorio Arim. in 1. d. 1. q. 1. art. 2. in confirmatione 1. conclusionis, intentio finis efficienter causat electionem mediorum. Quidni pariter assensus principio-

rum efficienter causabit assensum conclusionis.

34. Probatur tertiò. Quod actu non existit, non potest aliquid efficienter producere ex communi sententia: sed habetur sæpè conclusionis assensus, non existentibus assensibus præmissarum; ergo ipsi non possunt tunc efficienter producere assensum conclusionis. Probatur minor primò ex Aristotele 1. post. cap. 1. vbi ait maiorem priùs cognosci, quàm conclusionem: & ita quando assensus conclusionis adest, præcessit, & abest assensus maioris.

Secundò: sæpè contingit aliquem assentiri conclusioni propter discursum, aliàs factum, ita vt recordetur se aliàs probauisse prædicatum conclusionis conuenire subiecto; & tamen non recordetur discursus, quo illud probauit: ergo tunc assensus conclusionis habetur licet præmissæ non existant: & consequenter quando existunt, non est opus vt influant efficienter in illum.

Respondeo ad minorem: si tunc non adsint præmissæ, earum vices supplent species assensuum, relictæ in intellectu, quæ excitantur & iuuantur à memoria & recordatione discursus, antea facti, & tunc in confuso cogniti: quando verò adsunt præmissæ, non adest talis memoria: & ideò ipsæ tunc sunt causa efficiens conclusionis. Quod si nulla sit memoria discursus præteriti, assensus conclusionis non erit discursiuus, sed tantum iudicatiuus, quia non infertur ex alia cognitione.

Imò dici potest quòd assensus habitus ex confusa recordatione præmissarum, & discursus præteriti, non erit eiusdem rationis cum eo, qui habetur ex præsentibus præmissis: quia ibi intellectus non videt clarè, ex quo medio conclusionem aliàs deduxerit; an ex demonstratiuo, an ex probabili: hic autem illud aduertit; & ideò hic certus est de natura sui assensus: ibi autem dubius. Et quamuis ex solo medio demonstratiuo conclusionem aliàs probauisset, & memoriam in confuso de hoc haberet: posset tamen dubitare de sua memoria, ideoque assensus conclusionis ex hac parte coniunctus esset cum aliqua formidine, quæ præsentibus præmissis, omninò abesset.

SECTIO VI.

An & quomodo per assensum conclusionis attingantur præmissæ.

35. Illa particula rationalis, *ergo*, quæ ponitur in conclusione, ostendit intellectum assentiri conclusioni propter præmissas, quasi ipsæ sint motiuum, & ratio assentiendi: atque adeò per ipsum conclusionis assensum debent aliquo modo attingi præmissæ ob-

iectiuæ. Quæritur ergo vtrum ita attingantur, vt eodem actu assentiamur conclusioni, & præmissis, seu per actum conclusionis cognoscantur simul obiecta præmissarum.

Circa quòd duplex est sententia principalis, altera affirmatiua, quæ est Diui Thomæ 1. 2. q. 8. art. 3. in fine: & q. 22. de verit. art. 14. ad 3. Altera est Gregorij Arim. q. 3. prologi art. 1. concluſ. 2. Auersa qu. 24. Logicæ, sect. 2. Pontij disput. 20. q. 1. concluſ. 1. & aliorum, negantium eodem actu nos assentire conclusioni, & præmissis. Vtraque probabilis est.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Eodem actu attingi conclusionem, & præmissas.

36. PRIMA sententia probatur primò ratione, ex locis citatis Diui Thomæ deducta: vt se habet volitio medij propter finē ad ipsum finem: ita se habet assensus conclusionis propter præmissas, ad ipsas præmissas; quia, sicut finis est ratio volendi medium: ita præmissæ sunt ratio assentiendi conclusioni, vt patet ex particula rationali, *ergo*: sed voluntas eodem actu, quo vult medium propter finem, tendit, & fertur in finem ipsum: ergo intellectus eodem actu quo assentitur conclusioni propter præmissas, fertur in præmissas, eisque assentitur.

Respondeo primò, negando paritatem, in maiori assumptam, quia medium, vt medium, non habet bonitatem, nisi in ordine, & relatiuè ad finem; & ideò, vt sic, non potest amari, quin simul eodem actu finis intendatur: at conclusio ex se veritatem habet; vnde potest alio actu independenter à præmissis cognosci; & ita, licet vt conclusio est, dicat ordinem ad præmissas, ex quibus infertur, non tamen adeò intrinsecè includuntur præmissæ in eius assensu sicut finis in electione medij.

Respondeo secundò ad minorem. Voluntas eodem actu, quo vult medium, fertur, & tendit in finem, itavt volitio medij sit formalis volitio finis, nego: itavt dicat ordinem, & dependentiam aliquam ad finem, concedo. Vnde pari ratione assensus conclusionis dicit ordinem, & dependentiam ad præmissas, modo sectione præcedenti explicato: sed non ideò per eum præmissis formaliter assentimur.

Respondeo tertiò, eodem actu, quo voluntas vult medium ad finem, fertur & vult ipsum finem, *virtualiter, implicitè, indirectè & in obliquo, concedo: formaliter, directè, explicitè & in recto, nego.*

Quando enim medium aliquod appetitur propter finem, hoc est, quatenus vtile ad finem, tunc voluntas directè, & formaliter vult & amat medium ipsum: quia tamen non vult medium absolutè in se, sed

relatè, & in ordine ad finem, ideò finis cadit sub amorem medij, non directè tamquam res volita, & amata formaliter, sed in obliquo, tamquam terminus, in quem medium refertur, & in quem voluntas inclinatur. Eodem ergo modò, quando intellectus assentitur conclusioni propter præmissas, virtualiter, & implicitè assentitur præmissis, non verò formaliter: ita vt assensus conclusionis sit formaliter assensus præmissarum. Nec aliud voluisse D. Thomam multi censent. Et certè hoc satis videtur colligi ex illo articulo de veritate, in fine.

37. Probatur secundò: sicut lux est ratio visibilitatis ipsi colori, ita præmissæ sunt ratio assentiendi conclusioni. Nam in hoc syllogismo, *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.* Ideo assentimur identitati extremorum in conclusione, quia sunt idem cum vno tertiò; & sic identitas eorum in vno tertio, quæ euidenter proponitur per præmissas, est ratio identitatis eorum inter se; & consequenter est ratio, cur intellectus assentiatur conclusioni. Sed eâdem visione numero videmus directè lucem, & colorem: ergo eodem actu numero assentimur directè & formaliter conclusioni, & præmissis.

Respondeo: quidquid sit de luce respectu coloris, de qua in libris de anima, concedendo præmissas esse rationem assentiendi conclusioni: non tamen propterea eodem actu ipsis, & conclusioni intellectum assentiri, quia hoc modo sub vnum actum cadere conuenit tantum rationibus illis, quæ tribuunt obiectis materialibus esse formale obiecti: quomodo ratio boni dicitur ratio formalis obiecti voluntatis, & à plerisque ratio veri dicitur ratio formalis obiecti intellectus. Cum enim obiectum materiale nullam terminet actionem potentiæ, nisi sub tali ratione formali, seu prout habet in se talem rationem formalem, consequenter potentia vtrumque debet attingere vnico actu. At præmissæ non sunt hoc modo ratio formalis obiecti conclusionis, quia ipsa conclusio obiectiua habet in se propriam veritatem, distinctam à veritate præmissarum: quia tamen habet eam relatè, & dependenter à præmissis, vt conclusio est, & quatenus ex illis infertur; ideò intellectus non assentitur illi, nisi propter præmissas: & sic præmissæ sunt ratio assentiendi conclusioni, sed extrinseca, & vt causa motiua, antecedenter prærequisita, vt intellectus determinetur ad illi assentiendum: sicut finis est ratio appetendi media, non quòd eis tribuat rationem formalem boni, per quam intrinsecè fiant appetibilia; sed quia, vt vtilia sunt ad finem, habent bonitatem relatam ad finem, ad quem ordinantur: & ideo illum supponunt vt primarium obiectum, & primum appetibile, ex cuius intentione, & appetitione mouetur voluntas ad appetitionem mediorum.

38. Probatur tertiò: assensus conclusionis fit diuersus specie iuxta diuersitatem medij, & principiorum, quæ continentur in præmissis; vnde eadem conclusio materialiter sumpta, v. g. *quod terra sit rotunda*; si probetur per figuras eclipsium, pertinet ad Astrologiam: si verò probetur

tur per motum grauium ad centum, pertinet ad Physicam, vt tetigimus lib. 1. q. 1. numero 9. ergo huiusmodi medium, & principia sunt ratio formalis obiecti conclusionis: & consequenter intellectus vtriusque præbet assensum eodem actu. Probatur consequentia, quia actus cognoscendi non distinguntur essentialiter, nisi per obiecta formalia. Vnde cùm obiectum materiale conclusionis idem sit secundùm se, non potest esse causa diuersorum specie assensuum, nisi diuersâ ratione formali imbuatur; nec diuersâ ratione formali imbui, nisi intellectus illi assentiendo, simul attingat, & iudicet præmissas.

Respondeo negando consequentiam: ad cuius probationem dico, ad diuersitatem specificam assensus conclusionis, sufficere, vt per se dicat ordinem, & dependentiam ad diuersas præmissas, & diuersa media, per quæ intellectus procedit ad assensum conclusionis. Nam sicut idem actus virtutis materialiter sumptus v. g. actus temperantiæ, diuersas species induit in genere moris, ex diuersitate motiui, & finis; vt si fiat ex motiuo temperatiuæ, ex motiuo pœnitentiæ, ex motiuo caritatis: quamuis hæc motiua, & fines non varient rationem obiecti, & se habeant extrinsecè respectu illius: ita, licet non varietur ratio formalis obiecti conclusionis ex diuersitate mediorum, poterit esse diuersus specie assensus circa illam, ex dependentia, & ordine eius ad huiusmodi media diuersa, ex quibus infertur.

Adde quòd cognitio illorum mediorum, & assensus præmissarum obiectiuarum potest dici adesse in intellectu, eodem momento, quo elicit assensum conclusionis, & eum consequenter determinare modis præcedenti sectione explicatis ad hunc assensum specie, absque eo quod ipsemet assensus conclusionis sit formaliter assensus præmissarum.

39. Probatur quartò: quando intellectus elicit actum fidei diuinę circa aliquam conclusionem, simpliciter in se naturalem, vt dum credit Christum fuisse ter negatum à Petro, quia Deus illud dixit. Obiectum conclusionis, scilicet negatio Petri, est obiectum purè naturale, quod aliunde credi potest fide humanâ, vt propter authoritatem historici profani: ergo non potest ex se terminare actum supernaturalem, nec illi aliquam rationem supernaturalitatis tribuere.

Si vero assensus illius conclusionis non attingat intrinsecè præmissas, in quibus continetur motiuum supernaturale, nempe authoritas, & reuelatio diuina, erit merè naturalis non verò actus fidei diuinæ; quod est ridiculum.

Respondeo, vt respondi ad tertiam, hujusmodi assensum accipere suam supernaturalitatem à motiuo contento in præmissis, ad quod dicit ordinem & dependentiam, quatenùs intellectus non assentitur conclusioni, nisi quia in præmissis cognouit, & iudicauit illam à Deo fuisse reuelatam: & ad summum sufficit quòd intellectus attingat illud motiuum, repetendo, vel conseruando assensus præmissarum in ipso conclusionis

momento, neque opus est vt illud attingat eodem actu, quo conclusionem.

Et hoc euidenter patet à simili. Nam dum voluntas dolet de peccato propter timorem inferni, quod intellectus lumine fidei cognoscit; talis dolor est supernaturalis, alioquin non esset proportionata dispositio ad recipiendam gratiam in sacramento confessionis, contra Tridentinum: & tamen non potest attingere intrinsecè rationem, à qua supernaturalitatem habet quasi ex parte obiecti, quia ratio illa est diuina reuelatio, pertinens ad intellectum, non ad voluntatem.

40. Instabis: isti particulæ rationali *ergo*, quæ ponitur in conclusione, debet respondere aliquid in mente, alioquin esset superflua, & nihil significaret: sed hoc non est obiectum conclusionis, quia extra discursum assentimur conclusioni absque vlla particula illatiua. Et præterea propositio, quæ in se vera est, vt *homo est rationalis*: falsa fit si inferatur ex alia, à qua non pendet, per particulam *ergo*, vt *homo est animal, ergo est rationalis*: oportet ergo fateri præmissas obiectiuas illi respondere; & consequenter ipsas attingi per assensum conclusionis.

Respondeo tali particulæ in mente respondere iudicium de necessaria connexione veritatis conclusionis cum veritate præmissarum, seu de dependentia, & consequentia conclusionis à præmissis. Hoc enim ipso momento, propter illud principium *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, iudicat intellectus quasi in abstracto, & in communi, seu in actu signato, extrema debere esse idem inter se, quia sunt idem cum tertio: quasi illius particulæ, *ergo*, sensus sit, *hinc necessariò sequitur*. Deinde verò per assensum conclusionis formaliter, & explicitè adhæret, & assentitur tali identitati, ad hoc determinatus per tale iudicium præcedens. Dixi *in communi*, quia, si iudicaret in particulari talem identitatem, reuera esset formalis assensus conclusionis, nec alio opus esset.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Eodem actu non attingi conclusionem, & præmissas.

41. SECVNDA sententia, quòd eodem actu non assentiamur conclusioni, & præmissis, probatur primò. Non potest voluntas eodem actu tendere in medium, & finem, ergo neque intellectus eodem actu assentiri conclusioni, & præmissis. Consequentia est satis clara ex primo argumento sententiæ oppositæ, in fine n.35. allato.

Antecedens verò probatur primò, quia alioquin idem actus voluntatis esset volitio, & nolitio simul & semel: nam posito quòd quis nolit

comedere cibum venenosum, vt ita vitam conseruet: actus ille nolendi erit volitio conseruationis vitæ: & ita idem actus erit nolitio & volitio, quod est valde absurdum: sicut quòd eadem qualitas sit albedo, & nigredo. Illa enim non sunt minùs contraria, quàm ista. Item idem actus erit simul bonus & malus: vt cùm quis vult furari ad dandam eleemosynam: intentio enim est bona, & electio mala.

Tertiò idem erit causa sui ipsius, quia appetitio finis est ratio, & causa appetendi media: ideò enim volumus media propter finem, quia volumus finem: ergo si eodem actu volumus media & finem, idem actus erit causa sui ipsius.

Respondeo negando antecedens. Licet enim medium, & finis, inquantum sunt res quædam per se consideratæ, sint plura: quatenus tamen vnum ordinatur ad aliud, sunt vnum in illo ordine, quo ad inuicem ordinantur: & ideò actus, quo voluntas fertur in illa secundùm quòd sunt ordinata, est vnus, vt rectè docet d. Thomas locis, numero 35. citatis, quia vnitas actus ex vnitate obiecti pensanda est.

42. Ad probationem verò primam ejusdem antecedentis dico non esse absurdum eundem actum esse volitionem, & nolitionem respectu diuersorum. Hoc enim ipso quo appetimus vitam, odio habemus, & fugimus quidquid illi contrarium est; & hoc ipso quo nolumus sumere venenum ex amore vitæ, appetimus & amamus vitam: vnde respectus fugæ mali, & respectus amoris boni oppositi, semper sunt in eodem actu connexi, & ad inuicem necessariò ordinati. Præterea cibus venenosus non est medium ad vitam conseruandam, & ideò dum refugimus venenum propter vitam, nullum elicimus actum circa medium, cuius vita sit finis: & ita datum exemplum non videtur ad propositum, nisi fortè dicatur, tunc assumi fugam, & odium veneni, tanquam medium ad conseruandam vitam: verum hoc modo actus ille, quo volumus fugere venenum, seu quo ordinamus non sumptionem veneni ad vitam, est actus volitionis, & prosecutionis.

Ad secundam probationem dico ex Diuo Thoma, loco citato de veritate ad 1. aliquem actum non posse esse simul malum & bonum: ipsum tamen qui simpliciter malus est, posse habere aliquam circunstantiam secundùm se bonam, cuiusmodi est furari ad alendos pauperes, comedere cibos vetitos, tamen horâ debitâ, &c.

Ad tertiam respondeo negando antecedens. Quando enim eodem actu volumus finem, & media, hic ipse actus vt est volitio finis, non est causa sui ipsius, vt est volitio mediorum; licet alioquin finis semper sit causa volitionis mediorum: quod est dicere, volitionem finis non esse causam volitionis mediorum ex parte actus quando vnicus actus est, sed tantùm ex parte obiecti seu rei volitæ, quatenus scilicet medium non terminat obiectiuè actum voluntatis, nisi quia finis eumdem etiam obiectiuè terminat; nec voluntas tenderet ad medium, nisi intenderet fi-

nem, quod verum est, siue eodem actu, siue distinctis, vtrumque attingere dicatur, quia vtrobique saluatur ratio propria finis, in hoc posita quòd sit id, cuius gratia aliquid fit.

43. Probatur secundo: si eodem actu assentiremur conclusioni & præmissis, idem actus posset esse verus, & dubius; clarus, & obscurus: naturalis & supernaturalis; affirmatiuus, & negatiuus: sed hæc sunt absurda, & impossibilia videntur: ergo, &c. Maior patet, quia altera præmissa potest esse affirmatiua, & altera negatiua; altera probabilis tantum, & altera certa; vna de fide, & vna naturaliter nota: vt in isto syllogismo, *omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo Christus est risibilis*: Maior est naturaliter nota, & clara; minor est supernaturaliter nota, & obscura, quia est de fide, & sic de aliis.

Respondeo negando maiorem: hæc enim absurda tantùm sequerentur, si assentiremur præmissis vt obiecto, *quod*, iudicando directè eas esse veras. At res ita se non habet, quia præmissæ obiectiuæ, sunt tantum obiectum, *quo* respectu assensus conclusionis, hoc est, ratio formalis, & medium assentiendi conclusioni. Assentimur enim conclusioni, non tantum quia vera est, sed quia vera est dependenter à præmissis: & ita conclusio veritatem habet relatam ad præmissas, aut saltem intellectui discurrenti ita apparet; atque adeò non potest apprehendi talis ordo, & dependentia nisi concipiatur id, ad quod ordo ille terminatur. Vnde ex ratione obiectiua præmissarum, & ratione obiectiua conclusionis formatur vnum totale obiectum, *quod*, ipsius intellectus, & ita vnico actu attingitur: quo fit vt si talis ratio formalis sit tantùm probabilis, sequatur conclusio tantùm probabilis; si sit de fide, sequatur conclusio certa de fide; si sit naturalis, sequatur conclusio naturalis: & ita de alijs.

44. Instabis: si intellectus potest assentiri præmissis, vt *quo*, per eundem actum, quo assentitur conclusioni, poterit etiam credere, vt *quo*, reuelationi euidenti, per eumdem actum, quo credit mysterium obscurum, per talem reuelationem propositum: sed est omninò absurdum, intellectum eodem actu, quo credit mysterium obscurum, credere reuelationi claræ, & euidenti, quia fides est rei non euidentis; ergo absurdum est dicere quòd eodem actu assentiatur præmissis & conclusioni.

Respondeo primò negando maiorem. Ratio disparitatis est, quia si obiectum, *quo*, seu medium, propter quod intellectus assentitur conclusioni, sit obscurum, conclusio erit obscura, si certum, certa, si euidens, ipsa quoque euidens erit. At hic supponitur ratio formalis credendi, clara, & mysterium quod creditur, obscurum.

Respondeo secundò, eundem actum posse esse clarum simul, & obscurum respectu diuersorum, quæ ab ipso repræsentantur. Nam quando eodem actu videmus simul lucem & colorem luce illustratum, si longè distamus, videmus obscurè colorem, ita vt quis color sit, non appareat clarè, & tamen potest esse visio clara respectu lucis. Pari igitur modo ea-

dem cognitio poterit esse clara respectu reuelationis euidentis, & obscura respectu mysterij obscuri; visio respectu reuelationis, fides respectu mysterij. Vnde D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2. & Caiet. ibi, aiunt ea quæ sunt fidei, posse esse simul visa, & credita; visa in ratione credibilis propter signorum euidentiam, aut aliquid huiusmodi; & credita secundùm se: visa non euidentiâ rei cognitæ, sed euidentiâ testimoniorum eius.

45. Probatur tertiò, potest sequi conclusio vera ex præmissis falsis; ergo per assensum conclusionis non possumus tunc assentiri præmissis. Consequentia per se constat, quia tunc vel conclusio non esset vera, contra suppositionem, vel idem actus esset simul verus & falsus, quod est absurdum. Antecedens verò probatur, tum ex communi proloquio, *ex falso sequitur verum*; tum ex hoc syllogismo, & aliis similibus: *omnis arbor est animal; omnis homo est arbor; ergo omnis homo est animal:* in quo conclusio est legitima, & vera, licet præmissæ sint falsæ.

Respondeo negando antecedens. Nunquam enim intellectus assentitur conclusioni veræ propter præmissas falsas, si eas falsas agnoscat, quia falsum non potest esse ratio formalis assentiendi vero, cùm potiùs illi repugnet. Vnde, ex falso non sequitur verum in argumentatione mentali, sed tantùm vocali, seu externa, de qua intelligitur proloquium illud.

Probatur quartò: si eodem actu assentimur conclusioni, & præmissis, nunquam poterimus vti habitu per conclusionem generato, quin per eum semper attingamus, & præmissas, & conclusionem simul; sed hoc experientiæ repugnat. Vbi enim semel probauimus aliquam conclusionem per legitimum discursum, vt *tres angulos cuiuscunque trianguli esse duobus rectis æquales:* possumus obliuisci illius discursus, & tamen eidem conclusioni assentiri: & quamuis non simus obliti illius discursus, illum tamen non formamus de nouo, vt conclusioni assentiamur; ergo non est opus assensu conclusionis attingi obiecta præmissarum.

46. Respondeo primò, negando minorem, vt enim supra diximus in fine sectionis quintæ, assensus, quem præbemus tali conclusioni, cuius præmissæ non suppetunt, non est eiusdem rationis cum assensu, per primum discursum generato: & ideò non procedit ab eodem habitu, sed tantùm à speciebus memoratiuis; seu à recordatione confusa talis discursus, aut aliunde, si aliunde occurrant species ad assensum necessariæ.

Respondeo secundò, negando maiorem. Quia, quando multa obiecta concurrunt ad cognitionem aliquam, vel habitum producendum, siue per diuersas species, siue per vnam tantùm; non est opus, vt, si postea eliciatur aliqua cognitio circa vnum obiectum ex illis, omnia illa simul attingantur per talem cognitionem, eo quòd huiusmodi species, vt ad nouam aliquam cognitionem concurrant, debent excitari per aliquam circunstantiam, & conditionem, aliquatenus spectantem ad obiectum cognoscendum. Quomodo iterum transeundo per locum aliquem, re-

cordamur nos alias ibi vidisse castellum, nobis occurrisse latrones &c.

Quando igitur aliqua conclusio, cui aliàs assensum per discursum præbuimus, nobis proponitur, potest excitari prima species circa conclusionem illam, absque eo quòd excitetur circa discursum, & præmissas, propter quas illi aliàs præbuimus assensum; & ita possumus per eumdem habitum illam attingere, absque eo quòd attingamus rationem formalem assentiendi, contentam olim in præmissis. Nam eodem modo si aliquis acquirat habitum temperantiæ ex iudicio erroneo, aut prauo motiuo, vt vanâ gloriâ; mutato iudicio, & assumpto bono fine, eodem vtitur habitu secundùm opinionem Scoti, ad eliciendos actus temperantiæ moraliter bonos.

47. Probatur quintò. Si per assensum conclusionis attingatur ratio formalis assentiendi, contenta in præmissis, inutiles erunt præmissæ formales ad conclusionem; eatenus quippe necessariæ censentur, quatenùs præsentant huiusmodi rationem formalem, quæ in assensu conclusionis includitur: & ita corruit omnis discursus syllogisticus.

Respondeo negando antecedens. Quamuis enim talis ratio formalis includatur in assensu conclusionis, quatenus assentimus identitati extremorum inter se, quia sunt idem cum tertio: tamen non includitur in illa, nisi dependenter à præmissis formalibus, eo quòd intellectus non potest reddi certus de veritate conclusionis, nisi certus sit de veritate præmissarum; non est autem certus de veritate præmissarũ per simplicẽ apprehensionem identitatis extremorum cum tertio, quia simplex apprehensio relinquit ipsum indifferentem ad verum, vel falsum iudicium; & ideò talis identitas debet prius iudicari in præmissis, vt intellectus certificetur de veritate obiecti, seu rationis formalis assentiendi.

SECTIO VII.

Vtrum intellectus conceſsis præmiſsis neceſsitetur ad aſſenſum concluſionis.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Quædam præmittuntur.

48. HVIC quæstioni ansam præbuit definitio syllogismi, in qua dicitur conclusionem necessariò euenire ex præmissarum positione. Vt autem intelligatur.

Notandum est ex doctrina communi duplicem esse necessitatem pro re præsenti: prima dicitur *neceſsitas quoad ſpecificationem*: secunda di-

citur *necessitas quoad exercitium*: cui duplici necessitati respondet duplex libertatis genus, scilicet *libertas contrarietatis*, & *libertas contradictionis*.

Libertatem contrarietatis habere dicitur voluntas, quando potest actus contrarios, & specie diuersos elicere, vt actum amoris, & actum odij circa idem obiectum. Et huic libertati opponitur *necessitas quoad specificationem*, quando voluntas ità determinatur ad vnum, vt oppositum velle non possit: & sic dicitur necessitari ad bonum quoad specificationem, quia non potest bonum sub ratione boni, odio habere.

Libertas contradictionis est, quando voluntas, licet ad vnum specie obiectum determinetur, ita vt non possit circa oppositum versari: tamen potest cessare ab actu: hoc modo ita versatur circa bonum, vt malum sub ratione mali amplecti nequeat: potest tamen non exercere actum amoris circa bonum creatum, seu ab actu amoris cessare. Et huic libertati opponitur necessitas quoad exercitium, quando non potest ab actu cessare, sicut voluntas Beatorum non potest cessare ab actu amoris circa Deum, sed ad illum exercendum necessitatur, ex Thomistis.

49. Hæc autem duplex necessitas debet applicari ad nostrum propositum respectu intellectus: vtrum videlicet concessis præmissis alicuius syllogismi, necessitetur ad assentiendum conclusioni; tum quoad specificationem, adeò vt non possit contrario conclusionis assentiri: tum quoad exercitium, adeò vt non possit illi non assentiri, seu assensum suspendere.

Et certè quoad primam necessitatem, nimirum specificationis, communis est sententia, quæ indicatur à Diuo Thoma in 2. d. 25. q. 1. a. 2. & 1. p. q. 82. a. 2. & in prima secundæ, q. 17. a. 6. eam reperiri in intellectu respectu conclusionis, quando præmissis adhæsit. Cuius ratio est, quia sic se habet intellectus circa verum, sicut voluntas circa bonum: sed voluntas non potest odisse bonum sub ratione boni: ergo neque intellectus potest dissentiri vero sub ratione veri: sed cognitis, & concessis præmissis veris, conclusio apparet vera: ergo intellectus non poterit non assentiri conclusioni quoad specificationem, hoc est, non poterit conclusionis contrario, quod est falsum, assentiri.

Probatur minor, quia per præmissas proponitur identitas extremorum cum medio: ergo proponitur sufficienter identitas eorum inter se, præter commune axioma, lumine naturali notum, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*. Vnde non potest apparere intellectui aliqua ratio falsitatis in conclusione: & ita non potest illi dissentire, quia sola falsitas est ratio dissensus.

Adde quod idem est obiectum conclusionis, & vtriusque præmissæ. Vnde quando intellectus aduertit se concessisse præmissas, non potest negare conclusionem, alioquin idem simul concederet, & negaret. Quæ ratio valet non tantùm in syllogismo demonstratiuo, sed etiam in probabili, vt constat.

50. Quoad aliam verò necessitatem, scilicet exercitij, duplex est sententia, altera affirmatiua, nempe intellectum concessis præmissis necessitari ad assensum conclusionis, nec posse illum suspendere. Ita Diu. Thomas locis proximè citatis. Scotus in 1. d. 1. q. 4. §. *ad argumenta*, numero 16. Durandus in 2. q. 25. q. 4. numero 7. Alijque non pauci. Altera est negatiua, intellectum scilicet non necessitari quoad exercitium circa assensum conclusionis; sed posse illum suspendere, saltem ex imperio voluntatis. Ita Ruuius in caput 1. lib. 1. post. qu. 8. & alij moderni. Vtraque hæc sententia probabilis est, & ita in vtramque partem quæstionem istam defendemus.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Intellectum necessariò assentiri conclusioni concessis præmissis.

51. PROBATVR primò, quia causa naturalis, siue necessaria, positis omnibus ad agendum requisitis, necessariò agit: sed intellectus est causa necessaria, quia in sola voluntate est formalis libertas: ergo necessariò aget, si ponantur omnia ad agendum requisita: sed assensus præmissarum sunt illud omne, quod requiritur, vt intellectus assentiatur conclusioni: ergo tali assensu posito, non potest conclusionis assensum suspendere: sicut oculus posito obiecto visibili in debita distantia non potest non elicere visionem circa illud.

Respondeo, concesso primo syllogismo, negando antecedens subsumpti, quia præter assensus præmissarum, requiritur vt voluntas, quæ est omnium potentiarum domina, consentiat, seu non impediat assensum intellectus, qui alioqui, quantum est ex se, prorumperet in assensum. Potest autem voluntas intelligi, talem assensum impedire, vel indirectè, dimouendo intellectum à consideratione obiecti in illomet instanti, quo deberet illi assentiri; vel directè, per imperium suspendendo assensum eius circa conclusionem.

52. Instabis: intellectus non est minùs potentia naturalis, & necessaria, quàm potentia visiua; sed voluntas non potest impedire ne oculus videat obiectum visibile, sibi debito modo applicatum: ergo neque potest impedire quò minùs intellectus assentiatur conclusioni, per præmissas sibi sufficienter applicatæ vt veræ.

Respondeo primò consequentiam plus inferre quàm oportet: esto enim possit in ea inferri quod intellectus non possit impediri quin eliciat aliquem actum circa conclusionem; non ideò oportet vt eliciat assensum, sed sufficit vt eliciat simplicem apprehensionem, quæ comparatur sim-

plici

plici visioni, & quæ non subiacet directè voluntatis imperio, vt rectè docet Diuus Thomas 1. 2. q. 17. a. 6.

Et certè si intellectus est adeò potentia naturalis, vt intendit argumentum, quare non sufficiunt præmissarum apprehensiones absque iudicijs, ad assentiendum conclusioni, vt dictum est num. 47. Nam per tales apprehensiones euidenter ostenditur connexio extremorum cum medio; & consequenter veritas illa conclusionis obiectiuæ, hoc est, identitas extremorum inter se, euidenter apparet.

53. Respondeo secundò ad maiorem, intellectum non esse minùs potentiam naturalem, quàm potentiam visiuam: in hoc tamen differre, quòd intellectus subordinetur voluntati, quantùm ad suum actum, vt experientiâ constat, non verò potentia visiua: sicut potentia visiua non est magis necessaria, & naturalis, quàm potentia loco-motiua, & tamen actus loco-motiuæ potest suspendi, & impediri à voluntate, vt notum est. Vnde ex eo quòd iutellectus sit potentia naturalis, non sequitur quòd eius assensus non subsit imperio voluntatis.

Respondeo tertiò, negando maiorem, quia intellectus non est simpliciter ad vnum determinatus sicut potentia visiua, nec est potentia merè naturalis. Vnde fit vt propter sympathiam, & consensum, qui est inter ipsum, & voluntatem, possit illius imperio parere quoad exercitium actus. Et hoc docet Diuus Thomas 1. 2. q. 17. a. 6. his verbis: *actus rationis potest considerari dupliciter: Vno modo quantum ad exercitium actus; & sic actus rationis semper imperari potest*: vbi particula, *semper*, videtur omnem actum comprehendere. Et 1. p. q. 82. a. 4. in fine ait: *Voluntas per modum agentis mouet omnes animæ potentias ad suos actus, præter vires naturales vegetatiuæ partis, quæ nostro arbitrio non subduntur.*

54. Probatur secundò. Voluntas posità efficaci volitione finis, non potest non velle medium, illi oblatum, ad consecutionem finis necessarium: ergo intellectus posito assensu præmissarum non potest non assentiri conclusioni. Antecedens admittitur communiter: probatur consequ. quia quo modo se habet finis respectu mediorum in practicis: ita se habent principia respectu conclusionis in speculatiuis, vt docet D. Thom. 1. p. q. 82. a. 1. & 1. 2. q. 10. a. 1. & alibi sæpissimè cum Aristot. 2. Phys. cap. vlt. textu 89. & 2. Eudemiorum cap. 10. ergo sicut efficax volitio finis necessitat voluntatem ad volitionem medij, ad illum finem assequendum necessarij: ita clara cognitio præmissarum, quæ sunt principia, & causæ assensus conclusionis, necessitabit intellectum ad assentiendum conclusioni.

Respondeo negando consequentiam, ad probationem eius, nego paritatem. Nam quando voluntas fertur in aliquem finem, non eligit media propter illum, vtcumque spectatum, sed vt illum consequatur: & ideò ex suppositione quòd maneat in efficaci finis intentione, non potest

non amplecti medium, ad acquisitionem finis necessarium. At conclusionis assensus non ordinatur ad aliquem finem consequendum: vnde voluntas pro sua libertate potest applicare intellectum, vel illum diuertere ab assensu conclusionis.

Quando verò dicitur, principia eo modo se habere ad conclusionem, quo se habet finis ad media: in hoc sita est paritas ex Scoto in 1. d.1.q.4. num. 16. quod sicut est ordo inter ista vera, ita est ordo inter ista bona: & sicut illa vera sunt ordinatè cognita, ita illa bona sunt ordinatè volita: & quòd intellectus per se primò moueatur ad assensum principiorum, & ex assensu principiorum ad assensum conclusionis, sicut voluntas per se primò tendit in finem, & ex intentione finis mouetur ad media.

55. Probatur tertiò. Vt se habet voluntas circa obiectum, omni ex parte bonum, ita se habet intellectus circa obiectum, omni ex parte verum: sed voluntas non potest suspendere actum amoris circa obiectum, omni ex parte bonum, vt patet in Beatis, qui Deum necessariò amant: ergo neque intellectus poterit suspendere assensum circa obiectum, omni ex parte verum. Sed ipsa conclusio, posito quòd sit euidenter deducta ex præmissis necessarijs, est omni ex parte vera: sicut enim summus calor dicitur, qui nihil habet frigiditatis, & est in octauo gradu: ita verum ex omni parte dicitur, quod nihil de falsitate habet admixtum.

Respondeo, concesso primo syllogismo, negando antecedens subsumpti, quia quodcumque aliud verum, præter Deum, est verum particulare, non continens totam veri latitudinem; ac proinde est bonum particulare ipsius intellectus; propter quod voluntatis imperio subditur circa illud, vt clarè docet Diuus Thomas, 1. 2. quæst. 9. a. 1. ad 3. Debet ergo fieri comparatio inter intellectum, & voluntatem, quoad summum verum, & summum bonum; quod est solus Deus: & ita sicut voluntas necessitatur ex Thomistis, ad amandum Deum, clarè visum: sic intellectus necessitatur, nullamq; habet libertatem circa ipsum Deum, clarè visum.

TERTIA PARS SECTIONIS.

Intellectum non assentiri necessariò conclusioni, concessis præmissis.

56. PROBATVR primò. Vt se habet voluntas ad bonum, ita intellectus ad verum, vt toties inculcant Authores contrarij; sed voluntas nullum bonum in hac vita necessariò vult quoad exercitium: ergo intellectus nulli vero assentitur necessariò quoad exercitium.

Respondeo negando esse omnimodam paritatem in maiori: nam in primis est disparitas ex parte obiecti, quia in quouis bono creato reperitur cuiusdam boni defectus, aut quædam mali ratio, vt labor, & difficultas in illo comparando; vnde voluntas potest ab eius prosequutione desistere. At verum, clarè ostensum per principia necessaria præmissarum, caret omni falsitate, & ita nihil est, quod impediat eius assensum. Secundò ex parte potentiarum, quia intellectus est potentia naturalis, & necessaria: voluntas verò est potentia libera.

Probatur secundò. Illa potentia, quæ ex se necessitatur ad agendum circa aliquod obiectum, non est capax habitus respectu illius, vt patet in potentia visiua, quæ per frequentes quantumuis actus nullum habitum ad videndum comparat. Intellectus autem per assensus principiorum acquirit habitum, qui dicitur intellectus, siue intelligentia: & habitis assensibus principiorum, acquirit habitum scientiæ per assensum conclusionum: ergo habet aliquam libertatem in assensu principiorum, & consequenter in assensu conclusionis, saltem libertatem obedientiæ respectu imperij voluntatis.

57. Respondeo primò ex Scoto in 1. d. 1. q. 4. numero 12. in fine additionis, non requiri habitum in intellectu circa prima principia, & conclusiones euidentes, inclinantem ipsum ad eis assentiendum; sed posse in eo poni habitum manifestatiuum, & ostensiuum veritatis huiusmodi principiorum: ita vt intellectus promptè, & facilè attingat suâ cognitione conuenientiam extremorum inter se, quâ visâ, necessariò erumpit in assensum.

Respondeo secundò, huiusmodi habitum requiri, vt intellectus fortiùs feratur in conclusionem, nec tam facilè possit auerti, & impediri, etiam indirectè, ab assensu illius. Aut etiam talis habitus requiritur, vt faciliùs possit disponere præmissas ad habendum conclusionis assensum; vel illum habendum sine actuali dispositione præmissarum.

Respondeo tertiò, non dari habitum circa principia euidentissima, qualia sunt Mathematica, quibus auditis, statim assentitur intellectus: sed tantùm circa principia difficiliora, præsertim Physica, quorum veritas non est ita euidens: & ideò illorum notitia, & assensus, exercitatione, inductione, & consuetudine comparari debet, vt docet Aristoteles 2. post. cap. vltimo: 6. Ethic. c. mihi 3. & 9. item 1. Metaph. c. 1.

58. Probatur tertiò. Si intellectus necessariò assentitur conclusioni, ex principijs deductæ, non poterit voluntas efficere, vt cesset ab illo assensu, quia eadem est ratio de continuatione, & de prima eius productione, vt constat: sed hoc est planè absurdum; quia si huiusmodi conclusio sit practica, v. g. amandum esse Deum: & intellectus non possit dimoueri ab hoc iudicio, voluntas amabit necessariò Deum quoad exercitium, quia, cùm vnicum sit iudicium, nec aliud proponatur obiectum, non poterit non obedire illi, nec aliò flectere intellectum. Vnde tolle-

tur omnis ratio meriti ob neceſſitatem talis actus.

Reſpondeo, ijſdem circumſtantijs perſeuerantibus intellectus perſeuerabit in aſſenſu concluſionis: at non ideo voluntas neceſſariò ſequetur illud iudicium practicum; ſed poterit amorem ſuum liberè ſuſpendere, quia libera eſt, & quia intellectus non proponit amandum ſibi eſſe Deum neceſſariò. Poterit etiam auertere intellectum indirectè à conſideratione talis obiecti, applicando illum alijs obiectis, quæ propter varia phantaſmata occurrentia, poſſunt intellectui objici.

59. Probatur quartò. Requiritur ex Theologis pia voluntatis affectio, vt intellectus aſſentiatur propoſitionibus fidei diuinæ, quia poteſt voluntas illum aſſenſum impedire. Poſito ergo quòd in ſyllogiſmo ſit vna præmiſſa de fide, & altera naturaliter nota, vt in iſto, *omnis homo eſt riſibilis*; *Chriſtus eſt homo*; *ergo Chriſtus eſt riſibilis*. Poterit voluntas impedire aſſenſum concluſionis, quia hæc eſt ſupernaturalis, cùm dependeat à præmiſſa ſupernaturali, & conſequenter pertinet ad fidem. Non ergo illi aſſentitur intellectus neceſſariò, ſed dependenter à pia voluntatis affectione, quam pro ſua libertate recuſare poteſt.

Reſpondeo, concluſionem futuram talem, quale fuerit medium, & motiuum aſſentiendi in præmiſſis: vnde, quia concluſio ſequitur debiliorem partem, ſi vna præmiſſa fuerit tantùm probabilis, quamuis alia ſit neceſſaria, concluſio erit tantùm probabilis: ſi vna ſit falſa, concluſio erit falſa: ſi vna ſit de fide, altera naturalis, concluſio erit tantùm naturalis. Et ita in dato exemplo, licet requiratur pia affectio voluntatis ad aſſentiendum minori, quæ eſt de fide, & obſcura: non tamen requiretur ad aſſentiendum concluſioni, quæ ſequitur euidenter ex vi aſſenſus dati præmiſſis.

Quare, licet certus ſim ex fide Chriſtum eſſe hominem; non tamen certus ſum ex fide, ipſum eſſe riſibilem, ſed tantùm ex lumine naturali, quo ſcio omnem hominem eſſe riſibilem: & ſic prima eſt reuelata, non verò ſecunda.

60. Inſtabis: ex illa opinione, quæ dicit præmiſſas concurrere effectiuè ad aſſenſum concluſionis, non poteſt negari quin concluſio ſit ſupernaturalis, quia præmiſſa de fide, cùm ſupernaturalis ſit, debet habere effectum ſupernaturalem: & rurſus ſi concluſio eſſet naturalis, contineretur in virtute cauſæ naturalis, & ita non egeret influxu præmiſſæ ſupernaturalis.

Adde quòd vtraque præmiſſa poteſt eſſe de fide: ergo inferetur concluſio de fide: & conſequenter ad eius aſſenſum requiretur pia voluntatis affectio, quam poterit negare ſi velit.

Reſpondeo in neutro caſu aſſenſum concluſionis eſſe ſupernaturalem, aut aſſenſum fidei: ſed tantùm eſſe aſſenſum Theologiæ: quia alio modo aſſentimur articulis fidei, quando ſimpliciter proponuntur credendi; alio modo concluſionibus deductis per diſcurſum ex fidei articulis. Nam

vt proponuntur simpliciter credendi, assentimur eis per fidem, & non propter aliud: conclusionibus autem assentimur propter articulos ex naturali intellectus ratiocinandi virtute, & per habitum à fide distinctum, vt rectè docet Caietanus 1. p. q. 1. a. 2. *§. ad quartum quod est Scoti*, satis ante finem articuli.

Quamuis autem præmissæ de fide, quando circa proprium obiectum absolutè versantur, supernaturales sint: quando tamen applicantur ab intellectu ad alium actum producendum, potest actus ille naturalis esse, quia tunc naturalem intellectus ratiocinandi virtutem pro causa principali agnoscit; non autem specialem Dei directionem. Vide infrà, quæstionem quartam, numero 7.

61. Probatur quintò. Potest voluntas impedire ne intellectus concessis præmissis apprehendat conclusionem: ergo potest impedire ne illi præbeat assensum. Consequentia est clara, quia intellectus iudicare non potest obiectum, quod non apprehendit. Probatur antecedens in isto syllogismo. *omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal.* Nam potest voluntas imperare intellectui, t eliciat istam conclusionem in *Baralipton ergo aliquod animal est risibile*; atque adeò impediet apprehensionem alterius conclusionis; ergo & vtriusque, quia non est maior ratio de vna, quam de alia: & ita intellectus concessis præmissis remanebit indeterminatus ad cuiuis conclusioni assentiendum: nulli igitur necessariò assentietur.

Respondeo primò, non esse negandum voluntatem posse impedire apprehensionem conclusionis: & ita indirectè eius assensum: sed supponi debet talis apprehensio, & eâ positâ, negatur intellectum non assentiri necessariò conclusioni apprehensæ: tunc enim vt causa necessaria, agit necessariò, quia habet omnia requisita ad agendum.

Respondeo secundò iudicatis duabus præmissis trahi intellectum ab insita vi principij, *dici de omni*, vel *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, ad apprehensionem conclusionis directæ, & naturalis, scilicet in *Barbara*: & ideo vel illi soli assentitur necessariò, vel alteri simul, & concomitanter cum illa: quæ concomitantia oritur ex determinatione quasi extrinseca, quam accipit ab intentione, & cogitatione antecedenti, quâ statuit inferre conclusionem in *Baralipton*, qui modus tunc ideò præsens obijcitur intellectui.

QVÆSTIO II.

De figuris Syllogismi.

1. PLVRIMA tractari solent in summulis, spectantia ad varias syllogismi figuras, & diuersos cuiusque figuræ modos: multa etiam de reductione imperfectorum syllogismorum ad quatuor modos directos primæ figuræ, ibidem explicantur, quæ propterea libenter omitto, vt aliqua, huic loco conformia, & vtilia breuiter expediam. Sit igitur.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit figura syllogismi.

FIGVRA syllogismi nihil aliud est, quàm recta dispositio, & complicatio medii termini cum duobus extremis ad conclusionem inferendam. Vnde figura syllogismi dicitur per analogiam ad figuras geometricas, quæ oriuntur ex variis lineis, diuersimodè ordinatis. Quapropter sanctus Thomas opusculo 47. comparat syllogismum triangulo, quasi tres termini rationem habeant trium punctorum; tres propositiones trium linearum; & dispositio rationem figuræ.

Triplicem vero complicationem medii termini cum extremis assignat Aristoteles lib. 1. priorum cap. 4. 5. & 6. 22. & 23. & ideò triplicem syllogismi figuram distinguit. Primam, in qua medius terminus subiicitur in prima propositione, & prædicatur in secunda: alteram, in qua medius terminus prædicatur in vtraque, & tertiam in qua in vtraque subiicitur.

Quia tamen potest dari quædam alia dispositio medij, ita nimirum vt prædicetur in maiori propositione, & subiiciatur in minori, quæ est complicatio, opposita complicationi primæ figuræ, ideo quartam figuram admisit Galenus, si credimus Auerroï in caput 8. lib. 1. priorum, quia, vt notat Zabarella in libro de quarta figura cap. 1. hoc non inuenitur in scriptis Galeni, quæ nunc extant. Hæc autem figura deberet potiùs prima vocari, ita vt sub prima duæ constituerentur species, quia vt notat D. Thomas citato opusculo, prima figura Aristotelis dicitur prima quia medium in ea obtinet locum magis sibi naturalem, & proprium, scilicet inter

extrema, & eorum rationem magis participat, quatenus subjicitur, sicut vnum extremum, & sicut alterum, prædicatur: hoc autem etiam reperitur in figura Galeni, vt patet in isto syllogismo, facto in primo modo qui *Baralipton* dicitur *omnis homo est animal, omne animal est sensibile; ergo omnis homo est sensibilis.* Nihilominus communiter appellatur quarta figura, quasi tribus prioribus Aristotelis addita.

2. Notandum est autem ex duobus extremis syllogismi, alterum vocari ab Aristotele primum, siue maius extremum, & alterum vltimum, siue minus extremum. Illud maius extremum est in prima figura, in quo medium est, inquit Aristoteles; id est, quod de medio prædicatur: minus verò extremum, quod est in medio; hoc est, de quo prædicatur medium, siue affirmatiuè, siue negatiuè.

At verò cum in secunda figura medium de vtroque extremo prædicetur: & in tertia vtrique subijciatur, non possunt hoc modo distingui maius, & minus extremum; sed in secunda illud est maius extremum quod propiùs accedit ad medium, inquit Aristoteles, hoc est, ad medij conditionem, quia in conclusione prædicatur, sicut medium in præmissis: minus verò extremum est, quod minùs ad medij conditionem accedit, quia videlicet in conclusione subijcitur.

At in tertia figura maius extremum est, quod à medij conditione longiùs abest, quia & in altera præmissa, & in conclusione prædicatur: minus verò extremum, quod magis accedit ad medium, quia in conclusione subijcitur.

Vnde vniuersaliter colligitur de mente Aristotelis illud esse maius extremum, quod prædicatur in conclusione, minus verò quod in ea subijcitur. Et ratio huius denominationis colligitur ex ipso Aristotele, qui c. 5. dicit medium in secunda figura, esse primum positione: quia nimirum prædicatur de vtroque extremo: cap. verò 6. ait in tertia esse positione vltimum, quia nempe in vtraque subjicitur. Illud ergo extremum quod prædicatione eminet, rectè vocatur primum, & maius: quod verò subjicitur, rectè vocatur vltimum, & minus, quia nobilius est prædicari, quàm subjici.

3. Zabarella cap. 2. 10. & 11. de quarta figura cum alijs recentioribus ait, rationem maioris, vel minoris extremi sumi posse in omni figura ex quæstione, quæ concludenda proponitur per syllogismum. Antequam enim syllogismum incipiamus, oportet nos scire quid simus ostensuri, & ita certam aliquam propositionem, quam Auerroës vocat *quæsitum*: & Græci *problema*, in syllogismo concludendam, nobis proponimus, v. g. hominem esse animal.

Vnde volunt isti Authores, prædicatum huiusmodi quæstionis esse maius extremum: subiectum verò esse extremum minus: ita vt ex medio termino, & ex prædicato *quæsiti* semper fiat maior propositio, quocumque modo se habeat medium; id est, siue subijciatur prædicato *quæsiti*,

siue de eo prædicetur: ex subiecto verò *quæsiti*, & eodem medio termino semper fiat minor, quocumque modo se habeant inter se quoad subiectionem, & prædicationem.

Scotus q. 24. huius libri: Sotus lib. 5. summularum, c. 5. & 6. Toletus lib. 4. introductionis, Camerarius hic qu. 13. dicunt, in secunda, & tertia figura, addit Camerarius, *& in prima*, illud esse maius extremum, quod reperitur in maiori: minus verò, quod reperitur in minori. Illam autem propositionem esse maiorem, quæ est ordine prolationis prima; illam minorem, quæ secundo loco producitur. Vnde si extremum maioris in conclusione prædicetur, modus erit directus; indirectus verò si subijciatur.

In figura tamen Galeni, contrarium euenit, quia in modis eius directis maius extremum, quod subijcitur in prima propositione, debet subijci in conclusione: minus verò extremum prædicari. In indirectis autem maius extremum prædicari debet, & minus extremum subijci.

4. Notandum est præterea, quatuor assignari modos directos figuræ Galenicæ, sicut Aristotelicæ; & quinque similiter indirectos, sequentibus versiculis comprehensos, ita vt directi in primo versu; indirecti verò contineantur in secundo.

Battala Calene, Diari, firedo reguntur,
Non Balatix, Ditalis, Fresismo, Fesapmo, Carenes.

In his autem habenda est ratio vocalium, quæ sunt in vnoquoque vocabulo, sicut explicari solet in figura Aristotelica, pro qualitate, & quantitate propositionum: quod scilicet vocalis *A*, designet propositionem vniuersalem affirmatiuam: *E*, vniuersalem negatiuam, *I*, particularem affirmatiuam: *O*, particularem negatiuam. In modis verò indirectis spectare oportet consonantes *s. p. m.* quia *s.* significat faciendam esse conuersionem simplicem propositionis, cui respondet, vt fiat reductio ad modos directos: *p.* verò conuersionem per accidens: *m.* denique transmutationem præmissarum.

Habenda quoque est ratio litterarum initialium, quia modi indirecti quorum prima littera est *f.* reducuntur ad modum directum *Firedo*: si verò sit *C.* reductio fiet ad *Calene*: si *D.* ad *Diari*: si *B.* ad *Battala*. Vnde *Carenes* reduci debet ad *Calene*: *fesapmo* & *Fresismo*, ad *firedo*: *ditalis*, ad *Diari*: *Balatix* verò reducitur ad *Battala*, restituendo conclusionem in pristinum statum, quem habebat in *Battala*, vt fit in *Balalipton* respectu *Barbara*, hoc est, conuertendo particularem in vniuersalem.

His præmissis examinandum est, vtrum admittenda sit quarta figura Galeni: circa quod duæ sunt opiniones; altera communis, scilicet negatiua: altera verò affirmatiua: vtraque probabilis, & vt sic, à nobis proponenda.

SECTIO

SECTIO II.

Admittendam esse figuram Galeni.

5. FIGVRAM Galeni admittit Tataretus lib. 1. priorum q. 3. dubio 1. Ioannes Viguerius c.2.institutionum Theologicarum; Camerarius q. 13. de logica, & alij. Iauellus autem dicit Aristotelem illâ vsum fuisse c.3.antecategoriarum,ex quo sumitur primum argumentũ.

Probatur itaque primò hæc sententia ex Aristotele c. 3. anteprædicamentorum, vbi expresè illâ figurâ vtitur, & regulam generalem pro illa tradit his verbis: *cum quippiam de quopiam prædicatur, vt de subiecto; ea quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de subiecto, vt homo de quodam homine prædicatur; animal autem de homine: igitur animal de quodam etiam homine prædicabitur.* Vbi particula rationalis, *igitur*, indicat formalem argumentationem, quæ ex dictis propositionibus sic formatur: *Petrus est homo, sed omnis homo est animal, ergo Petrus est animal.* Qui syllogismus est in modo *Diari*, figuræ Galenicæ. Igitur talis figura reiicienda non est, cum in ea legitimè sequatur conclusio de mente Aristotelis.

Adde etiam authoritatem Porphyrij, qui cap. de specie paulò ante finem, eandem figuram vsurpat his verbis: *si enim verè dicitur Socrates esse homo & homo animal, animalque substantia: verè etiam Socrates dicitur esse animal, & substantia.*

Respondeo Aristotelem non respexisse citato loco ad figuram Galeni, sed ad primam solùm, ideoque syllogismum illum esse in *Darij*, transpositis præmissis; non verò in quarta figura; quia sola transpositio præmissarum non variat figuram, alioquin *Cesare*, & *Camestres*, pertinerent ad diuersas figuras, sicut etiam *Disamis*, & *Datisi*.

Itaque illa propositio, in qua reperitur maius extremum, hoc est prædicatum conclusionis, seu terminus prædicatione supremus, debet censeri maior, quocunque in loco ponatur, siue in primo, siue in secundo: minor verò in qua reperitur minus extremum: sed in prædicto syllogismo prædicatum conclusionis, nempe *animal*, reperitur in secunda propositione, & subiectum, nempe *Petrus*, in prima; igitur prima est minor, & ita argumentum est in *Darij*.

Propter hoc Auerroes conficiendo syllogismos in prima figura, ponit primo loco propositionem, in qua medium prædicatur, quod est contra Aristotelis ordinem: & consequenter hoc non faceret, vt rectè notat Pontius, si illa deberet dici maior, quæ ponitur primo loco; non verò illa in qua medium subijcitur.

6. Probatur secundò. Figura Galeni perfectior est, & magis natura-

lis, quàm sit prima figura Aristotelis: ergo potiori iure est admittenda. Probatur antecedens quoad primam partem; quia cum figuræ syllogismorum dicantur per proportionem ad Geometricas, vt diximus in prima sectionis parte; illa perfectior censeri debet, quæ perfectiorem figuram imitatur: figura autem Galeni procedit secundùm Circularem, quæ est omnium perfectissima. Nam in ea proceditur à primo ad medium, & à medio ad postremum. Hoc est à maiori extremitate ad medium, & hinc ad minorem extremitatem: at in figura Aristotelis tendimus à medio ad primum, & à postremo ad medium. Ex quo

Probatur secunda pars: quia magis naturale est procedere à primo, ad medium, & à medio ad postremum, quàm à medio ad primum, & à postremo ad medium.

Deinde in figura Galeni proceditur ab imperfecto ad perfectius, & hinc ad perfectissimum, qui est modus naturalissimus, & perfectissimus: nam in ea proceditur à maiori extremo quod est medio imperfectius, quia illi subiicitur, ad ipsum medium; & à medio ad minus extremum, quod est perfectissimum, quia prædicatur tum de medio in minori, tum de maiori extremo in conclusione: at in prima figura contrario modo proceditur, scilicet à perfecto, hoc est medio, ad perfectissimum, nempe maius extremum tum ad imperfectius, hoc est minus extremum, quod medio subijcitur in minori, & maiori extremo in conclusione, ac proinde est vtroque imperfectius.

7. Respondeo negando antecedens: & ad probationem primæ partis illius, concedo figuras syllogismorum sic vocari per proportionem ad geometricas: sed cùm hæc proportio sit metaphorica, sicut ridere respectu prati ad hominem, nulla inde potest inferri maior perfectio intrinseca in vna, quàm in alia.

Deinde: si hæc ratio valeret, concluderet secundam figuram esse perfectiorem primâ, quia in ea proceditur à primo ad medium, & hinc ad postremum.

Tertiò: prima magis imitatur figuram circularem, quàm Galenica: Nam ab eodem per extrema reditur ad idem, hoc est à medio ad medium, sicut in delineando circulo, ab eodem puncto reditur ad idem punctum.

Ad primam probationem secundæ partis, ejusdem antecedentis respondeo esse æquiuocationem in illis terminis *primum*, *medium*, *postremum*. Licet enim in spatio, & motu locali debeat naturaliter fieri progressus à primo, seu principio, ad medium; & deinde ad postremum terminum: tamen in motu logico, seu discursiuo rectiùs incipitur à medio, quia medium est ratio perueniendi ad extrema, cùm ex eorum coniunctione cum ipso, inferatur coniunctio eorundem inter se.

Nec magis vrget secunda probatio ejusdem partis: quia licet in Physicis vt plurimùm fiat progressus ab imperfectis ad perfectiora; non est

opus, vt in moralibus, & artificialibus, idem ordo obseruetur: sed in ijs spectatur sæpe id quod aptius, & commodius est respectu finis propositi; siue alioquin sit perfectius, vel imperfectius alio: & tunc ille progressus debet censeri magis naturalis, vt per se constat. Hoc autem seruatur in prima figura, in qua ordo terminorum fundatur in principijs, *dici de omni*, & *dici de nullo*, quæ sunt principia naturalissima, & nostro modo discurrendi maximè conformia.

8. Probatur tertiò. Definitio figuræ conuenit Galenicæ, & definitio syllogismi quadrat in omnes modos, pro tali figura assignatos; ergo talis figura legitima est, & consequenter admittenda. Antecedens patet ex dictis. Figura quippe syllogismi est apta complicatio terminorum ad conclusionem inferendam, & ex diuersa sede, & coordinatione medij cum extremis figuræ distinguntur ab Aristotele. At in figura Galeni reperitur diuersa coordinatio, & sedes medij cum extremis, vt ostensum est supra: omnesque eius syllogismi sic se habent, vt *quibusdam positis aliud quippiam necessariò sequatur eo quòd hæc sunt*: ergo &c.

Respondeo negando antecedens, quia huiusmodi figura fictitia est, prout ponitur distincta à prima Aristotelis; & ideo non potest illi conuenire definitio veræ figuræ: vnde falsum est quòd in ea, diuersa sit coordinatio, & sedes medij termini. Nam in prima figura necessariò illud est maius extremum, quod prædicatione eminet; & consequenter illa est maior propositio, in qua medium subijcitur illi extremo, quod prædicatur in conclusione de altero, alioquin indirectè concluderetur.

Non possunt ergo plures esse figuræ, quàm tres: vnde modi, & syllogismi, qui pro figura Galeni assignantur, sunt in prima figura, & tantùm in eis est transpositio præmissarum.

9. Instabis: *Cæsare*, & *Camestres* secundæ figuræ, solùm differunt transpositione præmissarum, & tamen ponuntur ab Aristotele modi distincti syllogismorum; ergo sola transpositio præmissarum, quæ reperitur in figura Galeni, sufficiet ad constituendos modos diuersos in prima figura Aristotelis: ergo & ad constituendam nouam figuram. Probatur hoc vltimum assumptum: quia, si quatuor primi modi figuræ Galenicæ sunt reuera modi syllogismorum distincti in prima figura, Aristoteles non assignauit omnes modos primæ figuræ: quod cùm dici non debeat, fatendum est eos constitui in diuersa figura: quod erat probandum.

Respondeo primò negando antecedens. Nam illi duo modi non tam distinguntur ex transpositione præmissarum, quàm ex variatione conclusionis: quia in vna prædicatur extremum illud, quòd in altera subijcitur: ob quam eandem & solam rationem differunt duo modi *Daryj*, & *dabitis*, in prima figura.

At verò in modis figuræ Galenicæ, & modis primæ, eis respondentibus infertur eadem conclusio, secundùm notata in prima parte sectionis, & patet in istis duobus syllogismis, quorum primus est in *Barbara*, & secundus in *Battala*.

Bat- *omnis homo est animal* Bat- *omne rationale est homo*
ba- *omne rationale est homo* ta- *omnis homo est animal*
ra. *omne rationale est animal* la. *omne rationale est animal.*

Respondeo secundò, negando consequentiam cum suo assumpto: quia, vti suprà adnotatum est, distinctio modorum in secunda, & tertia figura, non sumitur per ordinem ad medium, sicut in prima; sed ex ordine propositionum inter se, vel ex prædicato *quæsiti*, quod cum medio constituit semper maiorem, & in conclusione prædicari debet, si directè concludatur. At in prima figura maius, vel minus extremum distinguntur ex ordine ad medium; ita vt maius extremum sit illud, quod de medio prædicatur, quocumque ordine locentur præmissæ: & sic earum transpositio non potest variare modos primæ figuræ, & multò minùs figuram ipsam.

SECTIO III.

Figuram Galeni non esse admittendam.

10. QVòD quarta figura, siue Galeni, admitti non debeat. Probatur primò ex eo quòd Aristoteles eius non meminit, neque de illa ex professo tractauit, signum ergo est illam non fuisse sibi notam; imò potiùs non probatam: atque adeo non est admittenda.

Respondeo talem figuram non fuisse ignotam Aristoteli cum illâ fuerit vsus, vt ostensum est in primo argumento contrariæ sententiæ. Ideò autem illam fusiùs non explicuit, quia facilis per se est, & maximè naturalis: alia verò difficilior, & magis artificialis: vnde pluribus egebat præceptis.

Probatur secundò ex Auerroe. Illa figura non est admittenda, cuius syllogismi non habent conclusionem, seu illationem naturalem: sic autem se habent syllogismi figuræ Galenicæ, vt patet in isto, *omnis homo est animal, omne animal est corpus, ergo aliquod corpus est homo.* Vbi conclusio aduersatur processui rationis naturalis: quia ratio naturalis postulat, vt illud, quod affirmatur, vel negatur de aliquo subiecto, affirmetur, vel negetur de omnibus sub illo contentis; vnde cùm corpus affirmetur de animali in minori, & animal de homine in maiori, ratio expectat, vt corpus dicatur de homine in conclusione: & tamen homo dicitur de corpore.

11. Respondeo negando minorem. Ad eius probationem dico syllogismum illum concludere indirectè in figura Galeni, & esse in modo quem voco *Balatix*; atque adeò, vt naturaliter & directè concludat, debet poni conclusio in *Barbara*, & fieri vniuersalis hoc modo, *ergo omne*

homo est corpus. Vnde non est cur Zabarella tot verba impendat in explicanda, & defendenda vi illius rationis Auerroïs.

Dices: habemus figuram Galeni tantùm ab Auerroe, quia in Galeni scriptis non reperitur: non debemus ergo illam aliter explicare, quam ipse Auerroës. Vnde Zabarella in fine capitis tertij, ait ex medicorum sententia, figuram Galeni esse similem tertiæ figuræ in eo, quòd numquam colligat conclusionem vniuersalem: quod est contra ea, quæ nos diximus in prima sectione.

Respondeo hanc figuram communiter quidem explicari juxta mentem Auerroïs: Auerroës autem in ea explicanda sequutus est ideam primæ figuræ Aristotelicæ, in qua maius extremum debet prædicari de minori in conclusione, vt directè concludatur. At non ita philosophari oportet; quia, cùm quarta figura distincta sit à prima, & medium in ea diuersam occupet sedem, maius extremum debet subijci minori in conclusione, vt directa conclusio inferatur: in modis verò indirectis maius extremum debet in conclusione prædicari de minori. Sic enim ordo præposterus est, cum id, quod in præmissis subijcitur, in conclusione prædicatur. Adde quòd Aristoteles, & Porphyrius illâ vsi sunt modo explicato, vt dictum est num. 5.

12. Probatur tertiò: sola præmissarum transpositio non sufficit ad distinguendas figuras, alioquin *Cesare*, & *Camestres*; *Disamis*, & *Datisi*, augerent numerum figurarum: sed figura Galeni non differt alio modo à prima, vt patet ex supra dictis; ergo non est distincta à prima.

Respondeo primò, negando maiorem. Nam omittendo naturalia, in quibus partium transpositio magnam mutationem inducit, vt si manus loco auris esset affixa: in artefactis mutantur figuræ ex sola transpositione partium; & sensus propositionum variatur ex situ diuerso terminorum. Poterit ergo variari figura syllogismi, quæ est artefactum quoddam, ex transpositione præmissarum; maximè quando talem mutationem comitatur diuersa habitudo medij termini ad extrema, vt fit in figura Galeni, in qua ipsum medium prædicatur de maiori extremo; cùm in prima illi subijciatur. Hoc autem non contingit in modis allatis, quia semper medium prædicatur in duobus primis, & subijcitur in alijs duobus.

13. Respondeo secundò: esto reperiatur sola transpositio præmissarum in figura Galeni, saltem non poterit negari, quin hæc inducat tantam distinctionem modorum figuræ Galeni, à modis figuræ Aristotelis, quantam inter *Cesare*, & *Camestres*; inter *Disamis*, & *Datisi*: ergo, cùm tales modi non possint pertinere ad primam, quia alioquin Aristoteles eos numerasset, debent ad aliam referri.

Respondeo tertiò: posito, & non concesso, quòd quarta, & prima figura non sint distinctæ: obseruari debet potiùs quarta, quàm prima, quia est perfectior primâ, & magis naturalis, vt probabiliter ostenditur in secundo argumento alterius partis.

Confirmatur ex eo, quòd medium perfectiorem obtinet in ea medij rationem, quo argumento vtitur Aristoteles ad probandam eminentiam primæ supra duas alias. Nam triplici ratione medium potest dici medium, primò ratione virtutis inferendi conclusionem, & connectendi extrema: & hoc modo est medium in omnibus figuris. Secundò, participatione extremorum, quia subijcitur sicut vnum extremum, & prædicatur sicut alterum: & hoc competit primæ, & quartæ figuræ. Tertiò, positione, & situ inter ipsa extrema, & sic perfectè conuenit soli quartæ, quia in prima semel ponitur extra extrema, scilicet in maiori: in quarta verò semper reperitur inter extrema.

14. Instabis: licet in syllogismo vocali vna propositio præcedat alteram: tamen quando infertur conclusio, vtraque debet esse simul in intellectu, & sic in intellectu altera non est maior, aut minor potiùs, quàm altera: ergo in intellectu quarta figura non distinguntur à prima, & ad distinctionem earum impertinens est quòd vna ex præmissis alteram præcedat.

Respondeo, hanc instantiam nullam planè esse, alioquin tolleretur omnium fere modorum syllogisticorum distinctio. Cur enim non rectè concluditur ex minori negatiua in *celarent*, & *ferio* primæ figuræ, si in intellectu vna non est maior potiùs, quam alia? cur *Cesare*, & *Camestres*; cur *Disamis* & *Datisi* ponuntur modi distincti? si in intellectu negatiua non præcedit affirmatiuam aut maior minorem? Cur in secunda ex maiori particulari nihil sequitur vi formæ? Cur in tertia ex minori negatiua nihil quoque sequitur?

Concludendum ergo est transpositionem præmissarum posse variare dependentiam, & ordinem inter terminos, atque adeò rationem discursus, & figuræ.

SECTIO IV.

Vtrum in secunda & tertia figura dentur modi indirectè concludentes.

15. PARTEM affirmatiuam sequitur Scotus q. 16. 17. & 24. lib. 1. priorum. Sotus lib. 5. summularum cap. 5. & 6. Auersa q. 25. sect. 8. & alij quidam recentiores, quorum aliqui plures, aliqui pauciores modos assignant. Pontius cum alijs recentioribus partem negatiuam sustinet.

Tota autem controuersia oritur ex designatione maioris extremi, quia vt supra adnotauimus, maius extremum est, ex sententia Aristotelis, quod in conclusione prædicatur: ex alijs verò illud quod reperitur in ma-

lori, hoc est, in propositione, priori loco producta, aut quòd est prædicatum *quæsiti*. Paucis vtrumque, vt probabile expediam.

Prima sententia probatur primo ex Aristotele 1. priorum cap. 7. vbi expressè asserit in omnibus figuris ex maiori vniuersali, aut particulari affirmatiua, & ex minori vniuersali negatiua sequi conclusionem particularem, in qua minus extremum negatur de maiori, quod est indirectè concludere, & affert pro exemplo *Fapesmo*, & *Frisesomorum*: eadem autem est ratio de alijs modis, quos hæc sententia assignat, nimirum in secunda figura *Cæsare*, *Camestres*, *Frisesomorum*, *Bocardo*: in tertia verò *Darapti*, *Disamis*, *Datisi*, *Fapesmo*, *Frisemo*, & *Baroco*.

Respondeo Aristotelem loqui tantùm de prima figura, dum ait illos duos modos indirectè concludere: & quando addit eos similiter in alijs figuris conclusionem efficere, concedit quidem eamdem conclusionem sequi in ijsdem modis, sed eam esse directam, licet in prima figura indirectè colligatur. Ratio est, quia in secunda, & tertia figura illud est semper maius extremum, quod in conclusione prædicatur, vt patet ex his quæ attulimus ex Aristotele num. 2. & consequenter non potest fieri, vt minus extremum prædicetur de maiori, quod necessarium est ad concludendum indirectè.

16. Probatur secundò: quia in modo *Darapti*, potest duplex conclusio ex ijsdem præmissis inferri, vera, & necessaria, ita vt in vna prædicetur quòd in altera subijcitur & viceuersa; ergo necesse est alteram esse indirectam. Antecedens patet in hoc syllogismo, *omnis homo est animal omnis homo est rationalis, ergo aliquod rationale est animal*: & contra *ergo aliquod animal est rationale*, quæ est æquè necessaria, ac prima.

Respondeo negando consequentiam, quia illa, quæ dicitur esse indirecta, fiet directa ex sola transpositione præmissarum in eodem modo, hac ratione, *omnis homo est rationalis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est rationale*. Non enim variatur modus ex illa præmissarum transpositione.

Probatur tertiò. Quidquid sequitur ex consequente bonæ consequentiæ, sequitur ex eiusdem antecedente, vt docet Aristoteles. 1. prior. c. 28. & 33. sed ex consequente seu conclusione prædictorum modorum secundæ, & tertiæ figuræ, sequitur illius propositio conuertens (nam & particularis affirmatiua, & vniuersalis negatiua simpliciter conuertuntur ex communi consensu) ergo eadem conuertens sequetur ex eodem antecedente, seu ex ijsdem præmissis talium modorum: si autem conuersa est directa, necesse est vt conuertens sit indirecta, & viceuersa.

17. Respondeo concedendo totum argumenti processum, exceptâ vltimâ consequentiâ, quia vtraque propositio, & conuersa, & conuertens directè sequitur, eo quòd ad mutationem prædicati conclusionis, mutantur præmissæ, & maior fit minor, & minor maior; & consequenter prædicatum conclusionis semper in maiori reperitur, & rationem habet maioris extremi.

Probatur quartò. Si ex sola conclusione iudicare debeamus quod nam sit maius, & minus extremum, poterimus indifferenter vnum de alio in conclusione prædicare, quia illud quod prædicabitur statim induet rationem maioris: hoc autem est falsum, quia sic ex præmissis veris sequetur conclusio falsa, vt patet in hoc syllogismo, facto in *Bocardo* tertiæ figuræ. *Aliquod animal non est homo: omne animal est sensibile: ergo aliquod sensibile non est homo*, & rursus, *ergo aliquis homo non est sensibilis*, vbi prima conclusio vera est, & secunda falsa.

Respondeo, maiorem esse veram de illis modis in quibus conclusio est vniuersalis negatiua, aut particularis affirmatiua, quia hæ simpliciter possum conuerti: secùs si sit particularis negatiua, vt in *Bocardo*, ob contrariam rationem: vnde in illo debet necessariò inferri, & prædicari terminus ille, qui in præmissis negatur; & hic est maius extremum, quod in maiori reperitur. Vnde semper maius extremum est quod in conclusione prædicatur, minus verò quod subijcitur.

18. Secunda sententia probatur primò authoritate Aristotelis, primo priorum cap. 5. & 6. vbi expressè asserit, maius extremum in secunda & tertia figura, esse illum terminum, qui in conclusione prædicatur, vt explicatum est suprà, numero 2. vnde sic arguitur: *tunc indirectè concluditur quando minus extremum de maiori in conclusione prædicatur ex communi consensu: sed in secunda, & tertia figura hoc non potest contingere, quia necessariò illud, quod prædicatur, est maius: ergo, &c.*

Respondeo Aristotelem, tantum loquutum fuisse de modis directis primæ, & secundæ figuræ, in quibus reuera terminus, qui in conclusione prædicatur, est maius extremum: at si sermo sit de omnibus modis, quibus potest legitimè concludi in illis figuris siue directè, siue indirectè, maius extremum debet dici illud, vel quod prædicatur in conclusione, vel quod reperitur in prima propositione, aut est prædicatum *quæsiti*.

Probatur secundò: quia si in aliquo modo posset indirectè concludi, maximè in *Cesare*, vel *Camestres*, quia eius conclusio potest simpliciter conuerti: hoc autem non est verum, quia hoc ipso quòd in *Cesare* prædicatum fit subiectum in conclusione, censetur mutari syllogismus de *Cesare* in *Camestres*, transpositis præmissis: & vice versa, de *Camestres* in *Cesare*: & ita directè concluditur. Nec aliter philosophandum est de cæteris modis, qui ab authoribus contrarijs assignantur. Nam syllogismus qui videtur indirectè concludere in *Frisesomo*, directè concludit in *Festino*: & qui indirectè in *Bocardo*, directè in *Baroco*; similiter in tertia, qui indirectè colligit in *Disamis*, est directus in *Datisi*: & ita de alijs: frustra ergo inuehuntur modi illi indirectè concludentes.

19. Respondeo negando minorem: ad eius probationem dico non esse iuficiandum syllogismum, indirectè concludentem in *Cesare*, fieri directum in *Camestres* transpositis præmissis: sed illa transpositio variat

syllogismum,

syllogismum, quia arte facta, ex transmutatione partium, facilè variantur, & ideo concedendum est syllogismum indirectè concludentem in *Cesare*, pertinere reuera ad illum modum, & non ad *Camestres*, alioquin deberẽt assignari in secunda figura plures quàm quatuor modi communes, eisque *Frisesomo*, & *Bocardo* superaddi: nam ideo *Cesare*, & *Camestres*, vt distincti assignantur, quia conclusio eorum debet modò esse conuersa, modò conuertens, eoquòd in *quæsito* potest nunc proponi probandum v. g. nullum lapidem esse hominem, nunc verò nullum hominem esse lapidem, per idem medium *animal*, vt rectè notat Zabarella cap. 10. libri de quarta figura: & ita vtendum est *Camestres* in colligendo primo *quæsito*: & *Cesare* in colligendo secundo.

Pari quoque ratione potest nunc proponi istud *quæsitum* probandum: *aliquis lapis non est homo*; nunc verò conuersum, *aliquis homo non est lapis*, per medium *animal*; & in primo vtendum erit *Baroco* sic *omnis homo est animal: aliquis lapis non est animal* ergo *aliquis lapis non est homo*. In secundo verò vtendum erit *Bocardo*, transpositis præmissis: idem que valebit respectu *Festino*, & *Frisesomo*: & in tertia figura respectu modorum quos supra assignauimus, cùm in ea ponantur *Disamis* & *Datisi*, ob eandem rationem, hoc est, ob diuersitatem propositionis *quæsiti*.

QVÆSTIO III.

De principijs, quibus ars Syllogistica innititur.

I. QVATVOR principiorum genera in syllogismo distingui possunt, materialia, formalia, perfectiua, & regulatiua. Materialia sunt termini, & propositiones; formalia, figuræ, & modi figurarum: perfectiua; quibus scilicet mediantibus syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur, sunt conuersio, & transmutatio propositionum, & deductio ad impossibile: regulatiua denique sunt communia quædam exiomata, quibus tota vis syllogistica fulcitur, & tanquam ad lydium lapidem examinatur, probaturque. De tribus prioribus satis agitur in summulis: de vltimis est nobis hic quæstio.

SECTIO I.

De principijs *dici de omni, & dici de nullo.*

ARISTOTELES lib. 1. priorum cap. 1. tradit duo principia, lumine naturali nota, & indemonstrabilia à priori, quibus ars syllogistica stabilitur, & vocari solent *dici de omni, & dici de nullo.*

Sensus primi est, quando aliquod prædicatum de aliquo subiecto vniuersaliter sumpto prædicatur, prædicatur quoque de omni eo, quod sub tali subiecto continetur, vt, quia animal affirmatur de omni homine, seu de homine vniuersim, vt in hac propositione, *omnis homo est animal*, affirmatur quoque de omnibus, & singulis humanis individuis, vt de Petro, Paulo, Ioanne, quæ sub homine continentur.

Sensus verò secundi principij est oppositus, videlicet, quando aliquod attributum negatur de aliquo subiecto, vniuersaliter accepto, negatur etiam de omnibus, quæ sub tali subiecto continentur, vt, quia arbor negatur de omni animali in hac propositione *nullum animal est arbor*, negabitur quoque de homine, qui animali subest.

2. Cæterum vniuersalitas ista subiecti non debet necessariò esse positiua, sed sufficit negatiua: dicitur autem positiua, quando subiectum habet sub se plura inferiora, de quibus prædicatum dici potest, vt homo plures homines, de quibus dicitur animal: negatiua autem dicitur, quando nihil potest sumi sub subiecto, de quo prædicatum non dicatur: & hoc dico propter syllogismum expositorium, qui suo modo regulatur per ista principia, vt dicam quæstione sequenti. Cùm enim medius terminus in illo sit singularis, & consequenter non habeat multa sub se, de quibus aliud vniuersaliter affirmari, vel negari possit, non potest consequenter habere vniuersalitatem positiuam, licet negatiuam habeat, seu, vt vocat Caietanus, virtualem, quia si essent plura sub illo, de omnibus diceretur ille alius terminus, qui de tali subiecto prædicatur.

Vnde *dici de omni*, & *dici de nullo*, idem erit, quod ad formam syllogisticam attinet, atque affirmari vel negari de medio secundùm totam eius amplitudinem, quamcumque habeat, siue in significando, siue in supponendo: quamuis reuera Aristoteles de sola vniuersalitate positiua expresse loquatur, vt ita stabiliat quatuor modos directos primæ figuræ, *Barbara* quidem & *Darij* per *Dici de omni*: *celarent* verò, & *Ferio* per *dici de nullo*: ad quos cæteri omnes reuocantur, vt ostenditur in summulis, & consequenter per talia principia ad minus reductiuè regulantur.

3. Primum autem principium, *dici de omni* de quo Aristoteles loco citato, quod vocatur prioristicum: & *dici de omni*, de quo meminit 1.

post. cap. 4. & quod vocatur posterioristicum, & regula illa cap. 3. anteprædicamentorum, quòd scilicet *quando aliquid dicitur de aliquo, vt de subiecto ea quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de subiecto:* parùm, aut nihil differunt, nisi fortè quòd *dictum de omni* prioristicum abstrahit à materia; posterioristicum verò, & regula illa materiam exigunt necessariam.

Cauendum tamen est, vt benè notat ex Auerroe Zabarella, libro de quarta figura capite 6. ne quis arbitretur *dici de omni*, nihil aliud esse quàm propositionem vniuersalem affirmatiuam, & *dici de nullo*, propositionem vniuersalem negatiuam, quia sic destrueretur totum artificium syllogisticum. Vnde quodlibet ex his principijs, integrum importat syllogismum naturalem: ex quo omnes artificiales, tanquam ex radice oriuntur. Quando enim maius extremum de medio vniuersaliter prædicamus, formamus propositionem maiorem: deinde sumendo partem aliquam, seu aliquod inferius talis medij, quod habet rationem totius, & de illa prædicando illud medium, formamus propositionem minorem, quæ debet esse affirmatiua, quia totum de suis partibus affirmatiuè dicitur: nam si negaretur de illis, non eas contineret.

Denique cùm maius extremum concludimus prædicari de parte medii, sicut de toto medio in maiori prædicabatur, colligimus conclusionem, & ita syllogismus integer consurgit. Per totum autem, & partem hic debemus intelligere subiectum, & prædicatum: ita vt in propositione affirmatiua subiectum censeatur pars prædicati, siue subiectum sit æquale prædicato, siue minùs latè pateat: & ita in hac propositione *homo est risibilis*, risibile censetur totum respectu hominis. His positis.

4. Dicendum est syllogismos affirmatiuos primæ figuræ regulari per dictum de omni; negatiuos autem per dictum de nullo. Ita communiter philosophi: & probatur duobus sequentibus exemplis. Sit v. g. iste syllogismus in *Barbara Omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.* Quod conclusio rectè deducta sit, ostenditur per *dictum de omni*, hoc modo: sensitiuum dicitur in maiori de omni animali, ergo dici debet de omni sub animali contento; sed in minori continetur omnis homo sub animali, igitur in conclusione sensitiuum rectè dicitur de omni homine. Si enim quis hoc neget, contradicet naturali rationis lumini, & duas contradictorias simul admittere compelletur. Negando enim hominem esse sensitiuum, inferetur contra illum, *ergo aliquod animal non est sensitiuum*, quia concessit in minori omnem hominem esse animal, in conclusione verò negat ipsum esse sensitiuum: & ita admittit duas contradictorias, quia ista, *aliquod animal* nempe homo *non est sensitiuum*, est contradictoria maioris concessæ, *omne animal est sensitiuum.*

5. Idem patet de altero principio: *dici de nullo*, in isto syllogismo *nullus homo est arbor, Petrus est homo, ergo Petrus non est arbor.* Sic

enim probatur eius conclusio. Arbor in maiori de omni homine negatur; ergo debet negari de eo omni, quod homini subjicitur, & hoc est lumine naturali notissimum: sed Petrus subjicitur homini in minori; ergo rectè negatur arbor de Petro in conclusione; quam si quis negauerit, admittet duas contradictorias, quia *nullus homo est arbor*, & *aliquis homo*, nempe Petrus, *est arbor* contradictoriæ sunt.

Dicunt aliqui recentiores (quibus nihil faciliùs, quàm propter rationes suas leuissimi momenti, à doctrina Aristotelis discedere) ex prædictis principijs nihil concludi, nisi recurratur ad istud Metaphysicum, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se:* quia, inquiunt, non possum probare Petrum esse sensibilem ex eo, quòd omnis homo sensibilis sit, nisi probem Petrum esse hominem, & ita ostendam sensibile, & Petrum esse idem cum homine in præmissis. Sed dico, nunquid eadem cura vobis incumbit, vtendo illo principio Metaphysico? quomodo enim probari potest Petrum esse idem cum sensibili in conclusione, nisi priùs ostensum fuerit in duabus præmissis hæc duo extrema esse idem cum medio? vtrobique ergo ostendendum est maius extremum & minus extremum vniri cum medio in præmissis, vt inde inferatur ea inter se vniri in conclusione. Sed iam de illo principio quædam dicenda sunt.

SECTIO II.

De Principio *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

6. NOTA primò, aliqua posse dici esse idem inter se multis modis: primo, re non ratione: secundo, re, & ratione: tertio nec re, nec ratione, sed tantùm prædicatione. Primo modo animalitas, & rationalitas sunt idem inter se in homine, quia in eo sunt eadem res, sed tamen ratione differunt, siue formaliter. Secundo modo synonyma sunt idem inter se, vt culter & gladius; tunica, & indumentum. Tertio modo in ista propositione *homo est iustus*, homo, & justus, licet realiter distinguantur, sunt tamen idem prædicatione, quia important idem suppositum, quod dicitur justum.

Sensus ergo dicti effati est, eo modo aliqua inter se identificari, quo identificantur in vno tertio: ita vt si sint idem realiter cum tertio, sint inter se idem realiter; si re, & ratione idem cum tertio; re quoque, & ratione idem inter se: si prædicatione tantùm, tantùm prædicatione.

Nota secundò, prædictum axioma sumi posse metaphysicè, & logicè: metaphysicè quidem, aut, quod in idem recidit, Physicè, quando eius termini sumuntur primò intentionaliter, & vt significant res secundum

seipsas, & vt sunt in seipsis: logicè verò quando eius termini sumuntur secundò intentionaliter, ita vt *esse idem* sumatur pro eo quod est significare idem, pro eodem supponi, de eodem prædicari: quomodo sensus erit, quæ in supponendo, significando, prædicando sunt idem cum vno tertio, ita vt possint supponi, & prædicari pro eo omni, & de eo omni de quo, vel pro quo tertium illud prædicatur, aut supponitur; ipsa quoque inter se sunt idem in supponendo, & prædicando. His prænotatis.

7. Dicendum est omnes syllogismos affirmatiuos optimè etiam regulari per istud principium, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: negatiuos verò per principium oppositum, nempe, *quæ non sunt eadem vni tertio, non sunt idem inter se*; quando videlicet vnum connexum est cum tertio illo, non verò alterum: quod addo, quia si alterum non affirmetur de illo tertio, poterit vtrumque de illo negari, & tamen de se inuicem affirmari: nam homo, & sensibile inter se rectè coniunguntur, licet vtrumque de lapide negetur.

Probatur conclusio primò ex Aristotele lib. 7. topic. cap 1. loco 4. vbi ait istud axioma esse locum communem ad probandum aliqua duo esse idem vel non esse idem inter se. Primo item physic. cap. 2. text. 17. ait probari posse totum non esse idem quod pars, quia alioquin partes idem inter se essent. Si ergo in præmissis duo extrema identificentur cum medio, rectè in conclusione colligetur eorum identitas inter se.

Probatur secundo in isto syllogismo: *omne animal est sensitiuum, Petrus est animal, ergo Petrus est sensitiuus.* Si enim quis concessit præmissas, debet concedere conclusionem, alioquin duas admittet contradictorias, nempe *omne animal est sensitiuum*, & *aliquod animal*, nempe Petrum *non esse sensitiuum*, vt ostensum est numero 4. Idemque facilè probatur de principio negatiuo oppositio, vt considerati patebit.

Figura autem Galeni huic maximè principio innixa est, non vero *dici de omni, aut dici de nullo*, vt considerati patebit.

8. Obijcies primò: in isto syllogismo *omnis homo est animal, Bucephalus est animal, ergo Bucephalus est homo.* Homo, & Bucephalus sunt idem cum tertio, nempe animali, & tamen non sunt idem inter se: ergo illa regula non est bona.

Respondeo negando consequentiam, quia ille syllogismus non est verus syllogismus, eo quòd medium nempe *animal*, cum sit commune, debet in altera saltem præmissarum distribui, seu in tota sua latitudine vsurpari, vt dicitur in summulis: in maiori autem sumitur tantùm pro eo animali, quod est homo; in minori verò pro eo tantum, quod est Bucephalus.

Obijcies secundò: saltem illud principium non valet in diuinis, quia in ijs infertur conclusio falsa, syllogismo existente in forma, vt patet in isto, *hæc natura diuina est pater, hæc natura diuina est filius ergo filius est pater.* vel *Deus est pater, Deus est filius: ergo filius est pater.*

Respondeo primò illud principium logicè sumptum, modo explicato in secundo notabili, æquè verum esse in diuinis, ac in creatis: sed quia prædicti syllogismi non seruant regulas logicas, ideo non rectè concludunt. Nam in primo natura diuina, quæ est medium, variatur, & diuersimodè sumitur in minori, & maiori, quia in maiori sumitur, vt est terminata per primam personalitatem; vt sic enim est pater: in minori verò, vt est terminata per secundam personalitatem, quo modo est filius. Vnde conclusio non valet propter fallaciam accidentis, seu mutationem medij. Item propter fallaciam consequentis, quia ab identitate essentiali infertur identitas hypostatica. Denique propter fallaciam figuræ dictionis, quia mutatur quale quid, id est, communicabile, in hoc aliquid hoc est in incommunicabile, quatenus ex natura communicabili infertur persona incommunicabilis.

9. In secundo verò syllogismo (qui etiam defectus est in primo) medius terminus, nempe *Deus*, non distribuitur, nec sumitur in tota sua amplitudine: licet enim *Deus* sit terminus singularis secundùm se, & naturam singularissimam dicat; tamen significat rem communem, hoc est realiter communicabilem tribus personis, & ita vim habet termini communis: vnde si non distribuatur in præmissis, conclusio non valet; si autem distribuatur, altera præmissarum falsa erit, vt si dicas, *omne quod est essentia diuina, est pater, filius est essentia diuina, ergo filius est pater.* Similiter in isto negatiuo, *pater est Deus, pater non est filius, ergo filius non est Deus*: in conclusione distribuitur *Deus* per negationem, qui non est distributus in præmissis: quod est contra regulas logicas.

Ex quibus similia sophismata facilè solues, & simul aduertes id quod notauimus num. 6. videlicet patrem non esse idem logicè cum essentia diuina, quia non supponit, nec prædicatur de eo omni, de quo essentia prædicatur; nec similiter filius, nec Spiritus-sanctus, & ideo non potest ex isto principio inferri tres personas esse idem inter se logicè, & multò minùs metaphysicè, aut physice: de quo sit.

SECTIO III.

De eodem Principio Metaphysicè sumpto.

10. SI huiusmodi principium, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, sumatur metaphysicè, paulò aliter philosophandum videtur: & licet non in isto loco, sed in tractatu de Trinitate, hoc explicari soleat, ex occasione tamen nobis hic aliqua dicenda sunt.

In primis ergo à multis absolutè dici solet, istud principium, verum

esse in creatis; in diuinis autem falsum: quia tres personæ, licet idem sint realiter cum diuina essentia, tamen inter se realiter distinguntur. Ratio est quia diuina natura propter suam infinitam perfectionem potest sibi identificare multas realitates, quas non est opus inter se identificari. Imò verò etiam in creatis falsum videtur: nam materia, & forma sunt realiter idem cum composito, ex probabiliori sententia, & tamen inter se non sunt realiter idem.

Diuus Thomas 1. parte q. 28. art. 3. ad 1. ait illud axioma tenere in his, quæ sunt idem re & ratione, sicut tunica, & indumentum; non autem in his, quæ differunt ratione. Vnde licet paternitas, & filiatio sint idem secundum rem cum essentia diuina; tamen, quia in proprijs rationibus important oppositos respectus, distinguntur ab inuicem. Et hoc existimat esse de mente Aristotelis lib. 3. Physic. textu 21. & 22. vbi docet actionem, & passionem inter se differre, licet idem sint cum motu: quia in actione importatur respectus, vt à quo motus est in mobili; in passione verò, vt qui est in alio.

11. Hæc tamen responsio multis non placét, primò, quia si illud axioma valeret tantùm in synonymis, quæ sunt idem re, & ratione, inutile prorsus esset: quis enim indiget probatione, vt credat gladium & cultrum; vinum & merum, esse idem inter se? Secundò: ipse D. Th. 2. contra gentiles cap. 9. Probat potentiam diuinam, & eius operationem esse idem inter se secundùm rem, quia sunt idem realiter cum essentia: & tamen ab eadem essentia ratione differunt, vt patet ex eodem D. Thoma q. 1. de potentia, a. 1 ad 1. 6. & 14. & alibi, itemque inter se; atque adeò non sunt synonyma.

Ad hoc respondet Ferrarienſis dicto capite 9. aliqua posse ratione distingui dupliciter, primò ex sola operatione, & imperfectione intellectus, qui cum non possit concipere rem sicut in se est, diuersas de illa formet conceptiones, & ita distinguit sapientiam diuinam ab essentia: si enim conciperetur essentia vt in se est, includeret in sua ratione sapientiam, omnemque perfectionem.

Secundò aliqua distinguntur ratione ex conditione propria rerum ipsarum: quia si concipiantur vt in se sunt, diuersis postulant conceptibus apprehendi: quomodo actio, & motus requirunt, vt diuersos conceptus de ipsis formet intellectus, quia quantumcumque perfectè comprehendatur motus, non concipitur totum id, quod includitur in ratione actionis, nimirum respectus ad agens.

12. Similiter paternitas, & filiatio, vt relationes sunt, non sunt de ratione essentiæ, seu Deitatis, etiam si secundùm quod in se est concipiatur, quia de ratione Deitatis est solum illud, quod perfectionem dicit: relatio autem, vt relatio est, non dicit, *aliquid*, nec perfectionem, sed tantùm *ad aliquid*: quo fit, vt paternitas, & filiatio non debeant esse idem inter se, quamuis sint idem realiter cum essentia; qui

quia ex propria conditione, & non tantùm ex parte intellectus, distinguntur ratione ab essentia. Potentia verò, & actio distinguntur ratione ab essentia, solùm ex imperfectione intellectus, quia dicunt perfectionem, & ita includuntur in ratione Deitatis, quæ est origo omnis perfectionis.

Vnde nihil concluditur contra responsionem Diui Thomæ: nec vrget instantia Vasquez loco citato primæ partis, nec Suares lib. 4. de Trinit. cap. 3. quia hanc Ferrarienſis doctrinam fideliter non referunt, nec videntur eum voluisse intelligere.

13. Secundò idem Diuus Thomas in 1. sent. d. 33. art. 1. ad 2. Capreolus d. 2. q. 3. art. 1 in fine, Caietanus q. 28. primæ partis art. 1. Ferrarienſis 2. contr. cap. 9. citato, in principio, Scotus in 1. d. 2. q. 7. §. *ad primum argument. principale*, num. 47. & 48.. Isto etiam modo explicant illud principium, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, eâdem ratione, quâ sunt idem in illo tertio, & non aliter; seu quantum ad id, in quo identificantur cum medio; non autem quantum ad id quod non est illis ratio identificationis cum medio.

Cùm enim identitas, quam habent cum tertio, sit medium, seu ratio concludendi identitatem eorum inter se, non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundùm illam identitatem, quâ sunt eadem illi medio: & consequenter illud medium debet sic esse vnum, & idem in se.

Igitur illa, quæ sunt idem vni tertio, sed inadæquatè, hoc est aliquo modo idem, & aliquo modo non idem, non possunt concludi per illud principium esse omninò idem inter se, sed solùm eo modo, quo in illo tertio conueniunt. Vnde cum relationes diuinæ, seu paternitas, & filiatio, non sint idem cum essentia diuina in aliquo personali, seu subsistentia, sed in essentia tantùm; non potest inferri quòd sint idem realiter simpliciter inter se, seu omninò, & adæquatè, quia non sunt idem personaliter, sed solùm essentialiter. Et hoc etiam modo cum proportione, quia actio, & passio identificantur motui quantum ad id, quod est materiale in ipsis, non autem quantum ad connotata, ideò sunt idem inter se materialiter, non verò formaliter.

14. Obijcies: si hoc modo explicetur istud principium, sensus erit, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem in illo*, seu *in illo vniuntur*: hoc autem est petere principium, & euertere omninò axioma. Quando enim ex identitate extremorum cum vno tertio, inferimus identitatem eorum inter se, aliquam illationem virtualem facimus, & consequenter aliquid debet esse in consequente, quod in antecedente non reperitur, alioquin nihil inferimus, sed idem repetimus.

Respondeo, sensum quidem illum esse, sed nego propterea esse petitionem principij, quia potest quis cognoscere duo illa extrema, & ignorare an inter se conueniant, quia ignorat an conueniant cum tertio,

eo

eo quòd non sunt synonyma cum illo. Vnde cognito quòd duo conueniant in tertio, rectè infertur ea conuenire inter se eo modo, quo in tertio conueniunt; quod antea ignotum erat. Nam hoc modo fiunt illationes omnium syllogismorum. In isto enim, *omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia*: in maiori cognoscitur quod omne animal sit substantia, & ignoratur an homo sit animal; & ideò etiam ignoratur quòd sit substantia; at verò in minori cognito quòd sit animal, intellectus deducitur in cognitionem conclusionis, & identitatis huius, *ergo homo est substantia*; quæ duo diuersa sunt aliquo modo, & ab illo tertio, & inter se; & ita non est petitio principij.

15. Tertiò dici potest quòd respondimus q. 4. libri 2. num. 34. in fine; nimirum illa esse idem inter se quæ sunt eadem vni tertio, modò illud tertium sit singulare, singulariter acceptum, non autem si fuerit vniuersale, aut multis communicabile, vt natura diuina, quæ tribus distinctis personis communis est. Ratio sumitur ex præcedentibus, quia tunc extrema non sunt idem adæquatè cum medio.

Quartò respondeo, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, si sunt eadem tertio realiter, & virtualiter, concedo: si non sint eadem, etiam virtualiter, nego.* Nam ob distinctionem huiusmodi virtualem, de qua lib. 2. q. 2. sect. 4. Duo prædicata, etiam contradictoria, possunt de Deo verificari, vt *produci*, & *non produci*, *communicari*, & *non communicari*. Ita ergo licet filiatio sit idem realiter cum essentia, & paternitas idem etiam cum illa, non sequitur eas identificari inter se, quia virtualiter ab illa distinguntur.

Respondeo quintò: *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, nisi obstet oppositio, seu nisi ipsis repugnet identificari inter se ob proprias eorum rationes: ex ratione autem propria patris, & filij, & spiritus-sancti repugnat ipsis inter se identificari, quia sic pater generaret, & non generaret, quæ contradictoria sunt; generaret quidem, quia alioquin pater non esset; non generaret verò, quia idem non potest seipsum generare. Ita respondet Pontius disputatione 9. de Trinitate, q. 1. num. 3. & idem valet respectu Spiritus-sancti.

16. Obijcies contra omnia supra dicta, ex his destrui primum principium, aut tres personas distingui realiter ab essentia. Nam secundùm primum principium *affirmatio, & negatio non possunt esse vera de eodem*, quo posito, sic probatur distinctio realis personarum ab essentia; tunc duæ affirmationes distinguntur realiter, quando vnius negatio stat cum alia affirmatione, siue dicitur de illa: sed paternitas & essentia sunt duæ affirmationes, & negatio paternitatis stat cum essentia in filio, quia essentia, vt est in filio, non est paternitas: ergo paternitas, & essentia realiter distinguntur. Minor patet; maior verò ostenditur à simili. Petrus, & Paulus sunt duæ affirmationes, & negatio Petri, seu non

Petrus, ſtat cum Paulo, & dicitur de illo, vera enim eſt hæc, *Paulus non eſt Petrus*, ergo inter Petrum, & Paulum eſt diſtinctio realis.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: duæ affirmationes diſtinguntur quando negatio vnius ſtat cum altera, ſiue dicitur de altera: *ſi dicatur adæquatè, conuertibiliter, vniuerſaliter, neceſſariò, concedo; ſin, ſecùs:* at de eſſentia diuina, ſeu de Deo non dicitur neceſſariò, nec adæquate, aut vniuerſaliter, aut conuertibiliter, *non pater*, quia non dicitur de Deo Patre & de prima perſona; & idem de alijs. Lege Scotum loco citato n. 48.

QVÆSTIO IV.

De varijs ſpeciebus Syllogiſmi, & argumentationis.

SECTIO I.

Quotuplex ſit Syllogiſmus.

1. SYLLOGISMVS in communi diuiditur ab Ariſtotele 1. top. c. 1. in demonſtratiuum, topicum, ſophiſticum, & falſigraphum.

Demonſtratiuus gignit ſcientiam, & certam, euidentemque concluſionem: vnde exigit propoſitiones neceſſarias, de quo in quæſtionibus ſequentibus.

Topicus, ſiue dialecticus eſt, qui conſtat propoſitionibus probabilibus, hoc eſt non conuincentibus quidem intellectum, ſed tamen eum ad aſſentiendum inclinantibus, & ita probabilitatem ſolùm, & opinionem in mente parit: vnde vocatur etiam probabilis.

Propoſitio autem probabilis definitur *ea, cuius veritas apparet abſque certitudine*: vel vt ait Ariſtoteles loco citato, *quæ videtur vera cum formidine oppoſiti, vel omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus, iiſque omnibus, aut pluribus, aut maximè probatis.*

Hæc omnibus videtur vera; *omnis mater diligit filium ſuum. Veritas odium parit.* Hoc autem debet ſic intelligi quòd communiter matres ſolent diligere filios, & ideo niſi contrarium conſtet, facilè quis ſibi perſuadebit matrem hanc diligere hunc filium ſuum.

Hæc pluribus vera apparet: *procurandi ſunt honores, & diuitiæ ſummâ diligentiâ; non tamen per fas & nefas.*

Propoſitio omnibus ſapientibus apparens eſt, *bona animi præſtantiora*

esse bonis corporis: pluribus verò, *animam rationalem esse immortalem.* Non pluribus, sed tamen maximè probatis, *mundum non esse ab æterno.*

Quando autem probabilis propositio sic describitur, sensus non est, quòd ideò probabilis sit, quia sic videtur omnibus, aut pluribus &c sed quòd hoc sit signum probabilitatis, quam sibi vendicat.

Huiusmodi autem syllogismi probabiles, cuilibet obuij sunt, eruunturque è locis communibus, qui vt plurimum in Rhetorica explicantur, nec magnam habent difficultatem, ideoque lubens ab ijs supersedeo. Legatur Aristoteles in octo libris Topicorum, & alij authores, qui passim locos illos explicant.

2. Sophisticus, qui & litigiosus appellatur, quia solius contentionis gratiâ videtur inuentus, ille est, qui constat propositionibus quæ probabiles videntur, & tamen probabiles non sunt, vnde dicitur fallax & aprens, erroremque gignit & deceptionem. De hoc sufficienter agitur in summulis. Triplex autem genus huiusmodi syllogismorum distingui potest. Alij seruant formam syllogisticam, & in solâ materiâ peccant. Alij materiam quidem probabilem habent, sed formam non seruant syllogisticam. Alij denique defectuosi sunt, & in materia, & in forma: quorum omnium primi tantummodò dici possunt absolutè syllogismi, quia habetur maximè ratio formæ: alij autem sunt tantum syllogismi secundùm quid, & apparenter, vt ait Aristoteles loco citato.

Syllogismus pseudographus, quem Aristoteles paralogismum vocat, dicitur ille, qui falsas habet propositiones, quæ tamen veræ, & necessariæ videntur in propria alicujus scientiæ materia, vt est iste in Geometria, *omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum, sunt æquales: sed diameter, & semicirculus sunt lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum, ergo sunt æquales.* Vbi maior quamuis videatur esse Lemma, & positio geometrica, est falsa, nisi lineæ illæ intelligantur duci per idem spatium.

Vnde, vt syllogismus sit pseudographus, eius materia debet esse impossibilis, & apparere necessaria; vt verò sit sophisticus, materia debet esse improbabilis, & probabilis apparere.

3. Multæ aliæ sunt syllogismi diuisiones, vt in syllogismum primæ, secundæ, & tertiæ figuræ; in affirmatiuum & negatiuum; in absolutum, & modalem; in communem & expositorium. Absolutus constat propositionibus categoricis, seu de *inesse*, seu absolutis. Modalis constat saltem vnâ propositione modali. Communis est, qui medio termino communi constat, & consequenter vnam saltem propositionem vniuersalem habet. Expositorius est qui habet medium particulare, particulariter sumptum, & propositiones sæpe particulares. De absoluto, & communi hactenus egimus: de expositorio, & modali agendum superest, vbi quædam dubia super diuisionibus prædictis soluerimus.

4. Quæritur ergo primò vtrum diuisio syllogismi in demonstratiuum,

topicum, ſophiſticum, & pſeudographum, ſit legitima, & adæquata: & communiter reſpondetur eſſe legitimam, & adæquatam. Ratio eſt, quia talis diuiſio fit ſecundum materiam, de qua eſt ſyllogiſmus; nam ſecundum formam ſpectatus, diuiditur pro numero figurarum: quadruplex autem materia ſyllogiſmi poteſt aſſignari; igitur rectè in quatuor membra fit ſyllogiſmi diſtributio. Minor patet, ſpectando materiam in ordine ad noſtram cognitionem, vt hic ſpectari debet; nam ſi ſecundum ſe ſpectetur, eſt tantùm duplex, neceſſaria ſcilicet, & probabilis; quia falſa, & improbabilis, ſi vt talis cognoſcatur, nullo modo poteſt inſeruire ſyllogiſmo probatiuo, de quo eſt quæſtio.

Materia ergo ſyllogiſmi in ordine ad noſtram cognitionem, vel eſt neceſſaria, vel ſi non eſt neceſſaria, ita apparet, & ſic conſtituitur ſyllogiſmus demonſtratiuus, & pſeudographus. Vel eſt probabilis, aut ſi probabilis non eſt, ita apparet, & ſic conſtituitur ſyllogiſmus topicus, & ſophiſticus. Vnde nullus poteſt aſſignari ſyllogiſmus, qui ad aliquod ex his quatuor membris non referatur: atque adeò exacta eſt diuiſio, & adæquata.

5. Dices primò: poteſt fieri ſyllogiſmus ex propoſitionibus verè neceſſarijs, quæ tamen ſolùm probabiles iudicentur: item ex propoſitionibus ſolùm probabilibus, quæ videbuntur neceſſariæ: hi autem ad nullum membrum ex prædictis pertinent: diuiſio ergo non eſt adæquata. Minor patet: nam primus non poteſt referri ad demonſtratiuum, quia tantum generat opinionem: neque ad dialecticum, quia ſupponitur conſtare propoſitionibus neceſſarijs. Poſterior item non poteſt referri ad demonſtratiuum, quia non conſtat verè neceſſarijs: neque ad dialecticum, quia non cauſat aſſenſum dubium, ſeu cum formidine oppoſiti, ſicut dialecticus poſtulat.

Reſpondeo, primum eſſe dialecticum, & ſecundum pſeudographum, quia ille eſt probabilis, & iſte gignit errorem. Debet enim haberi ratio, vt diximus, materiæ ſyllogiſmi prout ſubiacet cognitioni, & aſſenſui intellectus; ſi tamen intellectus plus tribuat ipſi materiæ, quàm oportet, vt dum illam credit neceſſariam, quæ eſt impoſſibilis, aut probabilis tantum, tunc denominatio ſumetur à materia, & ideo ſecundus ille dicitur pſeudographus.

6. Dices ſecundò: ſi ſyllogiſmus conſtet ex præmiſſis, ad diuerſa membra ſpectantibus, vt vnâ probabili, alterâ neceſſariâ: vnâ ſophiſticâ, alterâ pſeudographâ: vna naturali, alterâ de fide &c. Nullum poterit aſſignari diuiſionis membrum, in quo collocetur: ergo &c.

Reſpondeo, hic eſſe attendendum ad præmiſſam deterioris conditionis, quia concluſio ſequitur debiliorem partem, ex communi effato. Deterioris autem conditionis eſt pſeudographa, deinde ſophiſtica, tum dialectica, & vltimò naturalis. Vnde ſi vna propoſitio ſit pſeudographa, cuiuſcumque conditionis fuerit alia, ſyllogiſmus erit pſeudographus; & ſic de alijs proportionaliter.

Quod si vtraque præmissa fuerit de fide diuina, syllogismus reuocabitur ad demonstratiuum propter certitudinem, quamuis careat euidentiâ: si verò fuerit de fide humana, reducendus erit ad dialecticum. Verum nihilominus est primum non comprehendi à Philosopho in dicta diuisione, quia illum non nouit; neque etiam secundum, quia non inseruit propriè ad scientias, in ordine ad quas syllogismum spectauit.

7. Maior videtur esse difficultas si vna præmissa fuerit de fide diuina & altera naturalis. Cum enim præmissæ ad conclusionem concurrant, vt visum est supra q. prima, sect. 5. & 6. non apparet qualis debeat esse conclusio, eo quòd si vna præmissa probabilis sit, generare debet conclusionem dubiam, quæ potest esse falsa; at præmissa de fide non potest concurrere ad falsum assensum; neque etiam ad assensum naturalem, quia cum supernaturalis sit, influxum præbet supernaturalem, & sic effectum supernaturalem producere debet.

Respondeo talem syllogismum fore dialecticum, & naturalem, propter præmissam probabilem, aut naturalem: & quamuis actus supernaturalis circa proprium obiectum non possit esse falsus, quia à Deo, vt à causa principali, & ex speciali, & supernaturali eius directione dependet: tamen potest concurrere ad actum falsum, atque ad actum naturalem, ex applicatione intellectus humani, quia tunc mouetur ex naturali virtute ratiocinandi circa obiectum naturale, & ex motiuo naturali, eo quod conclusio sequitur deteriorem partem, vt dictum est.

Volunt tamen multi illam conclusionem fore de fide, si præmissa naturalis sit euidens, & certa, quia tantum inseruit præmissæ de fide vt suum producat effectum, eam explicando, & deducendo vt conclusionis assensum efficiat: vnde ipsa secundum se & vt naturalis est, non concurrit per se ad assensum conclusionis. Vel vt dicunt alij, conclusio sumit certitudinem à præmissa de fide, euidentiam à præmissa naturali. Nec repugnat idem pertinere ad fidem, & scientiam acquisitam, ratione diuersorum mediorum, sicut eadem conclusio potest inuestigari per medium probabile, & necessarium.

8. Quæritur secundò, vtrum syllogismus sit genus ad quadruplex prædictæ diuisionis membrum: ad quod respondeo negatiuè, loquendo præcisè secundùm rationem formalem syllogismi. Ratio est quia ratio formalis syllogismi, tantùm diuersificatur specie ratione figuræ, & modi in quo fit, hoc est ratione diuersæ dispositionis terminorum, & præmissarum: atqui syllogismus demonstratiuus & topicus, & similiter sophisticus, & falsigraphus possunt fieri in eadem figura in eodemque modo, v. g. in *Barbara*, ergo tunc sunt eiusdem speciei, & consequenter syllogismus in communi non potest esse genus respectu illorum.

Confirmatur à simili: album enim vt album respectu cygni, niuis calcis non est genus, imò est species infima; ergo neque syllogismus, vt sic, est genus respectu demonstratiui, & topici in ratione formali syllogismi

Secùs se res habebit si demonstratiuus fiat in prima figura, & topicus in secunda, & sic de alijs. Dixi in ratione formali syllogismi, quia ratione materiæ differunt specie: imò duo topici, facti in eodem modo, possunt materialiter differre specie ob diuersitatem specificam materiæ, in qua fiunt. Et idem de sophistico & pseudographo dici debet, vt constat.

SECTIO II.

De Syllogismo expositorio.

9. SYLLOGISMVS expositorius, vt tetigimus sectione præcedenti, differt ab alijs cuiuscumque generis syllogismis, qui communes vocantur, quòd illi constare debeant medio termino communi: iste verò medio particulari, particulariter accepto. Ita clarè autem, & euidenter rem ostendit, vt non immeritò demonstratio sensibilis appelletur, vtpote qui rem, quam concludit, ipsis quasi sensibus exponat, & perspicuam reddat, vnde *expositorij* nomen habuit.

Quia verò singularia maximè subijci solent, & medius terminus in tertia figura semper habet rationem subiecti, idcò syllogismi expositorij *maximè fiunt in tertia figura*: & ob id Aristoteles 1. prior. c. *6*. probat syllogismos communes tertiæ figuræ per expositorium, factum in tertia figura: quia licet possit fieri in secunda figura, tamen eò quòd in ea medium semper prædicatur, induit conditionem rei communis; & ita non efficit euidentiorem consequentiam, quàm medium commune: eò enim euidentior est probatio, quò magis limitatam & sensibilem conditionem subit.

10. Tres autem potissimùm conditiones assignantur, necessariæ, vt consequentia valeat in syllogismo expositorio: prima, vt medius terminus sit singularis, siue particularis, particulariter acceptus: secunda, vt pro eodem supponat. Tertia, vt possit aliquâ ratione vniuersaliter distribui per istas, aut similes particulas, *omne quod est*, vel *nihil quod*, &c defectu cuius vltimæ conditionis non valet iste syllogismus in diuinis, *essentia diuina est pater*: *essentia diuina est filius*: *ergo filius est pater*: neque etiam iste *filius non est pater, essentia diuina est filius*: *ergo essentia diuina non est pater*. Quia medius terminus, scilicet *essentia diuina*, non potest sic distribui: falsa enim est hæc propositio, *omne quod est essentia diuina, est pater*: & similiter ista, *nihil, quod est filius, est pater*, quia essentia diuina, quæ est filius, est etiam pater.

Vnde hæc conditio eadem est cum ea, quam assignat Tataretus in 1.d. 2. q. 7. ad 1. principale, explicando Scotum, videlicet vt medium sit ita singulare, vt neque sit pluribus communicabile, neque idem realiter,

cum re, quæ pluribus communicari potest. Quare, licet essentia diuina sit singularis; quia tamen communis est tribus personis, realiter inter se distinctis, ideo ipsæ non possunt de se inuicem prædicari, quamuis de essentia diuina prædicentur. Et similiter, licet filius sit res singularis, & incommunicabilis; est tamen identificatus cum essentia, quæ multis communis est. Vide quæstionem præcedentem, à numero 8.

11. Superest explicandum in quibus figuris, & quomodò fiant syllogismi expositorij. Quia verò opus non est, vt ambæ præmissæ particulares sint, quamuis necesse sit medium semper esse particulare, ideò aliter contingit fieri syllogismum expositorium vtraque eius præmissâ existente particulari, & aliter vtraque, vel altera existente vniuersali: pro quo obseruandæ sunt subsequentes regulæ.

Prima est: si altera saltem ex præmissis fuerit communis, tot modis poterunt fieri Syllogismi expositorij in prima figura, quot Syllogismi communes: & tot similiter in secunda, negatiuè concludentes, quot sunt communes, scilicet quatuor: atque insuper tres alij affirmatiui: primus quidem ex vtraque præmissa vniuersali infert conclusionem vniuersalem, vt *omne elementum simpliciter graue est hæc terra: sed omne corpus existens in centro mundi est hæc terra: ergo omne corpus existens in centro mundi, est elementum simpliciter graue.* Secundus ex maiori vniuersali, & minori particulari infert particularem. Tertius ex maiori particulari, & minore vniuersali infert vniuersalem: quorum exempla cuilibet peruia esse possunt. In tertia verò figura non potest fieri Syllogismus expositorius ex altera, vel vtraque præmissa vniuersali.

Ex his autem patet in tribus vltimis modis sequi conclusionem contra duas leges Syllogismorum communium, primò ex vtraque affirmatiua in secunda figura: secundò ex altera particulari vniuersalem.

Patet etiam huiusmodi Syllogismos facilè reduci posse ad primam figuram, conuertendo maiorem tantùm propositionem, seu mutando prædicatum in subiectum: sic enim primus & tertius modus reuocabuntur ad primum modum primæ figuræ: secundus verò ad tertium.

12. Secunda regula est: si ambæ præmissæ fuerint singulares, seu particulares, tunc poterunt fieri Syllogismi expositorij duobus modis in prima, & tertia figura: tribus autem in secunda. In prima quidam ex vtraque affirmatiua, vt *Petrus est albus hic homo est Petrus; ergo hic homo est albus.* Secundo ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, vt *Petrus non est albus; hic homo est Petrus; ergo hic homo non est albus.*

In secunda verò figura primò ex vtraque præmissa affirmatiua, vt *maximus oratorum est Cicero; hic homo est Cicero; ergo hic homo est maximus oratorum.* Secundò ex maiori affirmatiua, & minori negatiua: & tertio ex maiori negatiua, & minori affirmatiua. *Vt Princeps Philosophorum est Aristoteles: hic homo non est Aristoteles, ergo hic homo non*

est Princeps Philosophorum : & viceuersa, *Princeps Philosophorum non est Aristoteles, hic homo est Aristoteles : ergo hic homo non est Princeps Philosophorum.*

In tertia denique concluditur primò ex vtraque affimatiua, vt *Petrus est albus : Petrus est hic homo ; ergo hic homo est albus.* Secundò ex maiori negatiua, & minori affirmatiua vt *Petrus non est albus ; Petrus est hic homo ; ergo hic homo non est albus.*

SECTIO III.

De Syllogismo modali.

13. SYLLOGISMVS modàlis est, qui constat vtrâque præmissa modali, vel saltem altera modali, & alterâ absolutâ, seu de *inesse*. Vnde est duplex genus modalis Syllogismi in communi. Scilicet simplicis, & mixti. Simplex est, qui constat propositionibus eiusdem generis, hoc est, omnibus ex *necessariò*, vel omnibus ex *contingenti &c.* mixtus verò est qui habet vnam modalem, & alteram absolutam : vel vnam de *necesse*, & alteram de *contingenti*, aut alio ex quatuor modis.

Triplex est autem figura Syllogismi modalis, eadem scilicet ac Syllogismi absoluti : sed modi concludendi eorum non sunt ijdem : in illis autem formandis generaliter aduertendum est, non esse habendam rationem situs modorum, quibus propositiones modales afficiuntur, quia non numerantur inter tres terminos Syllogismi, ex quibus diuersimodè complicatis figura consurgit, sed soli termini ipsius dicti : sicut suprà diximus non haberi rationem eorum in conuersione propositionum modalium.

14. Cæterum variæ, multæque regulæ traduntur pro legitima formatione, & conclusione Syllogismi modalis, de quibus fusè differit Aristoteles lib. 1. priorum, à capite 8. ad 21.

Prima regula est & generalissima, quòd in quouis modo cuiuscumque figuræ, vtrâque præmissâ existente de *necesse*, sequitur conclusio de *necesse*. Exempli gratiâ, *necesse est omnem hominem esse animal : necesse est Petrum esse hominem : ergo necesse est Petrum esse animal.*

Secunda regula. In prima figura si maior sit de *necesse*, & minor de *inesse*, sequitur conclusio de *necesse* : vt *necesse est omne animal esse substantiam : omnis homo est animal : ergo necesse est omnem hominem esse substantiam.* Quòd si è contrario minor fuerit de necesse, & maior absoluta, sequetur conclusio absoluta : vt *omne animal currit ; sed omnis homo necessariò est animal : ergo omnis homo currit.* Quod si

diceres,

diceres, *ergo omnis homo necessariò currit*, falsa esset conclusio.

In secunda verò in tribus primis modis si præmissa negatiua fuerit de *necesse* & affirmatiua de *inesse*, conclusio erit de *necesse*: contra verò si affirmatiua fuerit de *necesse*, negatiua autem de *inesse*, sequetur conclusio de *inesse*. At in *Baroco*, non colligitur conclusio de *necesse*, siue maior, siue minor de *necesse* fuerit: sed tantùm conclusio de *inesse*.

15. In tertia denique figura in primo modo, nempe *Darapti*, conclusio sequitur de *necesse*, siue maior, siue minor fuerit de *necesse*. Contrà verò in *Bocardo* sequitur tantùm conclusio de *inesse* quæcumque præmissa de *necesse* extiterit. At in *Felapton* conclusio est de *necesse* modò maior sit de *necesse*; sin secùs. In reliquis autem modis sequitur conclusio de *necesse*, si præmissa vniuersalis fuerit de *necesse*.

Ratio autem huiusmodi regularum colligitur ex eo quòd syllogismi ita compositi, si reducantur ad modos primæ figuræ, iuxta regulas, & conditiones conuersionum, & reductionum, de quibus in summulis disseritur, legitimè concludunt, & probantur per communia principia *dici de omni*, & *dici de nullo*. Quòd si aliquis modalis syllogismus, aliter compositus, inueniatur rectè concludere, hoc vi materiæ, non autem formæ continget. In facienda tamen reductione *darapti* ad *daryj*, quando in *darapti* minor est de *necesse*, non debet conuerti per accidens, seu in partem, illa minor, sed maior; tum transmutari præmissæ, & conclusio simplici conuersione conuerti v. g. iste syllogismus, *omne rationale est risibile: sed necesse est omne rationale esse hominem: ergo necesse esse aliquem hominem esse risibilem*: sic ad *Daryj* reducetur: *necesse est omne rationale esse hominem: sed aliquod risibile est rationale: ergo necesse est aliquod risibile esse hominem.*

16. Tertia regula. In modis affirmatiuis primæ figuræ, & in tota tertia figura, ex vtraque præmissa de *contingenti* sequitur conclusio de *contingenti*: in secunda verò figura nihil sequitur: vnde hæc est falsa, *contingens est omnem hominem ambulare; contingens est nullum equum ambulare: ergo contingens est nullum equum esse hominem*: quia non contingens, sed necessarium est nullum equum esse hominem.

Quarta regula. In prima figura, si maior sit de *contingenti*, & minor de *inesse*, sequitur conclusio de *contingenti*: & in tertia similiter quæcumque præmissa fuerit de *contingenti*. In secunda verò si negatiua sit de *inesse*, & affirmatiua de *contingenti*, sequetur conclusio de *contingenti* latè sumpto, prout comprehendit etiam necessarium, alioquin non esset semper bona consequentia, vt patet in isto syllogismo, *nullus equus ambulat: contingens est omnem leonem ambulare: ergo contingens est nullum leonem esse equum.*

17. Quinta regula. In prima figura si maior sit de *necesse*, & minor de *contingenti*, vel contrà: sequitur conclusio de *contingenti* in modis affirmatiuis: in negatiuis autem si maior fuerit de *contingenti*, & minor

de *necesse*, sequitur conclusio de *contingenti*. Si autem maior fuerit necessaria, & minor contingens, sequetur duplex conclusio, altera de *inesse*, & altera de *contingenti*, communiter sumpto. *v. g necesse est nullum equum esse hominem: contingens est omne album esse equum: ergo contingens est nullum album esse hominem*: vel *ergo nullum album est homo*.

In secunda verò figura in tribus prioribus modis, ex propositione negatiuâ de *necesse*, & affirmatiua de *contingenti* duplex infertur conclusio, altera de *inesse*, altera de *contingenti*, latè sumpto, prout est idem cum possibili. Quòd si negatiua sit de *contingenti*, & affirmatiua de *necesse*, conclusio non rectè sequitur. In quarto autem modo, nempe *Baroco*, non valet vllus syllogismus.

In terria denique figura in modis affirmatiuis, si vna præmissa fuerit de *necesse*, & altera de *contingenti*, sequetur conclusio de *contingenti*. At vero in modis negatiuis, si affirmatiua sit de *necesse*, & negatiua de *contingenti*, sequitur conclusio de *contingenti*: ex negatiua autem de *necesse*, & affirmatiua de *contingenti* poterit inferri duplex conclusio, altera de *inesse*, altera de *contingenti*. De quibus omnibus hæc satis.

SECTIO IV.

De alijs speciebus argumentationis.

18. PERFECTISSIMAM ratiocinationis, siue argumentationis speciem, nempe syllogismum hactenùs explicuimus, iam cœteras species breuiter explicare oportet. Est autem argumentatio in communi, quædam consequentiæ species: consequentia verò *est oratio, in qua vnum infertur ex alio*, ita vt illud ex quo aliud infertur, dicatur Antecedens: quod verò infertur, dicatur consequens, siue conclusio.

Duplex est autem genus consequentiæ: primum earum, in quibus antecedens, & consequens eisdem terminis, saltem æquiualenter, constant: cuiusmodi sunt conuersiones propositionum, quandò scilicet conuertens infertur ex conuersa, vt *nullus homo est equus, ergo nullus equus est homo*. Aut subalternata ex subalternante, vt *omnis homo est iustus: ergo aliquis homo est iustus*. Aut quando aliqua infertur ex seipsa, vel ex sua æquipollente, vt *omnis homo est animal, igitur nullus homo non est animal*.

Secundum genus est quando continetur aliquis terminus in antecedente, qui non reperitur in consequente: & hoc consequentiæ genus vocatur argumentatio, diuiditurque in quatuor species, scilicet in syllogismum, Enthymema, inductionem, & exemplum. Argumentatio

enim est explicatio argumenti, ex Tullio, seu oratio in qua ex argumento explicato altera pars quæstionis propositæ concluditur. Argumentũ verò dicitur medium, quod assumitur ad faciendam fidem, seu ad aliquid probandum: quod cùm fiat in quatuor prædictis, rectè argumentationes vocantur.

19. Ex his porro consequentiis, quædam dicuntur formales, quædam materiales: formales sunt quæ concludunt vi formæ, eò quòd in eis rectè concluditur in quauis materia, modò eadem forma seruetur, & in hoc ordine sunt consequentiæ primi generis: atque insuper syllogismus, vt patet ex verbis definitionis eius, superiùs explicatis, *aliud necessariò euenit, eò quòd hæc sunt.*

Materiales verò consequentiæ sunt, quæ non concludunt vi formæ, sed vi solius materiæ, quo fit vt in aliqua materia concludant, non in alia, vt *homo est animal, ergo est sensitiuus*, consequentia est vera, & bona ratione connexionis materialis terminorum tantùm, ideoque illâ variatâ non valet, vt *homo est animal, ergo est irrationalis.*

Et in hoc genere sunt tres aliæ argumentationes, nempe *Enthymema, Inductio, & exemplum.* Quando enim in consequente licitum est ponere aliquem terminum, qui non sit in antecedente, potest quis pro libito, seruatâ eâdem formâ, quemlibet adhibere: vt in hoc Enthymemate *Petrus est homo, ergo est rationalis*, loco *rationalis*, qui est terminus conformis Petro, poterat poni *irrationalis*, qui non est conformis. Vnde tales argumentationes concludunt tantùm vi materiæ. His explicatis de argumentatione in communi, agendum est de tribus illius speciebus, Enthymemate, Inductione, & exemplo, de quibus agit Aristoteles in fine libri secundi priorum per aliquot capita.

20. Enthymema, quod significat sententiam ex Tullio, aut commentationem, ex Quintiliano; aut animi conceptionem, ex Boëtio, definitur à Rodolpho lib. 2. de inuentione, cap. 18. *argumentatio, in qua ex vna sumptione alteram inferimus*, vt *homo est animal, ergo est sensitiuus.* Vnde in Enthymemate deest vna propositio, necessaria ad integrandum syllogismum, ideoque ab Aristotele 2. prior. c. 27. definitur *syllogismus imperfectus ex verisimilibus, aut signis*: sumitur tamen ibi latius, & prout ad Rhetores pertinet, eoque frequentiùs vtuntur. Nam etiam ex certis aliquando rationibus procedit, & sæpe ex materia necessaria conficitur.

Dicitur autem Syllogismus imperfectus, quia caret vnâ præmissâ, vt diximus, quapropter à Boëtio lib. 2. de differentiis topicis dicitur *oratio, in qua non omnibus antea propositionibus constitutis infertur festinata conclusio.* Vnde quidam volunt dictum Enthymema, quòd ἐν θυμῷ, id est, in animo maneat illa propositio, quæ prætermittitur.

Aliquando porro in Enthymemate deest major propositio, aliquando minor: quæ autem desit, cognoscetur hâc regula. Si in antecedente con-

tinetur medium cum minori extremo, hoc est cum subiecto consequentis, deest maior: si verò adsit medium cum maiori extremo, seu cum prædicato consequentis, deest minor: vnde adhibitâ propositione, quæ deesse videbitur, integer fiet syllogismus. V. g. in isto, *omnis virtus est amanda, ergo temperantia est amanda*, deest minor, nam *amanda*, est maius extremum cùm in consequente prædicetur, quod coniungitur in antecedente cum medio, scilicet *virtus*: vbi autem est maius extremum, est quoque maior propositio: & ita minor deerit, nempe ista, *sed temperantia est virtus*. In isto verò, *temperantia est virtus, ergo temperantia est amanda*, deest maior, quia maius extremum, nempe *amanda*, non reperitur in antecedente cum medio termino, quâ maiori suppletâ integrabitur syllogismus hoc modo, *omnis virtus est amanda, temperantia est virtus, ergo est amanda.*

21. Ex his oritur dubitatio, vtrum Enthymema essentialiter, & specificè differat à syllogismo. Numesius in libro de constitutione artis dialecticæ vult Enthymema, inductionem, & exemplum differre tantùm accidentaliter à syllogismo, & inter se, sicut puer, & vir tantùm differunt vt perfectum, & imperfectum. Ludouicus autem Limosius lib. 1. paradoxorum dialecticorũ, errore 23. vult specificè inter se discrepare: quæ opinio probabilior est, saltem si fiat comparatio inter syllogismum & inductionem, atque exemplum. Cùm enim hæc omnia sint veluti artefacta quæ suis formis inter se differunt, habeantque formas inter se diuersas, videntur admittere discrimen essentiale. Vnde quòd Enthymema per syllogismum definiatur, in eumque facilè conuertatur, hoc tantùm indicat vtriusque conuenientiam in materia, quia eædem propositiones vtrique inseruiunt.

22. Quod spectat ad *inductionem*, Aristoteles 1. topic. c. 10. eam sic definit: *Inductio est à singularibus ad vniuersalia progressio.* Per singularia intellige etiam minus vniuersalia. V. g. *hic ignis est calidus, & ille & sic de aliis: ergo omnis ignis est calidus.* Item *homo est sensitiuus, leo quoque, & equus, & ita de cæteris animalibus: ergo omne animal est sensitiuum.* Fieri etiam potest progressius à partibus ad totum, vt *manus ægrotat, pedes, caput, cæteraque partes ægrotant: ergo totum corpus ægrotat.*

Ex quibus exemplis colligitur forma inductionis. Cùm enim ex particularibus inferatur in ea conclusio vniuersalis, debent illa omnia particularia sigillatim enumerari, si potest fieri sine tædio, vel saltem addi aliqua particula generalis, quæ illa omnia includat, qualis est, *& sic de cæteris.* Quod debet intelligi, vt benè ait Auerroës c. 29. lib. 1. prior. de inductione dialectica, quæ fit in materia tantùm probabili. Cùm enim predicatum sit contingens, si vel vnum singulare prætermittatur, falsò poterit de tota specie affirmari, quia fortè illi singulari prætermisso non competet illud prædicatum. In inductione autem, quam demonstra-

tiuam appellat, quæque fit in materia necessaria, non est opus omnia percurrere singularia, sed sufficit cognoscere quod aliquibus prædicatum competat per se, vt intelligatur inesse toti speciei, quia quod conuenit per se singularibus, priùs conuenit per se speciei, vt diximus vbi de proprio, & accidente communi. Vnde in ista inductione hæc dicere sufficiet, *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis; ergo omnis homo est risibilis.*

23. Dicunt tamen aliqui, huiusmodi particulas, *& sic in cæteris*, esse inutiles, etiam in inductione dialectica. Nam idem est addere in antecedente, *& similiter in cæteris*, & inferre, *ergo omnia ita eueniunt*, quod in conclusione colligi debet. Vnde inductio, hoc modo formata, non est argumentatio, quia caret argumento seu medio distincto à conclusione, & ad eam inferendam necessario. Erit igitur solùm consequentia formalis, cum antecedens, & consequens sint duæ enunciationes æquipollentes.

Quapropter vt rationem argumentationis habeat, ex quibusdam solùm, eodem modo sensatis, perpensis omnibus circunstantijs colligere debemus vniuersale quoddam experimentum, & asserere omnia eodem modo euenire, nisi ex aliquo accidente impediantur; quia ea, quæ naturaliter eueniunt, eodem modo euenire solent in ijsdem circunstantijs, eò quòd natura est ad vnum determinata.

Nihilominùs inficiandum non est prædictas particulas, aut æquiualentes, necessariò subintelligi, vt consequens vim habeat persuadendi, vt patet ex dictis numero præcedenti; & ne sit nugatio, sufficit quædam diuersitas in expressione, & distinctio quædam rationis inter enunciationes.

Vnde si oporteat inductionem ad syllogismum reuocare, accipienda est pro medio illa singularium multitudo, per prædictas expressa particulas, & cum vtroque extremo in antecedente constituenda, *v. g.* ista inductio, *Cœlum hoc mouetur, & illud, & illud; ergo omne Cœlum mouetur.* Sic formam syllogismi induet: *hoc Cœlum mouetur, & illud & illud: sed hi sunt omnes Cœli: ergo omne Cœlum mouetur.*

24. *Exemplum*, quod Aristoteles vocat παράδειγμα, sumitur hic pro argumentatione, in qua ab exemplo rei gestæ quippiam simile colligitur. Definitur autem *ratiocinatio, in qua ex vno singulari, aut paucis similibus aliud colligimus, ob similitudinem, inter vtraque interuenientem*, vt *Croësus non inuenit fœlicitatem in diuitijs: ergo neque Crassus inueniet.* Item: *Romulus non est passus Remum imperij socium: nec Iulius Pompeium: ergo neque Augustus patietur Antonium imperij socium.* Potest etiam aliquando formari exemplum ex narratione rei fictæ, quasi reuera gestæ, cuiusmodi sunt parabolæ; & illud, quo vsus est Nathan ad Dauid, 2. Reg. 12.

Reducitur autem exemplum ad syllogismum, sumendo similitudinem,

quæ intercedit inter antecedens, & consequens pro medio; v. g. istud exemplum, *Græci amiserunt Imperium : ergo Angli regnum suum amittent*, hoc modo reuocabitur : *quia Græci à Romano Pontifice defecerunt, Imperium amiserunt : sed Angli à Romano quoque Pontifice defecerunt : ergo regnum suum amittent.*

Differt porro exemplum ab inductione, & enthymemate, quòd inductio procedit à partibus ad totum : enthymema verò sicut syllogismus, à toto ad partes : & exemplum ab vna parte ad aliam partem similem, vt patet ex dictis, & docet Aristoteles c. 24. lib. 2. priorum.

QVÆSTIO V.

De Demonstratione, seu de Syllogismo demonstratiuo.

1. IMPOSTERVM explicabimus doctrinam Aristotelis, contentam in duobus libris posteriorum, in quibus agit de syllogismo demonstratiuo, explicans eius naturam, & conditiones, partes, & proprietates, atque effectus : & consequenter obiectũ istorum librorum est syllogismus demonstratiuus.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Demonstratio.

HERACLITVS, Cratylus, & Scheptici, cùm nullam omninò scientiam esse contenderent, omnem quoque demonstrationem, per quam scientia comparatur, negauerunt : sed contra eos stat tota schola peripatetica, ipla communis ratio, & infinita penè demonstrationum exempla, ex omnibus scientijs deprompta. Sunt enim communissima principia, lumine naturali nota, quibus proinde nullus sanæ mentis repugnare potest, modò terminos intelligat, ex quibus euidentissimæ possunt deduci conclusiones, quibus intellectus certissimè, & absque vlla formidine assentiat, v. g. *de quolibet verum est dicere quod sit vel non sit. Totum est maius suâ parte. Lineæ omnes rectæ, ductæ à centro ad circumferentiam circuli sunt æquales.* Et alia huiusmodi, quibus intellectus refragari non potest.

Præterea : frustra esset naturale sciendi desiderium, omnibus hominibus inditum, nisi per aliquas euidentes, & certas notitias, si non ex-

pleri, saltem aliquantulum satisfieri possit.

Quis item inficiabitur aliquas esse proprietates cum subiectis necessariò connexas? Aliquos effectus à causis verè dependentes, & cum ipsis semper coniunctos? quorum cognitio nullo modo capacitatem nostri intellectus excedit; ac proinde vt sunt, ita ab ipso cognosci possunt, vt quòd homo sit risibilis, & disciplinæ capax; quòd equus hinniat; ignis adurat, & cætera, de quibus, certissimâ experientiâ confirmatis, nullâ ratione dubitare nobis licet.

2. Quòd si quis vrgeat omnem nostram cognitionem dependere à sensibus, qui, cùm sæpe fallantur, omnem cognitionis certitudinem remouent: sicut ille, quem sæpe mendacem experti sumus, fidem astruere nullam potest: non denegabimus nostros sæpe deludi sensus; non ita tamen vt quilibet de omnibus, nisi temerè dubitare possit. Quis enim Solem lucere, ridere homines, sentire alia animalia dubitare audeat? His ergo experientiis certis, & infallibilibus nititur demonstratio, non fallacibus, & incertis. Et quamuis singularia intereant, ac corrumpantur, non possunt tamen impedire scientiæ certitudinem, quia non vt singularia sunt, sed vt in aliqua ratione communi ad inuicem conueniunt, à scientiis considerantur, quo modo sunt ingenerabilia & incorruptibilia, quia secundùm essentiam spectantur, quæ inuariabilis, & immutabilis est; vt constat ex dictis q. 6. libri 2. sect. 1.

3. Quid autem sit demonstratio docet Aristoteles hic, lib. 1. c. 2. duas tradens illius definitiones: Prima sic habet: *Demonstratio est syllogismus faciens scire.* Secunda verò sic: *demonstratio est Syllogismus, constans propositionibus veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus causisque conclusionis.* Quasdam alias ibidem conditiones addens, vt quòd sit ex sempiternis, & quòd procedat ex propriis: capite verò 4. quòd sit ex necessariis.

Prima definitio est à causa finali; & conuenit omni demonstrationi, modò *scire* sumatur pro cognitione rei certæ, & euidentis per medium necessarium, siue illud medium sit causa rei, siue non. Dico *rei*, quia semper est causa cognitionis, id est, ratio, propter quam conclusioni assentimur.

Secunda verò definitio est à causa materiali, & soli conuenit demonstrationi à priori, in qua proceditur à causa rei ad effectum. Quamuis autem vnius rei vnica sit essentialis definitio metaphysica, constans scilicet genere, & differentia: tamen quando petitur à causis, vt fit in Logica, multiplex esse potest secundùm multiplex causarum genus. Quâ autem ratione demonstratio intelligi debeat scientiam generare, explicuimus quæstione 1. huius libri, numero 18. Contra secundam verò definitionem multa obiiciuntur, sed ex explicatione singularum eius partium facile dissoluentur, quod præstabimus in sequentibus sectionibus, postquam demonstrationem in suas diuiserimus species.

4. Diuiditur ergo demonſtratio ratione ſui generis, nempe ſyllogiſmi, primò in demonſtrationem primæ, ſecundæ, & tertiæ figuræ. Secundò in negatiuam, & affirmatiuam. Tertiò in vniuerſalem, & particularem: de quibus ſufficienter actum eſt q. 1. huius libri. Quamuis enim aliqui negent demonſtrationem poſſe fieri in modis particulariter concludentibus, vt *darij*, & *ferio*; id tamen ſine fundamento negant, & contra Ariſtotelem, qui 1. poſt. c. 20. admittit demonſtrationem particularem, eamque cum vniuerſali, cui primas concedit, comparat. Diuiditur quartò in oſtenſiuam, & in deducentem ad impoſſibile: de quibus in ſummulis agitur.

Diuiditur ſecundò in communi, & abſolutè in demonſtrationem à priori, & in demonſtrationem à poſteriori. Demonſtratio à priori, vt ipſa denominatio indicat, illa eſt in qua medium eſt aliquid prius concluſione, non ſolùm in cognoſcendo, quod commune eſt omni demonſtrationi; ſed etiam in eſſendo, & ex parte ipſarum rerum: vnde aliter vocatur demonſtratio *à cauſa*, demonſtratio *cur*, *quamobrem*, *ſecundùm naturam*, quia præmiſſæ continent cauſam concluſionis, & rationem, ſaltem remotam, & aliqualem, cur prædicatum conueniat ſubiecto: vnde poteſt definiri *ſyllogiſmus faciens ſcire per veram, & propriam rei cauſam*, qualis eſt iſta, *omne rationale eſt riſibile: omnis homo eſt rationalis ergo omnis homo eſt riſibilis*: vbi *rationale* eſt vera cauſa riſibilitatis, licet fortè non immediata.

Demonſtratio à poſteriori, quæ aliter vocatur *ab effectu*, *ſecundùm nos*, *à non cauſa*, *à ſigno*, eſt illa, in qua medium eſt aliquid poſterius concluſione, & dicitur *ſyllogiſmus faciens ſcire per cauſam cognitionis*: quia vt plurimùm effectus ſunt nobis causâ notiores, & ideo à cognitione effectuum, & proprietatum progredimur ad cognitionem cauſarum, vel rerum, naturâ quidem notiorum, ſed non ſecundùm nos: & ita præmiſſæ continent cauſam cognitionis, non verò cauſam rei ipſius concluſionis, vt in iſto ſyllogiſmo, *omne riſibile eſt rationale, omnis homo eſt riſibilis: ergo omnis homo eſt rationalis*. Item *omne animal eſt ſubſtantia: omnis homo eſt animal: ergo eſt ſubſtantia*.

5. Et huiuſmodi demonſtrationis diuiſio eſt adæquata, ita vt nulla poſſit fieri vera demonſtratio, quæ non reducatur ad alterum membrum diuiſionis: quia medium in omni demonſtratione debet eſſe notius concluſione: vel ergo eſt notius naturâ tantùm; vel nobis tantùm; vel naturâ, & nobis? Si primum, & tertium, ſemper erit demonſtratio à priori: ſi ſecundum, erit à poſteriori.

Demonſtrationem autem à poſteriori, eſſe veram demonſtrationem, aſſerunt communiter Philoſophi, quia datur vera ſcientia, cuiuſmodi eſt Phyſica, in qua maior pars demonſtrationum eſt à poſteriori, & progrediendo ab effectibus ad cauſas, vt quòd Cœlum ſit corpus naturale, quia poſſit moueri, & ita de alijs multis. Præterea demonſtratio à poſteriori eſt

ſyllogiſmus,

syllogismus, non sophisticus, aut probabilis tantùm, siue topicus; ergo est sub specie demonstratiui. Et verò procedit ex præmissis necessarijs, & certis, causisque conclusionis, non quidem secundùm rem, sed secundùm cognitionem, vt dictum est.

Et quamuis solo sensuum beneficio non possimus cognoscere connexionem proprietatis cum subiecto tanquam necessariam: mediantibus tamen aliquibus ratiocinationibus possumus illud assequi, si aduertamus illam proprietatem, v. g. risibilitatem conuenire homini, non propter aliquid extrinsecum, nec mutari mutatis aliis accidentibus, sed posito subiecto poni, & eo destructo destrui: ex hoc enim possumus rectè colligere talem passionem fluere à natura subiecti, ac proinde necessariam cum eo habere coniunctionem.

6. Diuiditur tertiò ex Aristotele hic, c. 10. in demonstrationem *propter quid*, græcè, διότι, & in demonstrationem *quia*, græcè, ὅτι. Demonstratio *propter quid*, illa est, quæ probat passionem inesse subiecto, & simul ostendit, propter quid illi conueniat; ponendo nimirùm in præmissis propriam, & adæquatam (vt communiter dicitur) causam huiusmodi passionis pro medio. Talis enim causa dicitur proprium *propter quid*, passionis, quia est principium à quo dimanat, & ratio propter quam subiecto conuenit: & ideo demonstratio, in qua adhibetur pro medio, dicitur demonstratio *propter quid*, vt in hoc syllogismo *omne discursiuum est admiratiuum: omnis homo est discursiuus; ergo omnis homo est admiratiuus.* Vbi discursiuum est causa, & *propter quid* admiratiui: & ita ostenditur non solùm conuenire homini; sed etiam propter quid illi conuenit.

Demonstratio, *quia*, illa est, in qua probatur tantùm passionem conuenire subiecto, non ponendo propter quid illi conueniat: quasi diceretur demonstratio, in qua ostenditur quia hoc est, seu quòd hoc est, vt *homo est risibilis*, non adducendo causam, propter quam est risibilis. Dat istud exemplum Aristoteles capite citato. *Stellæ non scintillantes sunt prope nos: planetæ sunt stellæ non scintillantes ergo planetæ sunt prope nos.* Vbi ostenditur planetis conuenire esse prope nos; sed non ponitur propter quid hoc eis conueniat: non scintillare enim est potiùs effectus propinquitatis, quàm causa.

7. Tribus autem modis, vt ibidem docet Aristoteles, potest fieri demonstratio, *quia*, primò quando per effectum adæquatum, & conuertibilem ostenditur causa illius effectus, vt in dato syllogismo, in quo ex negatione scintillationis infertur planetas esse prope nos, quæ propinquitas est causa talis negationis, & ideo si ponatur pro medio fiet demonstratio *propter quid* hoc modo, *stellæ quæ sunt prope nos, non scintillant; planetæ sunt prope nos; ergo non scintillant.*

Secundò fit demonstratio, *quia*, quando pro medio ponitur causa remota, non conuertibilis, sed latiùs patens effectu ad ostendendum effectum ipsum, vt est animal respectu respirationis. Licet enim omne, quod

respirat, sit animal; non omne tamen animal respirat, sed solum animal habens pulmones: vnde licet sciatur respirationem conuenire boui, non tamen scitur propter quid illi conueniat: quia si propter animal adæquatè illi conueniret, omni animali conueniret: & ideò huiusmodi causa non est secundùm se sufficiens principium talis effectus, aut alicuius, ex quo ille sequatur; sed hoc accipit a differentia, per quam contrahitur, scilicet à pulmonibus in dato exemplo: vnde est causa tantùm remota non reciproca respirationis: proxima verò sunt pulmones.

Hinc fit syllogismos per talem causam procedentes, debere concludere negatiuè, quia, cùm ipsa non conuertatur cum effectu, non potest inferri effectus ex positione talis causæ: vnde rectè fient syllogismi illi in secunda figura: non verò in prima, quia si dicas omne animal respirat, vel nullum animal respirat, falsum dices: poterunt tamen reuocari ad primam iuxta regulas reductionum, vt iste in *camestres*, *omne respirans est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis respirat*: reuocatur sic ad celarent *nullum animal est lapis*: *omne respirans est animal*; *ergo nullum respirans est lapis*, & per conuersionem simplicem, *ergo nullus lapis est respirans.*

Tertio modo fit demonstratio, *quia*, quando vna scientia est alteri subalternata: quia subalternans scit *propter quid*: subalternata verò *quia*, vt Chirurgia, quæ subalternatur Geometriæ respectu huius propositionis, *vulnera rotunda difficilius curantur*, scit *quia*: nouit enim experientiâ hoc ita esse. Geometria verò scit *propter quid* in communi: quia nimirum scit latera circuli magis distare, quæ est causa, & *propter quid* difficilius obducatur cicatrix.

8. Hanc autem diuisionem demonstrationis in *quia*, & *propter quid*, esse etiam adæquatam, patet ex eo quòd membra diuidentia se habent contradictoriè, quia in omni demonstratione vel ponitur *propter quid*, conclusionis, vel non ponitur; & ita vel est *propter quid*, vel *quia*. Vtrum autem hæc eadem sit cum diuisione *à priori* & *posteriori*, controuersia esse potest, in qua Complutenses Carmelitæ, & alij dicunt omnem demonstrationem à posteriori, esse demonstrationem *quia*, eò quòd in illa non assignatur *propter quid* passionis; non tamen è conuerso omnem demonstrationem *quia*, esse à posteriori: quia demonstratio per causam remotam, est à priori; continet enim medium, quod prius est conclusione in essendo, vt *animal* prius est respiratione, eiusque causa: & tamen est demonstratio *quia*; non autem *propter quid*, vt ostensum est. Similiter omnis demonstratio *propter quid*, est à priori: sed non omnis à priori, est propter quid, dum fit per huiusmodi causam remotam.

Nihilominùs, si fiat vis in verbo, & attendatur propria rerum natura, non videtur negandum huiusmodi demonstrationem esse *propter quid*. Licet enim animal non sit causa adæquata & reciproca respirationis: est

tamen vera, & propria causa illius, adeò vt oriatur ab ipso, vt contracto per talem differentiam, & vt coniuncto cum talibus circunstatiis: sicut est vera, & propria causa motus progressiui, visus &c. quamuis hæc non reperiantur in omnibus animalibus. Vnde potest concedi vtramque prædictam diuisionem verbis solùm differre, & ambas inter se conuerti.

9. Dices cum Themisto, 1. de demonstratione c. 29. Datur demonstratio, quæ neque est à causa proxima, vel remota, ad effectum: neque ab effectu ad causam, sed ab effectu ad effectum: ergo nulla ex præfatis diuisionibus est adæquata. Probatur antecedens in febri putrida (quæ est causa inæqualitatis pulsus, & immoderati cuiusdam caloris in ægroto) hoc modo: *qui habet pulsum inæqualem, afficitur calore immoderato: sed qui laborat febri putridâ, habet pulsum inæqualem: ergo afficitur calore immoderato.* Vbi sunt duo effectus pares, quorum neuter ab alio procedit, quamuis vterque ab eadem causa promanet.

Respondeo negando antecedens: huiusmodi enim syllogismus non est demonstratiuus, quia non habet præmissas *per se*, neque necessarias: non *per se* quidem, eò quòd calor immoderatus non est de definitione pulsus inæqualis, nec viceuersa: & ita non est in primo, vel secundo modo, vt patebit infra; neque etiam in quarto, quia subiectum non est causa attributi. Non sunt etiam necessariæ, quia illi duo effectus non habent inter se connexionem necessariã, ex vi sua, & merito sui cùm possit esse inæqualitas pulsus absque calore immoderato, vt ex cursu, & cõtrà.

Aliæ possunt afferri diuisiones demonstrationis, sed difficultate carent: vt cùm demonstratio *propter quid*, diuiditur in potissimam, quæ communiter censetur esse ea, in qua prima proprietas demonstratur de subiecto per veram causam: & in non potissimam, in qua passio demonstrata, non est prima, aut non demonstratur per causam immediatam. Vt *omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis: ergo est risibilis:* quia inter rationale, & risibile mediant duæ priores proprietates, nempe discursiuum, & admiratiuum.

SECTIO II.

De præcognitionibus, ad demonstrationem requisitis.

10. PRAETER errorem Heracliti, & Cratyli, omnem scientiam negantium, de quo numero 1. fuit alius error Platonis, & discipulorum eius, qui licet scientiam admitterent, eam tamen de nouo comparari diffitebantur, sed nobis à natura inditam esse volebant; impeditam tamen à sensibus, & ideò vsu, & exercitio excitandam esse: vnde doctrinam omnem, & scientiam, reminiscentiam tantùm esse contendebant. Contra quos agit Aristoteles initio huius libri primi, &

ostendit scientiam non esse nobis ingenitam, sed potiùs ex præexistente quadam cognitione à nobis acquiri per demonstrationem: & ita istud axioma, & celebre pronunciatum initio primi capitis contra illos errores proponit, *omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiua, ex præexistente fit cognitione.* Vbi insinuatur quasdam esse præcognitiones, & præcognita ante demonstrationem requisita, de quibus in communi agenus in hac sectione, postquam illud effatum explicuerimus.

Itaque *doctrina*, & *disciplina*, in hoc differunt, quòd *doctrina* significat cognitionem propria industriâ, nullo magistro præeunte comparatam: *disciplina* verò eamdem cognitionem significat à præceptore acceptam: aut vt à præceptore procedit, *doctrina*; vt recipitur in discipulo, *disciplina* nuncupatur, ex Themistio, & Philopono.

11. Huiusmodi cognitionem vocat Aristoteles διανοητικὴν, idest, intellectiuam, simplicem, vel complexam, ex quibusdam recentioribus: si enim fuerit simplex apprehensio, præsupponit sensitiuam, quia *nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu*: si autem fuerit iudicatiua, supponit apprehensiuam: & si fuerit discursiua, supponit iudicatiuam.

Communior interpretatio est, hic intelligi solam cognitionem discursiuam, quod indicatur ipso vocabulo, deriuato à διανοία, & πέμω, quod significat *discurro*, seu viam conficio: vnde idem erit *doctrina intellectiua*, atque *discursiua*: quod satis indicat Aristoteles, cùm omnia exempla, quæ pro confirmando isto axiomate proponit, sint discursiua, videlicet syllogismus, inductio, & exemplum. Ac proinde sensus illius erit iste: *omnis ratiocinatio ex antecedenti cognitione promanat*: siue illud antecedens sint duæ præmissæ, vt in syllogismo, siue plures, siue pauciores, vt in aliis argumentationibus. Vnde illa cognitio quæ antecedit, non debet esse necessariò discursiua, alioquin daretur processus in infinitum, & sic omnis scientia tolleretur, eò quòd non posset conclusio reuocari ad vltima, seu prima principia. Quot autem sint præcognitiones, in communi seu cognitiones huiusmodi antecedentes, & ad discursum necessariæ, hic inquirimus: pro quo.

12. Aduertendum est, præcognitionem nihil aliud esse, quàm notionem habitam ante aliam. Duobus autem modis potest vna cognitio aliam præcedere, nimirum per se, & per accidens: per accidens quidem, si vna ab alia nullo modo dependeat: quomodo per accidens est quòd priùs cognouerim Petrum, quàm Paulum. Per se autem, quando ea quæ præcedit, iuuat ad aliam habendam: quomodo cognitio quòd homo sit rationalis, iuuat ad cognoscendum, hominem esse risibilem.

Hoc prænotato diuiditur in communi prænotio, in prænotionem *quid est*, & in prænotionem *quòd est*, quasi diceres, *quid res sit*, & *quòd res sit*. Prænotio *quid est*, diuiditur in prænotionem *quid nominis*, idest, quid significet vocabulum, quo res exprimitur: & in prænotionem

quid rei, ideſt, quæ ſit natura, & eſſentia rei propoſitæ.

Prænotio item *quòd eſt*, in duas ſubdiuiditur, alia dicitur *quòd ſit rei*; alia *quòd ſit principiorum*. Prænotio *quòd ſit rei*, eſt cognitio an res exiſtat, vel exiſtere poſſit. Prænotio *quòd ſit principiorum*, eſt cognitio veritatis eorum, & ita quatuor erunt præcognitiones, ſcilicet nominis, eſſentiæ rei, exiſtentiæ eiuſdem, & veritatis principiorum, quibus innititur probatio, quam de re formamus.

13. Auerroës autem in epitome logices diuiſit præcognitionem in communi in tria membra, videlicet in præparantem, dirigentem, & efficientem. Per præparantem intelligitur cognitio ſenſitiua, quia omnis noſtra cognitio incipit à ſenſibus, vt iam dicebamus, & ideò oportet prius attingere per ſenſus res ipſas, vt inde aperiatur via intellectui ad earum naturam penetrandam.

Prænotio verò dirigens, eſt notitia extremorum alicuius propoſitionis, quam probare intendimus, & quæ dicitur *quæſtio* antequam probetur; *concluſio* verò dum iam probata eſt. *V. g.* ſi intellectus intendat cognoſcere an homo ſit riſibilis, debet primò ſcire quid hæc vocabula ſignificent; & deinde an vtrumque extremum exiſtat, vel exiſtere poſſit, quia de impoſſibili nullæ demonſtrantur paſſiones: imò ſæpe ſciendum eſt de ipſis quid ſint, vt dicemus. Et ſic huiuſmodi cognitiones dirigunt intellectum vt probè ſciat quid ſit probaturus.

Prænotio efficiens, ſeu agens, eſt cognitio veritatis præmiſſarum alicuius demonſtrationis, vi cuius prænotionis proximè elicitur cognitio concluſionis. Vnde patet quatuor præcognitiones, initio numeratas comprehendi in prænotione dirigente, & efficiente: præparans autem ipſis addi poteſt, tamquam neceſſaria nobis; non verò tanquam pertinens ad intrinſecam rationem demonſtrationis, ſeu ſcientiæ; ſicut neque cognitio nominis.

14. Quod ſpectat ad præcognita, ternario numero ea comprehendit Ariſtoteles, nimirùm ſubiectum, paſſionem, ſiue proprietatem, quæ de ſubiecto demonſtratur, & præmiſſas, ſeu principia, per quæ talis paſſio ſubiecto conuenire oſtenditur; & ita præcognita ſunt res, de quibus habentur prænotiones.

Nec valet quod aſſerit Paulus Venetus, vel debere plura eſſe præcognita, vel pauciores præcognitiones, eò quòd à qualibet forma abſtracta poſſit deduci vnum concretum, atque adeò à qualibet præcognitione vnum præcognitum. Falſum quippe eſt quòd à qualibet forma poſſit fieri vnum concretum materialiter. Nam quantitas eſt vnum figuratum, licet diuerſæ ſint figuræ: calor eſt vnus ſpecie, itemque lux; & tamen diuerſiſſima ſunt corpora calida, & lucida. Et materia prima eſt vnum ſpecie informatum, quamuis innumeræ ſint propemodum ſpecie formæ.

Non eſt tamen negandum præter tria præcognita, iam enumerata, debere adhuc admitti duo alia, ſcilicet medium, & bonitatem figuræ ſyl-

logisticæ: quia medium est causa assentiendi conclusioni; & bonitas consequentiæ est accommodata illius dispositio: sed hæc cognoscuntur in ipso demonstrationis progressu: Aristoteles autem ea tantùm numerauit, quæ antequam fiat demonstratio, præcognosci debent, aut quæ satis notum erat præcognita esse, vel præcognitiones. Et quamuis, signa, copulæ, & alia quæ demonstrationem ingrediuntur, præcognosci debeant; non assignantur tamen vt præcognita distincta, quia non sunt propriè partes integrantes, sed partium vincula, & modi: sufficienterque in prænotione principiorum comprehenduntur.

15. Descendendo autem ad prænotiones in particulari, dicendum est primò, præcognoscendum esse *quid nominis* de subiecto, passione, & medio. Ratio est euidens, quia nullus potest instituere, aut intelligere demonstrationem, si nesciat vim, & significationem vocabulorum, quibus hæc tria exprimuntur.

Dicendum est secundò, præcognoscendum esse de subiecto, passione, & medio, quòd sint, hoc est, possibilia sint. Ratio est, quia, cùm in præmissis passio prædicetur de medio, vel medium de passione, & de subiecto, non possumus vere, & certò cognoscere vnum esse in alio, nisi præcognoscamus eorum existentiam, saltem possibilem. Non enim minùs absurdum est velle demonstrare passionem possibilem, per medium impossibile, quàm de subiecto impossibili.

Non est tamen necesse, per se loquendo, quòd actu existant, aut extiterint, vel existere debeant tempore à natura statuto; quia scientia est de obiecto perpetuo, & necessario: actualis autem existentia nulli creaturæ necessariò conuenit; ac proinde non est necessariò requisita, vt de subiecto scientia habeatur. Deinde quamuis nulla vnquam rosa futura esset, eandem semper cognitionem, & definitionem haberemus de ipsa vt patet: definitiones autem sunt principia scientiarum.

Dixi *per se loquendo*, quia ex imperfecto modo nostro intelligendi, qui dependet à sensibus, non potest scientia comparari proprio marte, nisi subiectum existat, aut eius species remaneant.

16. Dicendum est tertiò, præcognoscendum esse de subiecto *qui d rei*: non totaliter quidem semper, sed saltem sub ea ratione, qua concipitur passio ei conuenire. Prima pars patet in demonstratione potissima, in qua passio demonstratur de subiecto per quidditatiuam subiecti definitionem, vt in ista *omne animal rationale est discursiuum: omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est discursiuus.* Nam in minori habetur cognitio quidditatiua subiecti, nempe hominis, Ratio est quia non possemus cognoscere attributum illi conuenire, nisi eius naturam cognosceremus, vt per se constat.

Secunda pars, quòd non sit necessaria cognitio totalis, patet primò in demonstratione à posteriori, in qua demonstratur essentia subiecti per propriam passionem, vt in ista, *omne risibile est animal rationale: omne*

homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale. Id autem quod demonstratur, non supponitur præcognitum. Patet etiam in demonstratione *propter quid*, vt cùm astrologi demonstrant eclipsim Lunæ prouenientem ex interpositione terræ inter solem, & Lunam, etiam si ignorent naturam Lunæ, quæ ad physicam considerationem spectat. Vnde tunc sufficit cognoscere dependentiam effectus à causa, absque eo quòd essentia subiecti cognoscatur. Denique sæpe fit demonstratio *propter quid* secundum partem tantùm essentiæ subiecti, vt dum per animam demonstramus hominem esse discursiuum; per materiam esse quantum &c.

17. Dicendum est quartò, præcognoscendum esse de passione *quid rei* itemque de medio. Ratio est, quia passio prædicatur in præmissis de medio, vel medium de passione. Non potest autem cognosci quòd passio conueniat medio, nisi natura vtriusque prespecta sit, quia alioquin semper aderit suspicio ne aliqua subsit repugnantia inter illa.

Deinde: præmissæ debent iudicari veræ alioquin non possent ducere nos in cognitionem veritatis, ipsius conclusionis: non possunt autem iudicari veræ, nisi sciamus terminos sibi non repugnare: neque istud perspicuum esse potest, nisi eorum quidditas nota sit.

Tertiò: sæpe medium demonstrationis est definitio passionis vt in isto syllogismo: *omne animal habens facultatem ridendi, est risibile sed omni homo est animal habens facultatem ridendi ergo omnis homo est risibilis.* Facultas enim ridendi est definitio quidditatiua risibilitatis, quæ haberi non potest, quin habeatur cognitio naturæ definiti.

Dices: cognitio *quid rei*, ipsius passionis habetur in conclusione: est enim id, quod quæritur: ergo ante conclusionem non debet præcognosci.

Respondeo passionem cognosci in conclusione quoad connexionem eius cum subiecto: in præmissis autem, vel ante, ipsam cognosci in esse rei. Nam vt benè ait Caietanus hic, passio sumi potest dupliciter; primò vt res quædam est: secundò vt passio est, seu proprietas. Ante conclusionem cognoscitur vt res est, non autem vt passio est, quia non cognoscitur inesse proprio subiecto, sed tantùm in medio: nisi passio illa concludatur de subiecto mediato, & inadæquato, vt risibilitas de Petro: quia tunc supponitur antea probata de suo subiecto adæquato, nempe de homine; ac proinde cognita vt propria hominis passio. Alio igitur modo cognoscitur ante demonstrationem, alio in conclusione: ante enim cognoscitur per definitionem; in demonstratione verò per propriam causam.

18. Dicendũ est quintò, præcognoscendũ esse de principiis quòd sint vera. Est autem sermo de principiis cõplexis, vt patet, quæ sunt ipsæ præmissæ vel quibus præmissæ innituntur, vt sunt axiomata, & effata, siue cõmunia, vt *quodlibet est vel non est*: siue alicuius scientiæ propria, vt *natura*

est principium motus & quietis. Ratio est euidens, quia ex falsis principiis non potest per se colligi verum: at conclusio demonstrationis est vera: ergo cùm intellectus illi assentiatur propter præmissas, oportet vt priùs cognoscat præmissas esse veras: & si ipsæ præmissæ innitantur prioribus principiis, eorum cognitio debet saltem implicitè præsupponi, quatenus includuntur in terminis principiorum. Vt quis enim ostendat hominem esse risibilem, si assumat hoc principium, *homo est rationalis*, ita illud scire debet, vt teneat ipsum non posse simul esse, & non esse rationalem: item vel esse, vel non esse rationalem.

Dicendum est sextò, debere cognosci bonitatem consequentiæ ante ipsum consequentis assensum; quando nimirum assentimur conclusioni propter præmissas. Siue enim iudicium consequentiæ dicatur distinctum esse à iudicio consequentis, siue non: quod suprà fuit nobis problematicum: semper iudicium consequentiæ poterit dici vnum præcognitum. Si enim sint iudicia distincta, cùm assentiamur conclusioni propter præmissas, seu propter formam syllogisticam, iudicium consequentiæ debet saltem prioritate naturæ præcedere iudicium consequentis. Si autem distincta non sint, quædam interueniet prioritas virtualis, vt tetigimus q. 1. huius libri, num. 17. secundùm quam poterimus distinguere præcognitionem ab ipsa scientia, quatenus circa diuersa obiecta versabitur. Nam prout versabitur circa formam syllogisticam, dicetur præcognitio: vt versabitur circa connexionem extremorum conclusionis, dicetur scientia actualis.

19. Summa omnium, quæ in ista sectione diximus, hæc est. Duæ præcognitiones ab Aristotele assignatæ sunt, nempe *quòd est*, & *quid est*. *Quod est*, id est, verum, vel possibile: verum de complexis; possibile de incomplexis. *Quid est*, hoc est, quid significet vocabulum, vel quid res sit. Tria item numerauit Aristoteles præcognita, ante ingressum demonstrationis necessaria, subiectum, passionem, & principia. De subiecto præcognoscendum docet *quid nominis*, *& quod est*. De passione *quid nominis*: de principijs quod vera sint: id est perpetuò, inuariabiliter, & necessariò vera, alioquin conclusiones illatæ, non essent necessariæ.

Numerauit igitur Aristoteles tantùm præcognitiones, & præcognita necessaria ante demonstracionem *propter quid*, eamque vocalem. Dico *vocalem*, quia in eis numerauit vocabuli notitiam, quæ ad mentalem demonstrationem inutilis est. Dico *propter quid*, quia eam solam c. 2. definiuit.

SECTIO

SECTIO III.

Quædam Difficultates, ex præcedentibus ortæ explicantur.

20. PRIMA difficultas naſcitur ex hoc quòd diximus debere præcognoſci de ſubiecto quòd ſit: & quæſtio eſt vtrum aliqua ſcientia poſſit demonſtrare exiſtentiam ſui ſubiecti, ſeu obiecti, actualem, vel poſſibilem: an verò debeat illam præſupponere: pro cuius ſolutione.

Reſpondeo primò, quamlibet ſcientiam poſſe demonſtrare exiſtentiam actualem ſui ſubiecti inadæquati, & partialis. Hoc patet primò ex Ariſtotele, qui capite 1. huius operis probat demonſtrationem eſſe, quæ eſt obiectum partiale Logicæ. Item Mataphyſicæ lib. 12. Deum eſſe demonſtrat, quod idem præſtant Theologi 1. parte q. 2. primo etiam Phyſ. oſtendit materiam primam dari, ex tranſmutatione.

Secundò: dantur ſæpe ſigna euidentia actualis exiſtentiæ alicuius obiecti partialis, v. g. Cœli, vt quantitas, motus, influxus, quæ actualem illius exiſtentiam manifeſtiſſimè probant: ac proinde per ea, tamquam per medium poterit demonſtratio à poſteriori formari de exiſtentia Cœli: quia licet ex libera Dei voluntate poſſit exiſtentiam amittere, non tamen per vllam cauſam creatam, ſicut nec anima rationalis nec Angeli, &c. Et ideo phyſicè, & ex hypotheſi de ipſis poteſt exiſtentia actualis demonſtrari.

21. Reſpondeo ſecundò nullam ſcientiam poſſe demonſtrare à priori ſuum ſubiectum totale, & adæquatum exiſtere, ſiue actu, ſiue poſſibiliter. Ratio eſt primò, quia omnis demonſtratio cuiuſuis ſcientiæ, debet verſari circa obiectum talis ſcientiæ, alioquin non pertineret ad illam; ergo debet ſupponere huiuſmodi obiectum; non autem eius exiſtentiam demonſtrare.

Secundò: omnis ſcientia debet intendere cognitionem proprietatum ſui ſubiecti per cauſas, vel per effectus talis ſubiecti: ſi per cauſas; ergo ſupponitur ſubiectum eſſe; quia illud cuius dantur cauſæ, debet exiſtere. Si per effectus: ergo debet quoque ſupponi ſubiectum eſſe, quia cauſa, cuius effectus exiſtunt, debet exiſtere actu, vel poſſibiliter.

Dixi, *demonſtratione à priori*: quia poſſunt eſſe aliqui effectus ſenſibiles, nobis notiores ipſo ſubiecto: ac proinde per eos poterit adæquatum ſubiectum demonſtrari à poſteriori: quia demonſtrationes præſupponent quidem ipſum eſſe in ſe, & à priori; ſed tamen non ita clarè cognitum, ac effectus illos ſenſibiles. Nihilominùs vt pluri-

mùm nihil magis est notum in qualibet scientia, quàm proprium subjectum esse, ac proinde quæcumque probationes afferri possunt de illius existentia, videntur inutiles. Dicunt etiam aliqui, in illis demonstrationibus factis à posteriori de existentia subiecti, non tam concludi existentiam de subiecto, quàm vnionem causæ cum effectu, aut definitionis cum re definita; vt cùm concludimus hominem esse animal rationale, quia est risibilis, non concludimus hominem existere, sed definitionem, scilicet *animal rationale*, de ipso: quæ conuenit illi, siue existat, siue non.

Dici denique potest cum Caietano 1. p. q. 2. art. 3. initio, non esse inconueniens scientiam aliquam probare suum subiectum esse, non quidem per se, & ex simpliciter propriis, sed per accidens: quomodo Theologia probat Deum esse dupliciter per accidens: primum accidens est imperfecta participatio luminis diuini, ex cuius defectu, nobis non constat statim Deum esse: secundum est conditio medij, quod est extraneum, & appropriatum, non verò proprium: quia scilicet hoc probat per nota lumine naturali, quæ nobis notiora sunt, quàm Dei esse.

22. Secunda difficultas nascitur ex eo quòd diximus præcognoscendum esse de subiecto *quid rei*: & quæritur vtrum aliqua scientia tradat, & explicet definitionem essentialem, & quidditatiuam sui subiecti: an verò illam debeat supponere.

Aliqui recentiores negant vllam scientiam tradere posse quidditatiuam definitionem sui subiecti totalis, eos erroris arguit Sotus hic, q. vnicâ, circa tertium argumentum, notabili secundo: & contrarium probat primo ex Aristotele, qui definitionem essentialem demonstrationis, quæ est subiectum horum librorum hic tradit, & explicat. Definit etiam enunciationem in libris de interpretatione, in prioribus analyticis syllogismum, animam in libris de anima: hæc autem omnia sunt obiectum tractatus in quo definiuntur.

Accedit ratio, quia quælibet scientia intendit cognoscere obiectum suum, & eius naturam manifestare: hoc autem maximè fit per definitionem quidditatiuam: & consequenter ad vnamquamque scientiam spectat definire proprium subiectum, eo modo, quo potest difiniri: siue sermo sit de subiecto totali, siue partiali.

Dices: Aristoteles 1. post. textu 2. asserit scientiam omnem supponere *quid est* sui subiecti, vt eum interpretatur diuus Thomas 6. Metap. lect. 1. litterâ *b.* in fine sic dicens: *qualibet scientia particularis supponit de subiecto suo quia est, & quid est vt dicitur in primo posteriorum.* Si autem scientia traderet definitionem essentialem sui subiecti, non supponeret eam, vt constat.

Respondeo cum Soto sensum Aristotelis & diui Thomæ esse, nullam scientiam particularem demonstrare quidditatiuam definitionem sui subjecti, saltem à priori. Et iste sensus patet ex Aristotele citato loco Meta-

physicæ, vbi ait, *ipsius quid est, nulla est demonstratio.* Et 1. Topic. c. 2. ait nullam scientiam demonstrare sua principia, inter quæ præcipuum est definitio subiecti, vnde eam vocat omnis demonstrationis caput, & principium in 1. de anima. c. 1. textu 11.

23. Et hinc sumitur ratio, cur non possit demonstrari à priori, quia scilicet definitio quidditatiua est primum prædicatum rei, cùm primas partes essentiæ contineat, quas nihil intrinsecum præcedit; imò in eis cætera omnia fundantur, ab iisque dependent: & ita non habent causam priorem intrinsecam, per quam probentur à priori.

Addunt alij rationem hanc, quia vt definitio apprimè demonstretur, debet resolui ad summos gradus, & radices primas quidditatis, vt in quo entis gradu res constituta sit, appareat. Hoc autem Metaphysicæ proprium est, quæ de ente, vt ens est, agit: cæterarum enim scientiarum considerat o ad certum genus entis limitata est. Et hæc quidem ratio vera est de exactissima, & perfectissima cognitione: sed in scientiis particularibus non exigitur perfectior, aut exactior definitionis subiecti cognitio quàm quæ in suo genere, & intra proprios limites haberi potest.

Cæterùm, quando dicimus quidditatiuam definitionem subiecti non posse à propria scientia demonstrari à priori, debet hoc intelligi de definitione, quæ non solùm totam rei quidditatem explicat, sed etiam totaliter, & adæquatè, hoc est, secundùm omnem illius compositionem physicam & metaphysicam; & secundùm dependentiam, quam ad diuersas causas habere potest. Etenim, si res aliqua plures habeat essentiales definitiones, poterit vna per aliam demonstrari: quomodò Aristoteles 2. de anima, c. 2. duas tradit animæ definitiones, & vnam demonstrat per aliam, etiam à priori, vt ibi ostendemus. Nam causæ possunt esse sibi inuicem causæ, vt dicemus in physicis, & quæ est prima in suo genere, potest esse posterior, & causari ab alia in alio genere, vt forma causatur à materia, & materia suo modo à forma. Vnde pari ratione, quamuis definitio, quæ est principium in genere physico, non possit in eodem genere demonstrari per principium, seu medium prius: potest tamen demonstrari per medium prius in genere metaphysico aut vice versa.

24. Tertia difficultas est, vtrum assensus præmissarum sint simul, & in eodem instanti cum assensu conclusionis: & huic occasionem dedit Aristoteles hoc 1. libro post. cap. 1. dum dixit maiorem propositionem priùs cognosci, quàm conclusionem: minorem verò simul cum ipsa conclusione: quando videlicet debitus ordo seruatur, vt exigit ratio discursus, nec minor ponitur majoris loco.

Rationem autem huius asserti Aristotelici aiunt multi hanc esse, quia intellectus non potest simul habere plures actus circa res diuersas: assensum autem maioris esse diuersum ab assensu conclusionis, & circa obiectum diuersum. Sed hæc ratio pugnat etiam contra simultatem assensus minoris, & conclusionis, quam tamen Aristoteles concedit.

Alij dicunt maiorem esse causam remotam conclusionis, minorem verò proximam. Nam eadem maior multis potest inseruire conclusionibus iuxta diuersitatem minorum, vt ista, *omne animal est sensibile*, potest inferre has conclusiones, *ergo equus, leo, Petrus est sensibilis.* At si semel ponatur minor, vna tantum conclusio poterit colligi, vt posità hac minori *sed omnis equus est animal*, potest solùm hæc inferri conclusio, *ergo omnis equus est sensibilis.* Cum igitur non sit opus causam remotam existere dum producitur effectus, sed tantùm proximam: non erit necesse maiorem existere dum infertur conclusio, sed poterit eam præcedere, sicut auus nepotem.

25. Nihilominùs, quamuis possimus assentiri maiori ante minorem, & conclusionem, quia maior non dependet à minori, neque à conclusione: tamen in ipso demonstrationis progressu oportet maiorem, & minorem simul influere in conclusionem, tanquam causas eius partiales, ac proinde oportet vt vtraque simul existat dum infertur conclusio, sub ea ratione, quâ in illam influunt. Sequitur enim conclusio vi formæ, & propter connexionem vtriusque extremi cum medio: quæ connexio, neque in maiori sola, neque in sola minori subsistit: & ideò neutra seorsim est causa adæquata conclusionis, sed simul sumptæ.

Quapropter, si Aristoteles ibi loquatur de ordine inter cognitiones maioris, minoris, & conclusionis (textus enim obscurissimus est, nec facile, quid velit, iudicari potest) dicendum puto, ipsum tantùm velle minorem necessariò cognosci simul cum conclusione: maiorem verò posse cognosci ante conclusionem, quamuis hoc non sit necessarium. Intellectus enim cognoscendo maiorem non adigitur, etiam in ipso demonstrationis progressu, ad eliciendam cognitionem minoris; neque consequenter conclusionis: at subsumendo minorem sub maiori; cùm conclusio necessariò sequatur ex positione præmissarum, vt constat ex definitione syllogismi, statim compellitur, per se loquendo, ad eliciendum conclusionis assensum, vt q. 1. sect. 7. ostensum est. Ideoque rectè dicitur cognitionem minoris, & conclusionis esse simul.

26. Verùm adhuc remanet difficultas, quâ ratione hoc intelligi debeat, cùm plures actus non possint elici ab intellectu in eodem instanti, & cùm iam assensus maioris transierit, quando formatur conclusio. Ad hoc breuiter Respondeo plures actus posse esse simul in intellectu, quando sunt sibi subordinati, & non versantur circa diuersa, vt diuersa: assensus autem conclusionis, & præmissarum sic se habent, cùm ordinentur ad vnum discursum constituendum; & assensus conclusionis inferatur ex assensu præmissarum. Ita multi, etiam ex Thomistis, vt Mailhatus. Quòd si assensus maioris iam fluxerit, repetitur in assensu conclusionis, vt diximus q. 1. numero 39.

Potest etiam dici, nos eodem actu assentiri conclusioni, & præmissis, ac proinde cognitionem præmissarum, & conclusionis esse simul: neq

opus esse, vt repetantur assensus formales præmissarum, sed solum eorum obiecta, ex quibus tanquam ex ratione formali, seu obiecto *quo*, & ex ratione obiectiua conclusionis formatur vnum totale obiectum *quod* intellectus, & ita vnico actu attingitur, vt q. 1. num. 43. & multoties ibidem explicuimus.

SECTIO IV.

De conditionibus necessarijs ad præmissas demonstrationis.

27. ENVMERAVIMVS supra, numero 3. conditiones necessarias præmissarum demonstrationis: de iis nunc specialiter, & sigillatim agendum restat. Prima itaque conditio est, quòd sint veræ. Ratio est quia propter præmissas assentimur conclusioni tanquam veræ: si autem falsæ essent, non possent esse causa veritatis conclusionis; nec intellectus assentiretur connexioni materiali extremorum conclusionis tanquam dependenti à præmissis ratione materiæ, si materia ipsa præmissarum esset falsa. Vnde quando dicitur 2. prior. c. 2. ex falso sequi aliquando verum, sermo est de consecutione veri ex falso ratione formæ syllogisticæ, non verò ratione materiæ, & consequentis, cuius veritas attendenda est in demonstratione, & non tantùm veritas, seu bonitas consequentiæ.

Secunda conditio est, vt sint necessariæ: alioquin syllogismus demonstratiuus non differret a topico, aut sophistico. Deinde scientia non potest esse certa, & infallibilis, nisi sit de obiecto necessario: si autem præmissæ non essent necessariæ, non posset ex illis inferri necessitas conclusionis, quæ obiectum scientiæ continet. Pro intelligentia verò huius conditionis.

Repetendum memoriâ est, duplex esse necessarij genus: aliud est simpliciter, & absolutè necessarium, quod ex sua natura tale est, vt aliter esse non possit, vt hominem esse animal rationale. Aliud est necessarium ex hypothesi tantum, quod ex natura sua potest esse, vel non esse tale: positâ tamen aliquâ conditione fit necessarium: vt paries potest esse vel non esse albus: sed posito quòd albus sit, necessariò est disgregatiuus visus.

28. Necessarium primi generis triplicem potest subire differentiam. Vel enim ita necessarium est, vt impossibile sit illud aliter se habere, vt hominem esse animal rationale. Vel solum necessarium est, habita ratione causarum naturalium, quia nulla potest illud mutare, quamuis à Deo possit destrui, vt Angelus, anima rationalis, cœli; connexio item pro-

prietatum cum essentia, vt risibilitatis cum homine. Vel denique necessitatem habet vt plurimùm, quia dependet à causis naturalibus, à quibus habet vt non possit non esse ex se, licet aliquando possit impediri, vt quòd æstate non vigeat calor, hyeme frigus, pluuiæ &c.

Ad demonstrationem itaque requiritur, & sufficit quæuis necessitas ex prædictis. Nam Aristoteles cap. 24. primi post. expresè asserit sufficere necessitatem tertio modo ex enumeratis, quæ omnium imperfectissima est. Et verò quod vt plurimum euenit, necessarium reputatur, saltem necessitate morali. Non enim demonstratur effectum semper euenire, sed tantùm prout subsstat virtuti, aut modo operandi causarum, qui nullatenus ex se deficere potest. Necessarium verò ex hypothesi, absque dubio sufficit, quia præmissæ, quæ hoc modo procedunt, non possunt vt sic, aliter se habere; ac poinde conclusionem inferunt necessariam, & infallibilem.

29. Tertia conditio exigit, vt præmissæ sint de prædicato vniuerso: illud autem sic explicat Aristoteles c. 4. huius lib. 1. post. text. 11. *Vniuersaliter autem illud competere dico, quod de omni dicitur, & per se, & secundùm quòd ipsum.* Tria ergo requiruntur ad hoc vt prædicatum sit vniuersale: primum, vt dicatur de omni, seu vt conueniat subiecto, & omnibus sub tali subiecto contentis, vt *homo est animal omnis homo est sensitiuus.* Ad quod reuocantur propositiones illæ, quæ fiunt de Deo, vt *Deus est bonus; Deus est iustus:* sunt enim virtualiter vniuersales, seu de omni, quia si (quod impossibile est) plures essent Dij, omnibus hæc attributa conuenirent. Idemque dicendum est de Angelis, si non multiplicentur numero in sua specie. Propositiones enim, quæ fiunt de ipsis, licet ex illa suppositione sint singulares, æquiualent vniuersalibus, quia essentiales sunt, & si plura darentur indiuidua eiusdem speciei, essent de prædicato vniuerso, & communi: quia quando aliquid demonstratur à priori de aliquo singulari, de eo demonstratur inquantum participat naturam speciei, & non vt singulare est; quamuis demonstratione à posteriori seu experimentali, hoc possit fieri, vt de Petro possumus demonstrare, quòd sit disciplinæ capax, hoc modo, *quisquis assequitur notitiam Grammaticæ, est disciplinæ capax: Petrus assequitur notitiam Grammaticæ: ergo Petrus est capax disciplinæ.*

30. Secundò requiritur ad prædicatum vniuersum, vt dicatur *per se*; pro cuius intelligentia aduertendum est hunc terminum *per se*, multas habere acceptiones: primò enim significat idē, ac *præcisè*, & *formaliter*, vt cùm dicimus animal per se non esse rationale: hoc est, quatenus est animal, præcisum, & abstractum à differentijs. Secundò significat oppositum huius termini *per aliud*: & sic dicitur quantitas extensa per se: substantia autem per quantitatem: & superficies dicitur alba per se, & paries albus per superficiem. Tertiò significat modum quemdam prædicationis, quo res aliqua de altera dicitur per se, hoc est, non per acci-

dens. Et in hoc vltimo sensu sumitur hoc loco.

Quatuor autem assignantur modi dicendi *per se*. Primus est quando prædicatum dicitur essentialiter de subiecto, siue vt tota illius definitio absoluta, siue tantùm vt pars, formaliter, aut virtualiter in definitione contenta. Et ita istæ propositiones sunt per se in primo modo, *homo est animal rationale: homo est substantia, est ens, est rationalis, est corpus &c.* Ad quem modum reducuntur propositiones, in quibus prædicatum dicitur essentialiter de subiecto in obliquo, vt *homo constat corpore, & animâ rationali, sensu, & ratione*; aliæque similes. Addunt alij eas, in quibus vna pars ponitur in definitione sui complexi, *vt homo albus est homo.* Sed de hoc à nobis disputatum est lib. 5. q. 2. à numero 23. Reijciuntur autem ab isto modo propositiones, in quibus differentia subalterna de inferiori, & genus de differentia prædicatur, quia vnum non est de formali, & primario alterius conceptu.

31. Secundus modus dicendi per se, est, quando proprietas specifica, vel generica, vel transcendens dicitur de suo subiecto, vt *homo est risibilis, est sensitiuus, est bonus*; sumendo bonitatem vt est proprietas entis. Et huius generis sunt propositiones illæ, in quibus subiectum ponitur in essentiali definitione prædicati, vt in ista, *risibile est homo aptus ad ridendum*: vel *risibilitas est ridendi facultas in homine.* Quod tamen intelligi non debet de eo quod ponitur in definitione vt pars, per se constituens, & definiens, quia hoc ad primum modum spectat: sed de eo, quod ponitur vt additamentum, vel vt terminus. Et sic homo est extra essentiam risibilis formaliter sumpti, solumque ponitur in definitione illius ad explicandam relationem transcendentalem, quam risibilitas dicit ad ipsum.

Debet item intelligi de eo, quod ponitur in definitione prædicati, tanquam subiectum illius determinatum, & adæquatum. Vnde istæ propositiones non pertinent ad istum modum, *numerus est par: linea est curua: oratio est vera*: quia numero &c potest conuenire oppositum: benè autem si fiant disiunctiuæ hoc modo, *numerus est par, vel impar: oratio est vera, vel falsa &c.*

Debet denique intelligi de eo subiecto, quod habet necessariam connexionem cum prædicato, ad excludenda accidentia communia, in quorum definitione licet ponatur subiectum: tamen non faciunt propositionem per se isto secundo modo, quia per accidens & contingenter insunt.

32. Tertius modus est, in quo existentia prædicatur de substantia, vt *Petrus est, Petrus existit.* Intelligitur autem existentia per se, & in se, non in alio, hoc est existentia independens, quæ subsistentia dicitur, solique conuenit substantiæ: vnde ista non est per se, *albedo existit.* Et hic modus potiùs dicitur modus per se existendi, vel essendi, quàm prædicandi, licet secundariò possit dici modus prædicandi.

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE

Quartus modus, qui dicitur propriè modus per se causandi, est quando effectus dicitur de causa illa, à qua per se proficiscitur : seu quando subiectum continet, & exprimit causam per se prædicati, vt in istis propositionibus *pictor pingit* : *musicus canit* ; *iugulatus interijt* : quæ valde ab istis differunt, *pictor canit* ; *musicus pingit*. Per accidens enim est respectu cantus, quòd ille qui canit, sit pictor ; & sic de alijs. Quamuis autem illæ propositiones sint accidentariæ, si consideretur modus prædicandi ; tamen in ratione causalitatis, sunt per se. Vnde Aristoteles rectè dixit, ea solùm dici per se in ratione prædicationis, quæ iuxta primum, & secundum modum dicuntur : quia alij duo sunt quidem per se, sed alter in ratione essendi per se, alter in ratione per se causandi.

Aristoteles autem 5. Metaphysicæ c. 7. tres assignat modos per accidens, quorum primus est quando aliquod accidens commune dicitur de aliquo subiecto, vt *homo est albus*. Et hic opponitur duobus primis modis per se. Secundus est quando viceuersa subiectum dicitur de accidente, vt *album est homo*. Tertius denique, quando accidens enunciatur de accidente, seu quando prædicatum, & subiectum ita se habent, vt vnum non sit causa alterius, vt *musicus est albus* : *dum Petrus studet, pluit*. Additur quartus, in quo existentia prædicatur de accidente, vt *albedo est*.

33. Vltimum quod requiritur ad prædicatum vniuersum, est, vt prædicatum dicatur de subiecto *secundùm quod ipsum*, hoc est, quatenus tale est reduplicatiuè, adeò vt reciprocari debeat cum illo, atque conuerti, & ita illi esse proprium, non commune, vt D. Thomas, Caietanus, Albertus magnus, alijque sentiunt contra Sotum hic q. vnicâ, vbi vult idem esse, prædicatum conuenire subiecto vniuersaliter, & secundùm quod ipsum : ac illi conuenire per se primò, & immediatè : ita vt hæc propositio *homo est animal*, sit de prædicato vniuerso.

Verùm Aristoteles expressè hic asserit, terminum *secundùm quod ipsum*, aliquid addere supra alios duos *de omni*, & *per se* : nimirum quod prædicatum subiecto conueniat vt subiectum tale est formaliter : animal autem non conuenit homini vt talis est simpliciter, quia conuenit alijs, vt equo, boui : vnde quod conuenit rei vt talis est, debet illi esse proprium, cuiusmodi est tota definitio, vel differentia, vel propria passio.

34. Ex his potest satis colligi non esse opus omnem demonstrationem esse de prædicato vniuerso. Nam in primis multæ sunt, in quibus prædicatum non reciprocatur cum subiecto, vt in ista, *omne viuens est substantia : omnis homo est viuens : ergo omnis homo est substantia*. Vnde Aristoteles, quando contrarium asserit, loquitur de accuratissima demonstratione, in qua prima passio demonstratur de subiecto per propriam definitionem, vt est ista, *omne animal rationale est intellectiuum* ; *omnis homo est animal rationale : ergo omnis homo est intellectiuus*.

Multæ

Multæ præterea sunt, in quibus præmissæ non sunt per se vllo ex quatuor modis assignatis, vt quæ fiunt a posteriori, qualis ista est: *omne risibile est rationale: Petrus est risibilis: ergo Petrus est rationalis.* In demonstrationibus verò à priori, & *propter quid* sæpe præmissæ sunt per se in primo modo: sæpe in secundo, sæpe in quarto. Vt in ista, *omne calidum natum est calefacere: omnis ignis est calidus: ergo omnis ignis natus est calefacere.* Omnes sunt in quarto modo. In ista verò, *omne animal, disciplinæ capax, est risibile: omnis homo est animal, disciplinæ capax: ergo omnis homo est risibilis.* Omnes sunt in secundo. Similiter in ista omnes sunt in primo, *omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.* Denique in ista reperiuntur tres modi *per se*, *omne animal rationale est capax disciplinæ: omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est capax disciplinæ.* Nam maior est in secundo, & etiam in quarto, quia continet causam prædicati: minor est in primo, quia prædicatum est tota definitio subiecti: & conclusio est in secundo, quia in ea prædicatum est proprietas subiecti.

Tres itaque modi *per se*, primus, secundus, & quartus, erunt apti ad demonstrationem quia faciunt propositiones necessarias: magis autem primus, & secundus, quàm quartus, eò quòd effectus possunt prodire à multis causis. Tertius verò non est adeò aptus in creatis, quia existentia est contingens cuilibet creaturæ.

35. Quarta, quinta, sexta, & septima conditio, necessaria ad præmissas demonstrationis, est vt sint primæ, immediatæ, indemonstrabiles, & per se notæ. Hæc autem omnia idem sunt apud Aristotelem. Eadem enim propositio dicitur prima, quia non habet priorem, quâ demonstretur: immediata, quia caret medio, per quod probetur: indemonstrabilis, quia non potest demonstrari: & per se nota, quia probatione non eget.

Potest autem aliqua propositio dici immediata &c tribus modis, primo ita vt careat medio à priori, non à posteriori: secundo à posteriori, non à priori: tertio, & à priori, & à posteriori. Primo modo se habet ista, *homo est rationalis*, quæ demonstrari potest à posteriori per risibile, & alias proprietates; non verò per aliquid prius. Secundo modo ista, *homo est risibilis*, quia nulla datur proprietas posterior risibilitate, per quam demonstrari possit. Tertio denique modo ista, *totum est maius sua parte: quodlibet est, vel non est*: cæteraque principia, quæ prima vocantur, quia nihil datur prius, per quod demonstrari possint; neque posterius, quod sit ipsis notius: & ita sunt prima, immediata &c secundùm naturam suam, & etiam secundùm nos: ideoque dicuntur carere medio in essendo, & medio cognitionis, seu in cognoscendo.

Alia verò quæ possunt probari à posteriori tantùm, dicuntur carere medio in essendo, non in cognoscendo, vt ista, *homo est rationalis*, &

generaliter illæ, quarum obiecta sensibus percipiuntur, vt *ignis est calidus: aqua est frigida*. Nihilominùs quamuis hæ probari possint à posteriori, dicuntur tamen indemonstrabiles secundùm quid, & quando demonstrationem ingrediuntur, sumuntur tanquam indemonstrabiles, & vt antea probatæ.

36. Ex quibus colligere licet, quòd quamuis possit esse aliqua demonstratio, in qua præmissæ sint omnibus modis primæ, indemonstrabiles immediatæ &c. Quando nimirum adhibetur aliquod primum principium, vt in ista *omne totum est maius sua parte: sed manus est totum respectu digiti: ergo manus est maior digito*: hoc tamen non est necesse in omnibus, vt patet in demonstrationibus à posteriori: & in multis a priori, quarum præmissæ possunt probari adhuc à priori, vt in ista, *omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus: ergo est risibilis:* possunt enim adhuc probari à priori per discursiuum, & rationale. Oportet tamen vt in demonstrationibus à priori, propriè dictis præmissæ sint immediatæ respectu conclusionis, vt contingit in proximè data: quia dicuntur propriæ eò quòd faciunt scire rem per causam illius proximam. Denique vniuersaliter loquendo, præmissæ debent esse primæ, indemonstrabiles, &c. saltem secundùm quid, & accipi tanquam probatæ, quia propter eas debemus assentiari conclusioni.

Aliæ sunt conditiones præmissarum demonstrationis, nempe quòd debeant esse priores, & notiores conclusione, & illius causam continere. Priorem expendemus sectione sequenti. vltimam verò quæstione proxima, inquirendo quæ causæ possint esse medium demonstrationis. Interim.

37. Quæres quæ sit differentia inter *axioma, dignitatem*, & *positionem*. quæ sunt membra diuidentia propositionem immediatam, vt eam diuidit Aristoteles hoc loco?

Respondeo, *axioma* definitur ab Aristotele *principium syllogisticum, indemonstrabile, per se cognitum à discipulo antequam ad præceptorem accedat*. Et vocatur à Cicerone *effatum*; ab aliis *maxima*, a nonnullis *proloquium*, & à multis *dignitas*, quia sit propositio digna, cui credatur.

Positio definitur ab Aristotele *principium indemonstrabile, quod non est opus esse præcognitum ab eo, qui ad discendam aliquam scientiam accedit*. Quia scilicet in tali scientia explicatur. Quia tamen breuis requiritur explicatio, ideo sine longa probatione doctor illud constituit, seu ponit vt verum, vnde vocatur *positio*

SECTIO V.

EXPLICATVR AXIOMA.

Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

38. CVM propter præmissas assentiamur conclusioni, omnis eius perfectio videtur ab illis deriuari; & consequenter veritas, certitudo, immutabilitas, &c. potiori iure ipsis conuenire, iuxta huiusmodi axioma, quod hic explicandum suscipimus, vt conditiones aliquæ, ad præmissas demonstrationis requisitæ, & in præcedentibus memoratæ intelligantur.

Multæ autem sunt huius principij, seu effati interpretationes. Paulus venetus ait illam particulam, *propter*, denotare causam aliquam, non materialem, formalem, aut finalem, sed efficientem, eamque principalem, à qua effectus ita essentialiter dependeat, vt causa amotâ, statim amoueatur. Has enim conditiones exigit venetus, & insuper vt causa intelligatur esse magis talis, vel formaliter, vel eminenter: quomodo valet hæc consequentia, *hæc inferiora calida sunt propter Solem ergo Sol est magis calidus*: virtualiter scilicet, seu eminenter. Ista verò non est bona *ignis A est calidus propter ignem B à quo productus est; ergo ignis B. est magis calidus*: quia ignis A non dependet essentialiter ab igne B. Ista similiter non valet *homo est calidus propter motum; ergo motus est magis calidus*; quia motus non est causa principalis caloris, sed instrumentalis tantùm.

Quòd autem non debeat intelligi de aliis tribus causis patet ex falsitate istarum consequentiarum, *homo interit propter materiam: ergo materia magis interit* quæ tamen est incorruptibilis. *Paries est albus propter albedinem. ergo albedo est magis alba. Homo ambulat propter sanitatem ergo sanitas magis ambulat*: quod exemplu est de causa finali.

39. Alij quadam conditiones assignant, vt prædictum axioma veritatem habeat. Prima est, vt si particula, *magis*, idem sit ac *intensius*, ea, inter quæ fit comparatio, suscipiant magis, & minus, seu intendi possint, & remitti. Secunda vt conueniant in natura vniuocè. Tertia, vt vnum sit causa alterius eâ ratione, vt prædicatum conueniat effectui solùm quia conuenit causæ, seu vt effectus non habeat aliunde, quàm à causa. Adduntur & aliæ duæ, scilicet vt attributum sit quid positiuum, & vt sit quid numero diuersum in causa, & in effectu. Quibus conditionibus positis non videtur axioma vmquam à veritate alienum.

Iuxta primam conditionem hæc consequentia est bona, *aqua est calida propter ignem, ergo ignis est magis, ideſt intensiùs calidus*. Hæc autem non valet, *Petrus est risibilis propter paulum Patrem: ergo Paulus est magis risibilis*: quia risibilitas non suscipit magis, & minus.

Defectu secundæ conditionis hæc non valet. *Petrus est ebrius propter vinum: ergo vinum est magis ebrium*: quia ebrietas non conuenit vino, nisi efficienter.

Secundùm tertiam bona est ista: *stellæ sunt lucidæ propter solem: ergo sol est magis lucidus*. Hæc verò falsa defectu illius: *Aristoteles est doctus propter Platonem: ergo Plato est magis doctus*: quia doctrina Aristotelis non est tota à Platone.

Iuxta quartam conditionem hæc non est bona, *homo est cœcus propter oculum; ergo oculus est magis cœcus*: quia cœcitas est attributum priuatiuum.

Defectu tandem quintæ, hæc etiam non est legitima, *homo videt propter oculum; ergo oculus magis videt*; quia visio est eadem numero in oculo, & homine.

40. Concurrentibus ergo his quinque conditionibus, & ascitis, quas affert Venetus, vix vllæ possunt afferri instantiæ contra veritatem prædicti effati, etiam in quolibet genere causæ. Nam in genere causæ materialis hæc est legitima consequentia, *quantitas est subiectum accidentium propter materiam; ergo materia est magis eorum subiectum*. Pro formali etiam hæc valet *actus temperantiæ meritorius est propter caritatem: ergo caritas magis meritoria est*. Pro finali quoque ista est accurata, *Petrus amat deambulationem propter sanitatem: ergo magis amat ipsam sanitatem*. Ratio generalis horum omnium est, quia cùm effectus supponatur accipere aliquid à causa, ipsa debet illud habere, & potiori ratione, & iure illud causæ debet conuenire.

Alij sic explicant illud axioma, vt duas solum conditiones exigat, vt verum sit. Prima est, vt attributum conueniat formaliter duobus, inter quæ fit comparatio. Secunda quod alteri eorum conueniat dependenter ab alio; alteri verò independenter, & ratione sui: quarum si vel altera desit, falsum erit, vt quisque cernere potest in datis exemplis.

Caietanus denique 2. post. c. 2. *§ circa propositionem illam*, omnes supradictas conditiones & limitationes reducit ad hanc breuissimam regulam. *Tunc valet istud axioma, quando totus effectus potest reflecti supra veram causam*: vt sensus sit, *quando aliquid est tale propter aliud, quia illud aliud est tale, illud aliud, propter quod est tale, est magis tale*: quæ regula comprehendit duas proximè assignatas conditiones, vt constat. Hoc autem modo, istud axioma nullas patitur instantias.

41. His explicatis, videndum est (quod ad nostrum institutum attinet) vtrum præmissæ demonstrationis debeant esse priores, & notiores conclusione, cùm propter eas ipsi præbeamus assensum. Facilis autem erit quæstionis solutio, si priùs aduertamus quæ numero 35. præmisimus, nimirum præmissas posse dici priores, & notiores duobus modis, nempe vel secundùm se, vel secundùm nos: seu naturâ suâ, & nobis. Priori modo causa dicitur prior, & notior suo effectu: & essentia suis proprietati-

bus : posteriori modo effectus notior est, & prior suâ causâ : & proprietates essentia, à qua fluunt.

Duobus præterea modis intelligi potest, quòd aliquid sit notius nobis: primo, ita vt *notius nobis*, idem sit, ac *secundùm nostrum modum intelligendi* : quomodo propinquiora sensibus, vt sunt singularia, nobis sunt notiora. Secundo, ita vt nobis notius sit illud, cui firmius adhæremus, & cum maiori certitudine assentimur. In quo secundo sensu idem potest esse prius, & notius naturâ suâ, & nobis, vt rationale risibili, si magna adhibetur diligentia, & attentio. Hoc prænotato.

42. Manifestum est primò in demonstratione à posteriori, in qua causam per effectus, & essentiam per proprietates demonstramus, præmissas non debere esse priores, & notiores conclusione secundùm se, & naturâ suâ, cùm conclusio contineat causam, vel essentiam, quæ naturâ sunt priores, & notiores effectibus, & proprietatibus, vt diximus.

Manifestum est secundò præmissas debere esse priores, & notiores conclusione, saltem secundùm nos. Ita omnes communiter Aristotelis interpretes. Et ratio est clara, quia demonstratio est discursus qui est progressio à notioribus ad minùs nota, vt ostendimus q. 1 huius libri. Deinde illud quod est tale per se, est magis tale, quàm illud, quod est tale per aliud; vt ignis est magis calidus, quam aqua ab illo igne calefacta: sed in demonstratione conclusio est nota, certa, & euidens propter præmissas : ipsæ verò præmissæ sunt notæ per se : ergo &c.

Vnde in demonstratione concurrunt omnes conditiones requisitæ ad veritatem prædicti axiomatis, & consequenter in ea maximè habet locum. Et si particula, *magis*, idem significat, ac *maiori ratione*, & *nobiliori modo*, euidens est illud axioma positis alijs conditionibus, vim semper habere in demonstratione. Nam præmissæ vel sunt indemonstrabiles, vel demonstrabiles? si primum : ergo earum cognitio est perfectior, & nobilior, cùm à nulla alia dependeat. Si secundum : etiam erit nobilior cognitione conclusionis, quia ab ipsâ non dependet, sed contrà.

43. Cæterùm quando dicitur præmissas debere esse notiores conclusione, hoc intelligitur de vtraque præmissa: quia, cùm conclusio sequatur debiliorem partem, saltem vtplurimùm, non fieret progressio à notioribus. Hoc tamen debet intelligi quando tota conclusionis notitia, & certitudo dependet à præmissis: quia si conclusio aliquo exteriori lumine adiuuetur, poterit esse notior aliquâ ex præmissis, imò vtrâque, secundùm aliquos, vtpotest probari in duobus sequentibus syllogismis: *omnis homo est risibilis, Christus est homo : ergo Christus est risibilis. Omne infinitum secundùm essentiam est vnum : Deus est infinitus secundùm essentiam : ergo Deus est vnus.* In primo enim conclusio est nota lumine fidei, quia sufficienter probatur reuelata esse à Deo in illa minori, *Christus est homo*, ideoque certior est, atque notior, maiori, quæ lumine tantùm naturali est nota. In secundo verò conclusio est expressè à

Deo reuelata, & præmissæ sunt tantùm naturaliter notæ: ideoque certior & notior est ambabus.

Sed quid hac in re dici possit, superiùs tetigimus multis in locis, vt q. 1. huius libri, numero 59. & 60. quæst. 4. numero 7. &c.

QVÆSTIO VI.

De medio demonstrationis, & de regressu.

1. VLTIMAM conditionem præmissarum demonstrationis in hunc specialem locum remisimus, quia concernit medium, ex quo vis omnis, & efficacia ipsius demonstrationis procedit, ac dependet. Ostendendo igitur quæ causæ possint assumi pro medio ad aliquid demonstrandum, simul apparebit quomodo præmissæ debeant esse causa conclusionis, quæ est prædicta earum conditio.

SECTIO I.

Quæ causæ possint esse medium demonstrationis propter quid.

ADVERTENDVM est primò quatuor esse causarum genera, materialis, formalis, efficientis, & finalis. Materialis est, quæ effectum in se recipit. Formalis, quæ dat esse effectui, seipsam communicando, & materialem informando. Finalis est, cuius gratia fit effectus. Efficiens denique est, quæ ipsum producit effectum. Verbi gratia dum ignis calefacit aquam, causa materialis est aqua, recipiens in se calorem: formalis est ipse calor, qui facit esse calidum per se ipsum, informando aquam: efficiens est ignis producens calorem; finalis est, vt aquam sibi similem efficiat. Ad rem autem præsentem, materialis est etiam illud omne, ex quo aliquid fit tanquam ex parte componente: formalis verò est quidditatiua rei definitio.

Aduertendum est secundò aliam esse causam per se, aliam per accidens. Causa per se est illa, quæ verè influit in effectum, in quocumque influxus genere ex quatuor supradictis. Causa per accidens, pro re præsenti est, quæ non influit in effectum; ita vt sine ea effectus æquè secuturus sit: dicitur tamen causa, quia est coniuncta, & connexa cum cau-

sa per se, vt in his propositionibus, *purpuratus urrit musica ædificat.* Neque enim purpura causa est curtus; neque musica ædificationis.

2. Cùm autem præmissæ demonstrationis à priori, debeant esse necessariæ; & medium illius debeat esse causa, propter quam res est; constat causas per accidens, nullâ ratione posse esse medium demonstrationis. Nec item causas *per se* vniuersales, quales sunt Deus, & Cœli, prout nimirum vniuersales sunt. Vnde si quæratur cur homo sit ad nirationis, non benè respondebitur, *quia Deus illum produxit*, vel, *quia Cœli ad generationem eius concurrerunt.* Dixi, *vt vniuersales sunt*: quia si aliquis effectus ab ipsis adæquatè dependeat, poterit per eas demonstrari: quomodo si quæratur vnde proueniat diuersitas quatuor anni tempestatum, rectè respondebitur prouenire eam ex obliquo Solis tramite, & motu, secundùm quem magis, vel minùs à nostro zenit seu vertice remouetur.

Aduertendum est tertiò, aliam esse causam actualem, quæ verè, & propriè influit in effectum, vt ignis respectu caloris: aliam virtualem, quæ reuera non influit, nec aliquem producit effectum; dicitur tamen causa, quia, si illud, quod impropriè dicitur effectus, aliquam agnosceret causam, à nulla alia prodiret, quàm ab ipsa: vt, si dari posset aliqua causa æternitatis Dei, nulla esset alia, quàm immutabilitas illius: vnde æternitas se habet per modum proprietatis secundùm nostrum modum intelligendi; & ita immutabilitas dicitur causa virtualis æternitatis: quamuis hæc omnia in Deo sint quid simplicissimum. His prænotatis.

3. Dicendum est primò, causam virtualem posse esse medium demonstrationis *propter quid, & à priori.* Probatur hoc exemplo, *omne immutabile est æternum: Deus est immutabilis: ergo Deus est æternus.* Hic enim syllogismus non est sophisticus, quia propositiones eius sunt verissimæ: non est topicus, quia sunt certissimæ: non est à posteriori, quia immutabilitas non est effectus æternitatis, nec intelligitur, vt quid illâ posterius: ergo erit demonstratiuus à priori. Idem dic de isto, *omne immateriale est immortale: Deus est immaterialis: ergo Deus est immortalis.*

Videmus enim in his inferioribus materiam esse principium corruptionis, & mortalitatis: vnde cùm sciamus Deum esse immaterialem, colligimus à posteriori ipsum esse immortalem. Licet enim immaterialitas, & immortalitas in Deo sint vnum, & idem: concipimus tamen vnum ab alio fluere, tamquam proprietatem, quia inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intelligimus, vt ait Diuus Paulus Rom. 1. vnde patet causam virtualem posse esse medium demonstrationis à priori. Plurimæ quippe sunt huius generis demonstrationes in Metaphysica.

4. Dicendum est secundò causam materialem, seu subiectiuam alicuius proprietatis posse esse medium demonstrationis ad ostendendam talem proprietatem de minori extremo: itemque causam formalem extrin-

sec m. Probatur prima pars istis demonstrationibus *omne materiale sublunare est corruptibile : omne lignum est materiale ergo omne lignum est coruptibile.* Item si quæratur quare hæc demonstratio pariat scientiam, *omne rationale est risibile : omnis homo est rationalis : ergo omnis homo est risibilis* rectè respondebitur per causam materialem hoc modo: *omnis syllogismus constans propositionibus certis, necessarijs &c. causisque conclusionis generat scientiam : sed hic est huiusmodi : ergo &c.*

Affert aliud exemplum Aristoteles 2. post c. 11. hoc modo, *Angulus, qui est medietas duorum rectorum, est rectus : sed Angulus semicirculi est huiusmodi : ergo est rectus* Cùm enim pars sit causa materialis totius, illa demonstratio est per causam materialem, eò quòd ille Angulus probatur rectus esse, quia est media pars duorum rectorum. Est autem Angulus semicirculi ille, qui fit ex concursu duarum rectarum ad circumferentiam, quarum quælibet terminatur ad extremitatem diametri ciusdem semicirculi. De quo lege propos. 31. lib. 3. elem. Euclidis.

Secunda pars de causa formali extrinseca, quæ dat quasi speciem rei, eam extrinsecè terminando, probatur ex istis demonstrationibus : *omnis scientia circa corpus naturale, vt naturale occupata, est speculatiua : sed Physica sic se habet : ergo est speculatiua.* Similiter: *omnis potentia intellectiua est spiritalis : intellectus est potentia intellectiua : ergo est spiritalis.* Præmissæ enim continent causam extrinsecam formalem conclusionis: formalem quidem, quia sicut materia determinatur à forma, ita scientia, & potentiæ ab obiecto : extrinsecam verò, quia actus, & obiecta essentiam scientiarum, vel potentiarum intrinsecè non componunt. Dixi causam formalem extrinsecam, quia de intrinseca, sumpta pro definitione quidditatiua, agemus sectione sequenti.

5. Dicendum est tertiò, causam efficientem, & finalem posse etiam esse medium demonstrationis *propter quid.* Ita Aristoteles, & alij communiter. Probatur prima pars de causa efficiente in his demonstrationibus: *quidquid à Deo fit, est bonum : sed omnis creatura à Deo fit : ergo omnis creatura est bona. Omne rationale est discursiuum : omnis homo est rationalis : ergo omnis homo est discursiuus.* Rationale enim est causa efficiens per emanationem, ipsius discursiui.

Secunda pars de causa finali etiam patet. Si enim quæratur ratio deambulationis, respondebitur per causam finalem, scilicet propter sanitatem: item ex fine dentium & aliorum instrumentorum, quæ ad secandum ordinantur, rectè infertur quod dura, & acuta esse debeant. Præterea in ista demonstratione hoc ostenditur. *Quidquid ad bonum finem ordinatur, est bonum : eleemosyna, facta ex caritate, ad bonum finem ordinatur : ergo est bona*

Ratio istorum est, quia ad demonstrationem sufficit vt causa sit necessariò connexa cum effectu : sic autem se habet causa efficiens, & finalis in prædictis exemplis.

SECTIO

SECTIO II.

Quodnam sit medium potissimum demonstrationis à priori.

6. IN superioribus extendimus, medium demonstrationis *propter quid*, debere esse causam eius quod demonstratur: quæ autem causa sit principale medium potissimæ demonstrationis, non constat inter omnes: suntque hac de re tres diuersæ Philosophorum sententiæ. Prima Auerrois 1. post. com 21. & q. 12. Ægidij 2. post. in q. de medio demonst. & aliorum quorumdam existimantium tale medium principale esse definitionem proprietatis, quæ de subiecto demonstratur. Secunda est Scoti 2. post. q. 56. & Scotistarum communiter, qui volunt illud medium esse definitionem ipsius subiecti, de quo passio demonstratur.

Tertia denique est diui Thomæ 2. post. lect. 1. litterâ *g.* sub finem, & opusculo 38. si tamen illius sit opusculum: scilicet medium præcipuæ demonstrationis esse definitiones vtriusque, passionis nempe, & subiecti, in vnum conglobatas; adeo vt vtraque in vna demonstratione pro medio assumatur, vt interpretatur Caietanus dicto libro, c. 20. vel sicut Lauellus, ita vt prius in vna demonstratione, ipsa passionis definitio demonstretur per definitionem subiecti, in quo ab Scoto non discrepat: deinde in alia demonstratione, minùs præcipua, demonstretur passio de subiecto, mediante passionis definitione, anteà demonstratâ.

7. Ad quæstionis solutionem, sciendum est, cuiuslibet rei essentiam duobus modis spectari posse: primò vt est in se absolutè: secundò, vt est causa alicuius effectus, quicumque ille sit. Cùm autem definitio quidditatiua rei, sit ipsamet illius essentia, poterit consequenter his duobus modis spectari, hoc est, in ordine ad ipsammet rem, & in ordine ad aliquem effectum, ex ipsa consequentem. Hæc enim duo, saltem ratione ratiocinatâ distinguntur.

Cùm autem præmissæ demonstrationis continere debeant causam conclusionis: consequenter medium eius, si sit definitio vel subiecti, vel passionis, debet sumi sub ea consideratione, quâ est causa connexionis vtriusque.

Duplex autẽ proprietatis genus esse potest. Nam alia est interna ipsi subiecto, de quo demonstratur, ab eoque manat, vt est risibilitas respectu hominis. Alia est externa, quæ à subiecto non fluit; sed prouenit ab aliqua causa extrinseca, vt est eclipsis, quæ ex essentia Lunæ nequaquam oritur, sed sequitur ex interpositione terræ inter Lunam, & Solem. His præmissis.

8. Dicendum est primò, medium demonstrationis, in qua ostenditur passio extrinseca de subiecto, non esse definitionem subiecti, neque ipsius passionis, sed causam ipsam extrinsecam, à qua talis passio prouenit. *V.g.* ad demonstrandam eclipsim de Luna, non est sumenda pro medio definitio Lunæ, vel eclipsis, sed ipsa terræ interpositio. Probatur, quia nec definitio Lunæ, nec definitio eclipsis, est causa eiusdem eclipsis, vt per se patet: sed ipsa terræ interpositio, quæ impedit ob suam opacitatem, ne radij solis in Lunam traijciantur. Ergo cùm demonstratio exigat causam passionis demonstrandæ, sumenda non erit definitio passionis, vel subiecti, sed causa extrinseca.

Dicendum est secundò, si sermo sit de medio, quod est causa completa, & adæquata connexionis, ipsius passionis cum subiecto, vtramque simul definitionem, & subiecti, & passionis, esse medium potissimum demonstrationis à priori. Ita diuus Thomas locis citatis, & Caietanus cum aliis. Ratio est, quia id, quod sub scientiam cadit primò, & per se, non sunt ipsa conclusionis extrema, sed extremorum illorum connexio: ergo illud quod erit causa huiusmodi connexionis, erit præcipuum medium demonstrationis. Hoc totum patet. Sed definitio vtraque, scilicet passionis, & subiecti, est causa connexionis vtriusque: ergo vtraque definitio erit potissimum demonstrationis medium.

9. Probatur minor: quia id quod est causa extremorum, est causa connexionis eorumdem. Connexiones enim internæ, simpliciter necessariæ, non possunt habere aliam causam, ex qua fluant, quàm eam, quæ ipsorum extremorum causa est. Definitio autem subiecti, & passionis est causa præcipua, & formalis vtriusque extremi, ac proinde connexionis vtriusque inter se: & ita medium adæquatum demonstrationis, vtramque definitionem simul complectetur, ideoque præcipuum medium erit, quia quod integram causam continet, multò perfectius est eo, quod partialem tantùm causam complectitur.

Hoc ergo modo formabitur demonstratio, ex hac sententia, probando hominem esse discursiuum: *omne animal rationale, habens facultatem discurrendi, est discursiuum: omnis homo est animal rationale, habens facultatem discurrendi: ergo omnis homo est discursiuus.* Neque hoc est petere principium, & idem per seipsum probare: quia definitio distinguitur virtute saltem à definito; quæ distinctio sufficit ad demonstrationem, vt ostensum est numero 3. Dixi *virtute saltem*: quia si definitio traderetur per causas externas, differret actu à definito.

10. Dicendum est tertiò (si sermo sit de medio simplici, & incomplexo, vnam tantummodo causam complectente, quomodo frequentiùs loquuntur Philosophi, quia agunt de demonstratione simplici) medium præcipuum demonstrationis esse definitionem subiecti. Ita Scotus citatus & alij.

Probatur primò ex Aristotele lib. 1. de anima, c. 1. textu 11. vbi ait,

omnis demonstrationis principium est ipsum quid est, hoc est, primum demonstrationis argumentum, seu medium est ipsa definitio, scilicet subiecti, vt patet ex textu.

Probatur secundò: Ea definitio est præcipuum demonstrationis medium, à qua præcipuè pendet extremorum connexio: at hæc pendet potiùs à definitione subiecti, quàm passionis: ergo definitio subiecti, & non passionis, erit præstantissimum demonstrationis medium. Probatur minor: quia definitio passionis est tantùm proxima causa essentiæ, eiusdem passionis, & connexionis eius cum subiecto, ex parte sui, & non ex parte subiecti.

11. At definitio subiecti, præterquam quòd est causa proxima ipsius subiecti, est etiam causa passionis, & causa connexionis non tantùm ex parte subiecti, sed etiam ex parte Passionis, licet magis remotè; ergo connexio extremorum magis dependet à definitione subiecti, quàm à definitione passionis, vnde manifestè concluditur definitionem subiecti esse præstantius medium, quia est independens ab alio: definitio autem passionis dependet à subiecto, sicut & eius essentia.

Huiusmodi autem probationes debent intelligi de demonstratione potissima, in qua prima passio demonstratur de subiecto: nam in aliis talis subiecti definitio non est causa proxima, sed remota: vnde non est opus eam apponere, sed solummodò illam proprietatem à qua proximè emanat, saltem tanquam à causa virtuali, proprietas, quæ demonstratur: vt in ista demonstratione, *omne admiratiuum est risibile: omnis homo est admiratiuus: ergo omnis homo est risibilis.* Nam in ea, quamuis admiratiuum sit proxima causa, saltem virtualis, risibilitatis; non est tamen de definitione quidditatiua hominis, cùm sit illius proprietas.

12. Ex omnibus, quæ diximus de syllogismo demonstratiuo, liquidò constat ipsum esse perfectissimum sciendi instrumentum. Per eum enim cognoscimus rem per propriam causam: in demonstratione quidem a priori, per causam rei, seu causam in essendo: in demonstratione verò à posteriori, per causam cognitionis, vt suprà explicatum est. Sed dum procedit à priori, maximè conueniens est, & conformis, tum naturæ rerum, quæ sciuntur; tum naturæ nostri intellectus, qui in progressu cognitionis suæ numquam quiescit, donec ad aliquam propositionem, per se notam, & immediatam perueniat, in qua vera causa eius, quod cognoscit, contineatur: vnde non assentitur conclusioni cum tanta propensione, & adhæsione nisi causam illius in præmissis cognouerit: si tamen talis conclusio causam aliquam habere possit.

Quòd autem conueniat naturæ rerum cognoscendarum, ex eo patet, quòd modus cognoscendi sequitur modum essendi: vnde si res habet aliquam causam, à qua dependeat in suo esse, postulat cognosci per illam, ad hoc vt intelligatur secundùm modum naturæ suæ debitum.

13. Quænam porro figura sit maximè apta ad demonstrationem, hic

inquiri solet : & satis euidens est primam figuram esse omnium aptissimam, illudque docet Aristoteles 1. post. c. 11. indigent enim cœteræ figuræ beneficio primæ , cùm per eam probentur, & confirmentur demonstrationes in ipsis formatæ.

Præterea modi affirmatiui sunt perfectiores negatiuis, & vniuersales particularibus : prima autem figura sola continet modum affirmatiuum vniuersalem, nempe *Barbara*, qui cœteros omnes & euidentiâ, & naturali discursus ordine superat. Per eum enim quid res sit, & propter quid sit vniuersaliter scitur : in aliis verò tantùm quid res non sit, vt in negatiuis : aut si sciatur quid sit, hoc tantùm fit particulariter, atque adeò minùs perfectè, quia perfectius est plura cognoscere, quam pauciora. Deinde conclusiones particulares dependent ab vniuersalibus, & in eas resoluuntur. Tertiò demonstratio vniuersalis constat ex prioribus naturâ, scilicet ex vniuersalibus : & sic maximè pertinet ad intellectum : particularis verò magis accedit ad sensum: nam beneficio sensuum, singularia: intellectus autem ope vniuersalia percipimus.

SECTIO III.

De demonstratione circulari seu de Regressu.

14. ADVERTENDVM est primò, demonstrationem circularem esse illam, in qua ex præmissis colligimus conclusionem, ac iterum ex conclusione cum altera præmissarum colligimus, & concludimus præmissam alteram. Vnde sicut in Mathematicis circulus describitur cùm ab vno puncto ad idem punctum fit regressus : ita per metaphoram dicitur circularis demonstratio, cùm à conclusione reditur ad probationem præmissarum, à quibus probationis initium sumptum fuerat. Vt si hoc modo procedamus, *omne animal particeps rationis, est capax disciplinæ : omnis homo est animal particeps rationis : ergo omnis homo est capax disciplinæ.* Et rursus, *omne capax disciplinæ, est particeps rationis : sed omnis homo est capax disciplinæ : ergo omnis homo est particeps rationis.*

15. Aduertendum est secundò, circularem demonstrationem intelligi posse fieri, vel in eodem demonstrationis genere, vel in diuerso : in eodem, quando vtimur solâ demonstratione à priori, vel sola demonstratione à posteriori, & hic vocatur circulus vniformis. In diuerso verò, dum priùs vtimur demonstratione à priori, & deinde demonstratione à posteriori, aut viceuersa : & hic est circulus non vniformis, vocaturque regressus..

In demonstratione denique circulari vel adhibetur semper idem ge-

nus causæ, vel diuersum; vt si in prima demonstratione vteremur causâ finali: & in secunda, eamdem etiam causam finalem adduceremus: tunc demonstratio esset in eodem genere causæ. Si verò priùs vteremur causâ materiali, & posteà causâ finali, vel formali, vel efficiente, tunc demonstratio fieret in diuerso causæ genere: quæ ex dicendis fient magis conspicua: quare.

16. Dicendum est primò, non posse dari demonstrationem circularem in eodem genere demonstrationis, & causæ. Ita docet Aristoteles 2. post. c. 3. & alij Philosophi communiter. Ratio est, quia idem esset prius, & posterius, notius, & ignotius seipso. Nam quælibet demonstratio progreditur per ea, quæ sunt priora, & notiora vel secundùm se, vel quoad nos, vt patet ex dictis de discursu. Vnde ipsæ præmissæ, si ostendant conclusionem demonstratione *propter quid*, erunt ipsâ priores, & notiores secundùm se: si verò eædem præmissæ demonstrentur à priori per conclusionem, ipsa conclusio erit prior, & notior secundùm se præmissis: & ita idem erit prius, & notius seipso: quod absurdum est. Idemque sequitur, si vtraque demonstratio procederet à posteriori.

Dices: causæ sunt sibi mutuò causæ; vt docet Aristoteles 5. Metaph. c. 2. & lib. 2. Phys. cap. 3. textu 30. Laborare enim est causa sanitatis, & sanitas est causa laboris: ergo poterimus per laborem tamquam per causam, & medium à priori, demonstrare ipsam sanitatem; & rursus per sanitatem demonstrare, etiam à priori, tamquam per causam, ipsum laborem.

Respondeo, vtramque demonstrationem non esse in eodem genere demonstrationis; vel non fieri progressum ab eodem ad idem, eodem modo sumptum. Nam quando probamus laborem per sanitatem, sanitas habet tunc rationem causæ effectiuæ laboris, vel etiam finalis. Quando verò probamus sanitatem per laborem, tunc labor habet rationem effectus: & ita prima demonstratio est *propter quid*: secunda verò est *quia*. Præterea nunquam labor est causa illius sanitatis, a qua procedit; nec sanitas effectus laboris, quem efficit. Denique, si vtraque sit à priori, non est in eodem genere causæ: pro quo.

17. Dicendum est secundò, posse dari circulum in eodem demonstrationis genere, modò media contineant causas diuersæ rationis, & speciei. Probatur: nam quando demonstramus hominem esse natum ad beatitudinem eo quòd constat animâ rationali: tunc probamus causam finalem per formalem: & rursus quando probamus hominem esse ratione præditum, quia ad beatitudinem creatus est, semper est demonstratio à priori.

Deinde ex fine demonstrationis optimè collegit Aristoteles conditiones præmissarum illius, quæ habent rationem causæ materialis: per quam causam materialem, finis eiusdem demonstrationis facillimè probari potest.

Ratio huius conclusionis est, quia fieri potest vt aliqua se mutuò cau-

sent in diuerso causæ genere, vt iam dicebamus ex Aristotele. Laborare enim est causa efficiens sanitatis, & sanitas est causa finalis ipsius laboris.

18. Dicendum est tertiò, circulum non vniformem, seu regressum admitti posse, nec esse inutilem. Probatur primò ex Aristotele, qui 8. Phys. c. 6. ex æternitate motus probat æternitatem motoris, & contra; existimans mundum esse ab æterno, vt multi eum credidisse sentiunt. Item 2. post. c. 11. probat Lunam esse rotundam, quia orbiculariter illuminatur: & rursus ipsam orbiculariter illuminari, quia rotunda est.

Probatur secundò, quia si non daretur huiusmodi circulus, & regressus, quo à cognitione effectus progredimur ad cognitionem causæ, & à cognitione causæ regredimur ad cognitionem effectus, nulla daretur scientia perfecta, quâ rem scimus per propriam illius causam. Philosophi enim vtplurimùm ex notioribus nobis, hoc est ex posterioribus, & effectis progrediuntur ad cognitionem priorum, & notiorum secundùm se, seu naturâ suâ, ideoque vt perfecta scientia effectuum resultet, debet fieri regressus à cognitione causarum ad cognitionem eorumdem effectuum.

19. Neque obstant rationes allatæ in prima conclusione: non enim propterea idem est prius, & posterius seipso; notius, & ignotius: quia effectus est posterior suâ causa secundùm naturam: at secundùm nos est quid prius, seu notius. Causa autem secundùm naturam est prior, & notior, & secundùm nos ignotior. Et ita quandò vtimur circulo, semper procedimus à notioribus ad ignotiora, quia in primo processu tendimus ad cognitionem causæ per effectum, quem sensu, & experientia priùs notum habuimus, & ipsâ causâ notiorem, nondum tamen omninò perfectè cognitum; mediante quo ducimur in confusam ipsius causæ cognitionem, quâ habitâ, non statim progredimur à causa ad effectum, sed priùs cognoscimus distinctè ipsam causam per medios aliquos discursus, multiplicemque collationem causæ ad effectum: deinde per causam hoc modo clarè cognitam deducimur in secundo processu ad cognitionem claram, & distinctam effectus. Quod clariùs sequenti exemplo manifestabitur.

20. Sensu, & experientiâ cognoscimus generationem conuenire rebus ex materia compositis. Videmus quippe res naturales, & sensibiles, alias ex alijs identidem generari, & in se inuicem mutuam exercentes pugnam, in varias formas substantiales transmutari. Qua cognitione experimentali ducimur in cognitionem materiæ, tanquam in cognitionem causæ talis transmutationis, & generationis rerum: vnde hanc efficimus demonstrationem. *Vbicumque est generatio, ibi est materia subiecta: in corpore naturali est generatio; ergo in eo est materia subiecta.*

Postmodum ex hac cognitione confusa materiæ, habita per generationem, tanquam per effectum, procedimus ad cognitionem claram eiusdem materiæ, comparando materiam cum generatione & vtriusque

conditiones expendendo: atque ita per discursus intermedios, quibus initium dedit prima illa cognitio, cognoscimus quòd materia, cum sit causa generationis, debeat esse in potentia ad recipiendas formas substantiales, quòd debeat habere inclinationem, & appetitum ad illas: quòd priuationem earum, sibi annexam postulet; quòd quantitatem exigat, multaque alias conditiones, vt aptum earum subiectum euadat: & sic in perfectam materiæ cognitionem deducti regredimur ad cognitionem effectus, scilicet generationis, demonstrando eam conuenire corpori naturali, per propriam causam hoc modo: *Vbicumque est materia, ibi est generatio: sed in corpore naturali est materia: ergo in corpore naturali est generatio.*

21. Vnde tria sunt in regressu; primum est cognitio confusa effectus: secundum, consideratio, & inquisitio causæ per varias collationes, & comparationes ad effectum, per quas acquiritur distincta causæ cognitio: tertium, regressus à distincta cognitione causæ ad distinctam cognitionem effectus. Et ita in primo processu scimus causam esse causam effectus, confuso modo, & ignoramus distincto: in secundo autem processu distinctè scimus talem causam, esse causam huiusmodi effectus.

Dices: sensus, & experientia est tantùm singularium: medium verò demonstrationis, & illud, quod scire optamus, sunt vniuersalia: non possumus ergo ex illa cognitione experimentali generationis, formare medium ad demonstrandam materiam: & ita prædictus regressus malè admittitur.

Respondeo ex Aristotele 2. post. c. 1. & Diuo Thoma ibi lect. 1. litterâ *H.* quòd ex cognitione sensus, & experientia illa, sæpiùs factâ, intellectus colligit cognitionem vniuersalem, quâ vtitur tanquam medio ad demonstrationem. Quemadmodum si essemus supra Lunam, videndo eam nunc subintrare vmbram terræ, sensus esset de hoc quod Luna nunc deficit: sed ex hoc, statim conjiceremus quod hoc modo semper contingeret Lunæ defectus: & ita in nostro intellectu, sensus rei singularis, fieret vniuersale. Hæc de isto libro.

LIBER VII. ET VLTIMVS DE EFFECTV DEMONSTRATIONIS, NEMPE SCIENTIA.

De Demonstratione secundùm se hactenus egimus, nunc de illius effectu, nempe scientia, tractandum nobis est. Plurima verò, ad eam spectantia, in alijs Logicæ partibus iam dudum expediuimus. Nam in quæstionibus procemialibus, eius definitionem, diuisionemque in actualem, & habitualem; in speculatiuam, & practicam; & vtriusque differentias explicuimus. Egimus etiam ibi de scientiæ obiecto, & de communibus obiecti conditionibus. De necessitate verò, & æternitate, alijsque requisitis, & ad scientiam, & ad obiectum illius; tum lib. 2. q. 6. tum hic, duabus proximis quæstionibus sufficienter tractauimus, quia quod in ijs dictum est de demonstratione, ad scientiam æquo iure pertinet. Multa tamen adhuc, scitu dignissima, de hac materia supersunt, quæ vbi tradiderimus, Logicæ finis imponetur.

QVÆSTIO I.

De Vnitate, & Distinctione scientiarum.

SECTIO I.

Quædam de Obiecto scientiæ notanda præmittuntur.

1. CONSTAT ex Aristotele 1. post. c. 23. & lib. 2. de Anima, c. 4, textu 33. potentias, & habitus, inter quos statuitur scientia, sumere distinctionem suam, & vnitatem ab obiecto. Vnde sequi videtur vnitatem, & distinctionem habitus, siue potentiæ, cum vnitate, & distinctione obiecti sui debere adæquari: itavt vna non sit maior aliâ. Est autem præcipuè quæstio de scientijs speculatiuis, quæ tres communiter assignantur,

assignantur, quasi principales, ex sexto Metaph. c. 1. nempe Physica, Metaphysica, & Mathematica, quæ Geometriam, & Arithmeticam comprehendit: ideò maximè de ipsis, nobis erit ista tractatio, quam reliquis applicare difficile non erit.

Cœterùm non agimus hic de vnitate vel distinctione numerica scientiæ, quia dubium non est quin distincta sit numero in distinctis intellectibus: nec aliter de illa Philosophandum est in hac materia, quam in aliis. Quod ad Metaphysicam sæpe remisimus. Est igitur quæstio de vnitate & distinctione specifica, vel generica: quæ dicitur desumi ab obiecto, non quòd obiectum sit differentia intrinsecè componens scientiam vel potentiam, vt de se patet; sed quia ex vnitate, & distinctione obiecti cognoscimus vnitatem, aut distinctionem potentiæ, & habitus. Vel, vt volunt alij, quia potentia, & habitus habent ordinem, & habitudinem transcendentalem, sibique intrinsecam ad obiecta, in qua essentialis eorum differentia posita esse intelligitur.

2. Est autē ante omnia repetendum quod de obiecto scientiæ in communi diximus q. 4. proœmialiter: vbi diuisimus illud in materiale, & formale: atque ipsum formale in rationem *quæ*, hoc est, in rationem formalem obiecti, quæ specialiter attingitur a scientia, & est causa passionum huiusmodi obiecti, vt est corpus naturale in Physica; ens in Metaphysica, &c. & in rationem *sub qua*, hoc est, specialem illam formalitatem, sub qua obiectum terminat scientiam; ita vt nihil attingatur ab ipsa, nisi quod participat talem rationem formalem, & prout illâ afficitur, & informatur.

Prima ratio dicitur formalis ratio obiecti, non in esse obiecti, sed in esse rei, quia per eam obiectum constituitur in tali genere entis, siue rei. Secunda verò dicitur formalis ratio obiecti in esse obiecti, quia per eam obiectum constituitur vltimò in esse obiecti attingibilis à potentia, siue habitu: & denominari solet ab ipsa potentia, vel habitu: vt in colore *v. g.* qui est obiectum visus, dicitur visibilitas: in sono audibilitas: in obiecto scientiæ dicitur scibilitas, seu ratio scibilis. De quo vide Caietanum 1. p. q. 1. a. 3. & 1. post. c. 23.

3. Quamuis autem diuisio ista in rationem *quæ*, & *sub qua*, non placeat multis: pro sustinenda tamen opinione Thomistarum, de qua sectione sequenti. Probatur primò, quia prima ratio non sufficit ad vnitatem, vel distinctionem scientiæ, aut potentiæ, alioquin tot essent potentiæ visiuæ, quot sunt species coloris: tot scientiæ Physicæ, quot sunt species corporis naturalis.

Secundò, quia tam differt lumen à colore in ratione *qua* & in entitate specifica, quàm à calore: ergo debet habere aliam specialem rationem, sibi, & colori communem, ob quam percipiatur à visu, & cuius defectu calor non possit ab eodem percipi.

Denique, eadem res potest percipi à diuersis potentiis, vt color à vi-

su, à sensu communi, ab intellectu: & de eadem conclusione, vt *quòd terra sit rotunda*, datur diuersa species scientia, nempe Physica, & Astrologia, vt docet diuus Thomas 1. p. q. 1. a. 1. & 1. 2. q. 54. a. 2. ad 2. ergo in ea debent esse diuersæ rationes *sub qua*, hoc est scibilitatis, licet eadem sit ratio *quæ*, seu rotunditatis.

4. Aduertendum tamen est scibile, visibile &c. dupliciter sumi posse, primò vt sunt denominationes extrinsecæ, à scientia, & visu petitæ. Secundò vt dicunt realem, & intrinsecam aptitudinem, seu capacitatem terminandi scientiam, vel visum, &c. Primo modo sumptæ non possunt esse ratio vnitatis, vel distinctionis scientiæ, aut potentiæ, quia vt sic, vel sunt simul, vel consequuntur scientiam, & potentiam, iam in sua vnitate constitutam, quia denominatio supponit rem, à qua sumitur. Non enim dicitur visibile, nisi quia videri potest à visu, sicut non dicitur visum, nisi quia potentia visiua illud attigit: idemque valet in scientia, & scibili.

Secundo autem modo sumpta præexistunt potentiis, & habitibus, eorumque vnitati, & distinctioni, vt de scibili docet diuus Thomas 1. p. q. 17. a. 7. ad 6. vnde non est cur vasques disput. 7. cap. 3. & disput. 104. c. 2. primæ partis, tam acriter inuehatur in hunc modum dicendi, de quo vide quæ adnotauimus q. de relatione numero 111.

5. Nihilominùs quamuis hoc verù supponatur, restat adhuc difficultas, quid sit illud, per quod obiectū cōstituitur in esse scibilis & attingibilis à scientia, vt ita possimus cognoscere quando res obtineant rationem vnius, vel multorum scibilium; atque hoc modo ad vnam, vel ad plures scientias pertineant: circa quod duæ sunt præcipuæ sententiæ.

Prima est communis Thomistarum, paucis exceptis, existimantium eamdem, vel diuersam rationem scibilitatis, & consequenter vnitatem, vel distinctionem scientiarum, desumendam esse ex eadem, vel diuersa abstractione a materia.

Secunda sententia est communis Scotistarum, quos multi sequuntur recentiores; rationem nimirùm illam scibilitatis, propter quam multa obiecta ad eamdem scientiam pertineant, non aliunde colligendam, aut desumendam esse, quàm ex vnitate primi obiecti, ad quod cætera referuntur, aut a quo dependent, sicut diximus q. 4. procœmiali, omnia quæ spectantur à Logica, referri ad Syllogismum, & in ordine ad ipsū tractari, ex probabili sententia Scoti. In quo autem sit illa vnitas primi obiecti, explicabimus sectione 4. vtraque hæc sententia probabilis est: vtriusque fundamenta, impugnata, & propugnata, in sequentibus sectionibus reperies.

SECTIO II.

Quid, & quotuplex sit abstractio à materia.

6. TRIPLEX communiter distingui solet materia, & expressè tradit sanctus Thomas opusculo 70. q. 5. a. 1. & 1. p. q. 85. a. 1. ad 2. ex Aristotele 6. Metap. textu 2. videlicet materia singularis, sensibilis, intelligibilis.

Materia singularis est materia, seu substantia corporea, in singulari, & in individuo spectata, vt hæc caro, hæc ossa, hoc corpus

Materia sensibilis est eadem substantia, quatenus subiacet qualitatibus sensibilibus, vt calido, frigido, molli, albo &c.

Materia denique intelligibilis est substantia, prout subiacet quantitati: & dicitur intelligibilis, quia solo intellectu percipitur: sensus enim fertur solùm in sensibilia accidentia, non verò in substantiam secundùm se. Vel, vt loquitur Aristoteles 7. Metaph. c. 10. sub finem, *intelligibilis materia est, quæ in sensibilibus existit, non prout sensibilia, vt puta ipsa Mathematica.*

7. Iuxta triplicem ergo materiam datur triplex abstractio. Prima est à materia singulari, sed non à sensibili. Secunda est à materia singulari, & sensibili. Tertia est à materia singulari, sensibili, & intelligibili.

Prima propria est Physicæ, quæ considerat res dependentes à materia secundum esse, & secundùm intellectum, quia in earum definitione ponitur materia sensibilis, in communi spectata, vt in definitione hominis ponitur caro, ossa, corpus organicum.

Secunda est propria Mathematicæ, cuius est agere de quantitate, quæ licet dependeat à materia secundùm esse; tamen secundùm intellectum abstrahit à sensibili, quia in eius definitione non ponitur materia sensibilis, vt patet in definitionibus numeri, lineæ, figuræ, &c. Cùm enim adueniat substantiæ, ante qualitates, passiones, & motus, ideò potest intelligi in substantia antequàm ipsa substantia intelligatur sensibilis, & sic potest abstrahi à materia sensibili.

Non dicitur autem abstrahere à materia intelligibili, eò quòd dicit ordinem dependentiæ ad illam, quatenùs ratio, & definitio omnis accidentis dependet à subiecto, seu includit ordinem, & dependentiam ad subiectum: vel quia quantitas, quantumuis abstracta intelligatur, non potest concipi, nisi vt res corporea, & materialis: quia tamen propriè loquendo, non spectatur sub ea ratione à Mathematica, sed à Physica; ta-

lis non abstractio nihil ad præsens institutum facere videtur: ideò aliam addemus solutionem numero 25.

8. Tertia denique est propria Metaphysicæ, ipsa enim considerat immobilia, & separabilia à materia, vt inquit Philosophus 6. Metap. c. 1. Duobus autem modis contingit aliquid esse separatum à materia. Primo, ita vt sit de ratione eius, sic esse separatum, vt se habet Deus, & Angeli. Secundo, ita vt non sit de ratione eius, esse in materia, eò quòd sæpe reperitur extra illam, licet aliquando inueniatur in illa, vnde dicitur abstrahere à materia secundùm esse permissiuè: quomodò se habet ens, substantia, qualitas, actus, potentia &c. quæ secundùm se non dependent à materia, cùm sine illa reperiantur in Deo, Angelis &c. in quo differunt à Mathematicis, quæ non possunt esse sine materia intelligibili.

De separatis primo modo, agit Theologia: de separatis verò secundo modo, agit Metaphysica, quæ considerat ens vt ens, communissimè sumptum, & sub se continens Deum, Angelos, & cœtera omnia. Et ita rectè distinguitur triplex scientia speculatiua principalis ex huiusmodi triplici abstractione à materia, nempe Physica, Mathematica, Metaphysica.

9. Verùm pro planiori huius doctrinæ intelligentia, & ad soluendas difficultates, quæ contra illam proponi possunt, multa debent diligenter aduotari, primum quidem, abstractionem, de qua hic sermo est, sumi posse tripliciter. Primò actiuè, pro actu intellectus, considerantis obiectum sine materia. Secundò pro denominatione extrinseca, inde consurgente. Tertiò pro abstractione obiectiua, siue passiua, radicaliter sumptâ, quæ dici potest abstrahibilitas, nihilque aliud est, quàm capacitas radicalis, per quam obiectum natum est terminare illam, vel illam scientiam sub hac vel illa denudatione à materia.

De abstractione, hoc tertio modo sumpta, intelligitur ista quæstio: nam abstractio sumpta secundo modo, nihil facit ad præsens institutum: sumpta verò primo modo, est tantùm conditio necessaria ad hoc vt obiectum fiat intelligibile à tali, vel tali scientia. Quia enim intellectus noster non cognoscit adæquatè rem quamlibet secundùm quod in se est, cogitur illam attingere conceptibus inadæquatis, & præcisiuis; quo fit vt res eadem pertineat ad diuersas scientias.

10. E contrario autem intellectus est etiam vnitiuus, & multas sæpe res attingit sub aliqua ratione communi, ordinando diuersas species ad eamdem rationem formalem scibilitatis: quomodo Angeli, & corpora, quæ in se diuersam abstractionem habent, vniuntur in aliqua ratione superiori, scilicet entis, & à Metaphysica considerantur sub vna abstractione à materia sensibili, & intelligibili: & ita contingit, vt res multæ, & diuersæ ad eamdem scientiam spectent: quod quidem non eueniret si quælibet res perfectè comprehenderetur: tunc enim quælibet per propriam speciem exactè repræsentaretur; & hoc modo esset obiectum

scientiæ sibi propriæ, & à qualibet alia specificè diuersæ : vnde Diuus Thomas 3. p. q. 11. a. 6. asserit scientiam Christi infusam, distinctam fuisse in diuersos habitus, quia perfectè quarumlibet rerum quidditates intelligebat per distinctas species, ipsarum quidditatum perfectè, & adæquatè repræsentatiuas.

11. Aduertendum est secundò ex Sancto Thoma, opusculo eodem 70. q. 5. a. 3. & prima parte, q. 40. a. 3. duplicem abstractionem posse fieri ab intellectu : alteram, per quam vniuersale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine, & hæc vocatur totius, seu abstractio totius, quia vniuersale est quoddam totum, multas partes subiectiuas sub se continens. Alteram verò per quam forma abstrahitur à materia ; quomodo forma circuli concipitur ab intellectu absque omni materia sensibili : & hæc vocatur abstractio formalis.

Prima respondet vnioni totius, & partis: secunda vnioni materiæ, & formæ, seu subiecti, & accidentis. In prima integrum non remanet id, à quo fit abstractio : nam abstracto animali ab homine, non remanet homo in intellectu, sed tantùm animal. In secunda verò vtrumque in intellectu remanet: nam abstrahendo formam circuli ab ære, remanet seorsim intellectus æris, & intellectus circuli.

Rursus in prima, id, quod abstrahitur, fit potentiale, confusum, & minùs intelligibile; & quò maior est abstractio, eo magis fit potentiale, quia magis recedit ab actu, hoc est, à differentijs specificis : actus autem est notior, prior, & melior potentiâ, ex 9. Metaph. c. 9. è contrario verò in abstractione formali, id quod abstrahitur, quo magis abstrahitur, fit magis actuale, & intelligibile, quia abstrahitur à conditionibus materialibus, & potentialibus.

Prima denique est communis conditio scientiarum, quæ non agunt de singularibus, sed de vniuersalibus : secunda verò fit propria cuilibet prout secundùm diuersos gradus abstractionis, obiectum redditur diuerso modo intelligibile, siue scibile. De quo lege Caietanum in commentario de ente, & essentia, c. 1. q. 1.

12. Aduertendum est tertiò ex eodem sancto Doctore, opusculo & loco citato, art. 2. & 3. & 1. post. lectione 41. literâ *a*, abstractionem à materia ideò maximè conducere ad scientiarum vnitatem, & distinctionem, quia cuiuslibet scientiæ obiectum debet esse certum, & necessarium, itavt non possit aliter se habere, quod patet ex 1. post. c. 2. & 7. Vt autem certum sit, non debet esse subiectum mutationi : vnde cùm in rebus sensibilibus materia sit principium, & prima radix mutationis, quæ magis illi addicta sunt, mutabiliora sunt, magisque obnoxia contingentiæ, & consequenter magis recedunt à certitudine, & necessitate, quam exigit scientia : ideoque res eò perfectiùs intelligibiles sunt, quò magis à materia abstrahunt, & cognitio eò est certior quò est de obiecto magis immateriali: & ita Aristoteles 1. post. c. 23. aut 24. textu 42. Atith-

meticam certiorem esse musicâ, quia musica est de numero sonoro, qui materiam sensibilem concernit, à qua abstrahit Arithmetica.

13. Quapropter, cùm Physica agat de rebus mobilibus, & materialibus, necesse est ad minus, vt abstrahat à materia singulari, quia singularia generantur, & corrumpuntur: rationes autem communes, & abstractæ, sunt incorruptibiles, siue immobiles. Et ita quidditas, siue ratio compositi humani, quam significat definitio, non abstrahit absolutè a carnibus, & ossibus, ab anima, & corpore: abstrahit tamen ab his carnibus, & ab his ossibus; ab illa anima, & ab hoc corpore, quia hæ sunt partes materiales, hoc est huius hominis singularis, non verò hominis inquantum homo est.

Non inde tamen sequitur quòd Physicus non habeat cognitionem rerum mobilium, seu materialium, prout sunt à parte rei, & existunt in singularibus, quia vtitur rationibus illis communibus, non tantùm vt rebus scitis, sed etiam vt medio sciendi: & ideò comparando eas, & applicando ad res particulares, quarum sunt rationes, iudicat de singularibus ipsis. Nam per communem & vniuersalem rationem hominis recte potest de illo, & illo homine iudicare. Idemque valet in cœteris scientijs.

Vnde colligitur quam illepidè Arriaga disput. 1. Logicæ, numero 28. dicat abstractionem parere confusionem, & Authores huius sententiæ ideò fortè scientiam sine abstractione non admittere, quia nolunt habere scientiam, nisi confusam. Si exactiùs legisset Aristotelem, & D. Thomam, hæc forsitan non dixisset. Quamuis enim hoc possit dici respectu abstractionis totalis; non tamen respectu formalis, vt patet ex num. 11.

SECTIO III.

Quomodò scientia suam vnitatem, & distinctionem hauriat ex prædicta abstractione à materia.

14. QVAMVIS abstractio à materia, reddat obiectum intelligibile in se, tamen non semper applicatur intellectui secundùm propriam intelligibilitatem, quam in se habet, & per abstractionem acquirit, sed prout relucet in principijs, & medijs, per quæ apparet intellectui. Cùm enim in scientia procedatur ex præmissis ad conclusiones; & principia in præmissis contenta, sint rationes assentiendi ipsis conclusionibus, vt toties diximus in superioribus quæstionibus, præsertim in prima, & quinta: consequenter iuxta diuersitatem principiorum, & mediorum, oritur diuersitas cognoscibilitatis, & scibilitatis in conclusionibus: quo fit vt diuersa immaterialitas, ex qua oritur diuersa-

intelligibilitas, & scibilitas, primò, & principaliter inueniatur in principijs, & inde deriuetur, & descendat ad conclusiones.

Quia verò definitiones sunt prima media, & principia in scientijs, per quæ demonstrantur passiones, & propietates de subiecto; ideo iuxta diuersitatem definiendi, generatur diuersitas scibilitatis in conclusionibus, tunc autem definitiones sunt diuersæ, quando cum diuersa abstractione: & immaterialitate traduntur: quod expressit Diuus Thomas 1. post. lect. 41. litterâ *d*, sub finem, his verbis: *distinguntur genera scibiliũ secundùm modum cognoscendi: sicut alio modo cognoscuntur quæ definiuntur cum materia, & ea quæ sine materia: Vnde aliud genus scibilium est corpus naturale, & corpus mathematicum.* Et 6. Metaph. lect. 1. litterâ *d* Cùm definitio sit medium demonstrationis, & per consequens principium sciendi, oportet quod ad diuersum modum definiendi sequatur diuersitas in scientijs speculatiuis.

15. Ex quibus facile conciliantur diuersa loca Diui Thomæ, in quibus modò sumit distinctionem scientiarum ex diuersa abstractione à materia, vt lectione 1. *de sensu, & sensato*, initio: modò ex diuersitate medij, vt 1. 2. q. 54. a. 2. ad 2. modo ex diuersa definitione, seu diuerso modo definiendi, vt in locis proximè citatis. Radix enim diuersæ intelligibilitatis est diuersa immaterialitas, seu abstractio à materia, non absolutè, sed prout reperitur in medijs & principijs, ex quibus deducitur ad conclusiones, quas ita diuersimodè illuminat, & intelligibiles facit. *Sicut enim*, inquit lect. 41. citatatâ, lit. *d*, *formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur: ita formalis ratio scibilis accipitur secundùm principia, ex quibus aliquid scitur: & ideo quantumcumque sint aliqua diuersa scibilia per suam naturam; dummodò per eadem principia sciantur, pertinent ad vnam scientiam, quia non erunt iam diuersa inquantum scibilia.*

Vnde licet in vna eademque scientia reperiantur diuersæ definitiones, per quas explicantur diuersæ *in esse rei* qualitates, verbi gratia in Physica; tamen quia sub eadem abstractione omnia definiuntur, ideò modus definiendi idem est, & cõsequenter omnes definitiones, quamuis diuersæ sint ex parte rerum definitarum, sunt similes, eiusdemque rationis in modo definiendi penès eamdem abstractionem.

16. Cæterùm diligenter aduertere oportet, intra eamdem abstractionem, & sub eodem modo definiendi generico, posse reperiri diuersitatem, & distinctionem specificam principiorum, & consequenter scientiarum. Hæc autem diuersitas dignoscetur ex his, quæ habet Aristoteles 1. post. c. 23. aut 24. textu 42. vbi sic ait, *Vna autem scientia est quæ est vnius generis, quæ componuntur ex primis & sunt partes aut affectiones horum per se: diuersæ verò scientiæ sunt, quarum principia ex eisdem non sunt; nec ex vnius principijs principia alterius proficiscuntur.* Quorum verborum secunda pars indicat sensum primæ, paulo obs-

curioris. Quod nimirum scientia illa vna sit, quæ habet principia eiusdem generis, tum prima, tum ea, quæ ex primis componuntur, hoc est, deriuantur & dependent, siue tamquàm partes, siue tanquam passiones, & affectiones per se eorum.

Supra quæ Diuus Thomas lect. 41. eâdem lit *d*. Hæc habet: *considerandum est quòd secunda principia virtutem sortiuntur à primis: vnde requiritur diuersitas primorum principiorum ad diuersitatem scientiarum: quod quidem non esset, si vel diuersorum principia ex eisdem principijs fluant: sicut principia trianguli, & quadrati deriuantur ex principijs figuræ: vel principia vnius deriuantur ex principijs alterius, sicut principia isoscelis dependent à principijs trianguli.*

Per prima autem principia, non sunt intelligenda simpliciter prima, qualia sunt vniuersalissima Metaphysica, vt *quodlibet est, vel non est*: quia ex his solis non potest sequi conclusio aliqua determinata. Licet enim verum sit hominem esse risibilem: per illud tamen principium potest solùm inferri, *ergo homo est risibilis, vel non risibilis*. Dicent ergo intelligi prima in aliquo genere scibilis, & intra aliquam abstractionem ex tribus prædictis, vt in sequentibus explicat idem Sanctus Thomas, & habes numero 14. & 15.

17. Ex præcedentibus omnibus sequitur primò distinctionem, & vnitatem genericam scientiarum desumendam esse ex abstractione à materia: ita vt illæ quæ eamdem abstractionem habent, sint eiusdem generis, quæ diuersam, diuersi. Ita docet sanctus Thomas *de sensu & sensato*, lect. 1. initio, his verbis, *necesse est quòd habitus scientiarum distinguantur secundùm differentiam separationis à materia: & ideo Philosophus in sexto Metaphys. distinguit genera scientiarum secundum diuersum modum separationis à materia.*

Sic ergo triplex erit scientiarum speculatiuarum genus, *Physica, Mathematica, Metaphysica*, sicut triplex est genus scibilium, resultans ex triplici abstractione, scilicet *Corpus naturale, Corpus Mathematicum, & ens vt ens*, quod est obiectum Metaphysicæ. Quod autem hæc vnitas, & distinctio sit generica, constat, quia ex communi consensu Geometria, & Arithmetica sunt scientiæ specificè diuersæ, licet sub eadem sint abstractione. Itemque Logica, Metaphysica, Theologia, vt patebit ex infrà dicendis.

18. Sequitur secundò, distinctionem, vel vnitatem specificam scientiæ intra eamdem abstractionem desumendam esse ex vnitate, vel distinctione specifica principiorum, per quæ proceditur in illa scientia: itavt illa sit vna specie, cuius principia sunt eiusdem speciei: illa verò diuersa, cuius principia diuersa sunt: tunc autem principia sint eiusdem speciei *in esse scibilis*, quando ex ijsdem primis principijs intra eamdem abstractionem fluunt, & deriuantur: diuersæ verò speciei, quando nec ex se inuicem, nec ex alijs prioribus, sibi communibus fluunt, & dependent. Quæ omnia patent ex dictis.

SECTIO

SECTIO IV.

Soluuntur obiectiones contra ſuperiorem doctrinam.

19. OBIICITVR primò, rationes prædictas abſtractionis à materia, eſſe inadæquatas, cùm non comprehendant omnes ſcientias. Non enim annumeratur ibi Logica, neque Moralis, neque Theologia, neque preſpectiua, Muſica, & Aſtrologia; quæ tres vltimæ abſtrahunt, & non abſtrahunt à materia ſenſibili: non abſtrahunt quidem, quia habent pro obiecto res naturales, ſcilicet *viſuale, ſonorum, & corpus cœleſte*: abſtrahunt vero, quandoquidem inter Mathematicas numerantur. Igitur prædicta doctrina diminuta eſt, neque admittenda.

Reſpondeo, Logicam non annumerari inter ſcientias principales, quia eſt adminiculatoria, & modum ſciendi aliis miniſtrat, ideoque ad principales reducitur. Participat autem abſtractionem Metaphyſicam, quia abſtrahit ab omni materia, nudaſque diſſerendi formas per ſe conſiderat. Quia vero Metaphyſica procedit ex principiis entis realis, Logica verò ex principiis ſecundarum intentionum: & hæc neque ex aliis, neque ex ſe inuicem deriuantur, ideò ſunt ſcientiæ ſpecie differentes, licet ſint eiuſdem generis.

20. Quod ſpectat ad Moralem, ſi ſumatur vt ſcientia eſt, tractans de natura virtutum, pars eſt Phyſicæ animaſticæ: quæ cùm agat de anima intellectiua, debet etiam agere de actibus eius moralibus, vt circa propria obiecta verſantur. Quoad particulares verò conditiones practicas, idem eſt cum prudentia, aut cum virtute quæ operationes morales attingit.

Theologia autem, cùm ſit ſuperioris ordinis, non comprehenditur ſub abſtractione vllius ſcientiæ naturalis, ſed excellentiorem abſtractionis modum ſibi vendicat, quàm ipſa etiam Metaphyſica: nam Theologia excludit à ſuo ſubiecto materiam Metaphyſicam, hoc eſt, compoſitionem ex actu, & potentia; non verò Metaphyſica, ſed tantùm materiam corporalem. Item obiectum Theologiæ, nempe Deus, ita abſtrahit à materia, vt ſit de ratione eius eſſe ſine materia, & ſic à Theologia conſideratur: obiectum autem Metaphyſicæ ita abſtrahit à materia, vt non ſit de ratione eius eſſe extra illam, vt dictum eſt numero 8. Rurſus Theologia procedit ex lumine ſupernaturali diuinæ reuelationis, & ſic eſt extra genus ſcientiarum, quæ acquiruntur per lumen naturale humani ingenij, vt rectè docet diuus Thomas 1. p. q. 1. a. 1. ad 2.

21. Denique ad id, quod vltimo loco ponitur de ſcientiis Mathematicis, quæ mediæ vocantur, dicendum eſt eas participare de vtraque ab-

ſtractione, ſcilicet Phyſica, & Mathematica, & ideò vocari medias. Vnde ſi ſpectemus id, quòd eſt proprium earum obiectum, vt *ſonorum* in Muſica, & *viſuale* in perſpectiua, debent dici naturales : ſi verò ſpectemus media, & principia, per quæ procedunt, debent dici Mathematicæ.

Quia verò medium, per quod aliquid cognoſcitur, reſpicitur ab habitu formaliter, ſeu vt ratio formalis obiecti. Illud verò quod cognoſcitur, reſpicitur materialiter, ſeu vt obiectum materiale, ideò ait diuus Thomas opuſculo 70. q. 5. a. 3. ad 6. & 7. & 2. 2. q. 9. a. 2. ad 3. magis debent connumerari inter Mathematicas, vt pote eis ſimiliores. Muſica enim conſiderat ſonos, non inquantum ſunt ſoni, ſed inquantum ſunt proportionabiles ſecundùm numeros, & ſic in aliis.

22. Aliunde verò, quia principia Arithmeticæ, & Geometriæ, quæ ab ipſis applicantur ad materiam naturalem, quaſi in obliquo conſiderantur; materia verò naturalis in recto, & principaliter, ideò à multis dicuntur ſimpliciter naturales: & conſequenter conueniunt genere cum Phyſica, & genere differunt ab Arithmetica, & Geometria.

Vterque modus dicendi ſuſtineri poteſt abſque incommodo : poſterior autem videtur menti Ariſtotelis conformior in 2. Phyſic. c. 2. textu 20. vbi poſtquam diſtinxit Phyſicum à Mathematico ex diuerſa abſtractione à materia, ſic ait : *hoc idem indicant & Mathematicarum facultatum illæ, quæ magis ſunt naturales vt Perſpectiua, Muſica, & Aſtrologia. Nam contrà quodammodò ſe habent ac Geometria : Geometria namque de naturali linea contemplatur ſed non vt eſt naturalis : Perſpectiua verò Mathematicam quidem lineam conſiderat, at non vt eſt Mathematica, ſed vt eſt naturalis.*

23. Obijcitur ſecundò : Geometria conſiderat lineas ſecundùm quòd differunt numero: conſiderat enim triangulum, vt tribus conſtat lineis: quadrangulum vt conſtat quatuor, &c. Sed differentia numeralis in his, quæ ſpecie conueniunt, ſumitur à materia, ex hac ſententia Thomiſtarum : ergo Geometria non poteſt abſtrahere à materia.

Confirmatur, quia multæ fiunt demonſtrationes in Geometria per cauſam materialem : quando ſcilicet de toto aliquid oſtenditur per partes eius : nam partes ſunt materia totius ex 2. phyſ. & in 2. poſter. demonſtratio, quâ oſtenditur angulum in ſemicirculo eſſe rectum, quia eſt medietas duorum rectorum, reducitur ad cauſam materialem : ergo, &c.

Reſpondeo ex diuo Thoma opuſculo 70. q. 5. a. 3. ad 3. materiam eſſe principium diuerſitatis numeralis ſecundùm quòd in multas partes diuiſa, & in ſingulis recipiens formam eiuſdem rationis, plura indiuidua eiuſdem ſpeciei conſtituit. Materia autem non poteſt diuidi, niſi præſuppoſitâ quantitate, quâ ſublatâ, omnis ſubſtantia indiuiſibilis relinquitur; & ſic prima ratio diſtinguendi numero ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, eſt penes quantitatem ; quod ei competit inquantum includit ſitum,

ordinemque partium. Et ita quantitas, licet à materia sensibili abstracta, potest includere numerum linearum, & figurarum.

Ad confirmatiotem respondeo ex eodem, ibidem ad 4. partes illas, ex quibus demonstratur aliquid de toto in Geometria, esse abstractas à materia sensibili, & pertinere ad materiam intelligibilem, à qua non abstrahit Mathematica. Quamuis, propriè loquendo, partes non debeant dici materia respectu totius, sed antùm analogicè, & secundùm aliquam similitudinem in componendo.

24. Instabis: Mathematica prorsùs abstrahit à materia intelligibili: ergo prædicta diuisio scientiarum, ex abstractione à materia desumpta, est planè nulla. Probatur antecedens, quia nullus Mathematicus considerat materiam primam, vel substantiam materialem, sed solam quantitatem secundùm se. Licet enim nulla daretur materia, aut substantia materialis, scientia, quæ habetur de quantitate per Mathematicam, esset prorsùs eiusdem rationis, ac nunc est, vt per se patet. Vnde sicut Mathematica abstrahit à materia sensibili, quia non considerat quantitatem, vt coniunctam cum ea, licet de facto coniuncta sit: ita non considerat quantitatem, vt coniunctam cum materia intelligibili, licet de facto sit coniuncta cũ illa: ergo abstrahit ab illa. Et hoc expresè asserit Aristoteles 1. post. c. 10. sub finem, his verbis, *nam etsi Geometrica ipsa sunt in subiecta: non tamen vt in subiecto sunt, Geometricæ considerationi subijciuntur.*

Adde quòd numerus ternarius Angelorum, & quinarius, & senarius, & eorum proportiones æquè spectant ad Arithmeticum, ac numerus ternarius, quinarius &c. rerum corporearum: adeò vt sit omninò per accidens respectu Arithmeticæ, quòd vnitates quæ componunt ipsius numeros sint vnitates corporales, aut spiritales. Abstrahit ergo à materia intelligibili, sicut Metaphysica.

25. Respondeo, vt ab vltimo incipiam, numerus Angelorum non est quantitas, quæ spectetur à Mathematica, vt ait diuus Thomas 1. p. q. 11. a. 3. ad 2. quia non est in rebus quantis, seu corporeis.

Ad aliud dico, licet Mathematica abstrahat à materia intelligibili: diuerso tamen modo abstrahit, quàm Metaphysica, quia in Mathematica fit simplex abstractio per simplicem apprehensionem: in Metaphysica verò per compositionem, & diuisionem, quæ potiùs separatio, quàm abstractio dici debet, vt ait diuus Thomas opusculo, & loco toties citato, a. 3. paulò ante solutionem primi. Item abstractio in Mathematica est tantùm permissiua, quia quantitas secundum rem non abstrahit à materia: in Metaphysica autem non est solùm permissiua, cùm in ea spectentur entia ab omni materia separata secundùm rem, vt Deus, & Angeli.

26. Obijcitur tertiò quòd vnitas, vel distinctio scientiæ non possit sumi ex vnitate, vel diuersitate mediorum, vt explicatum est numero 16. Nam in primis Arithmetica, & Geometria essent eadem scientia, quia

principia quantitatis continuæ, quæ est obiectum Geometriæ, & principia quantitatis discretæ, quæ est obiectum Arithmeticæ, deriuantur ex communibus principiis quantitatis intra eamdem abstractionem à materia sensibili.

Item omnes partes scientiæ naturalis, seu Physicæ, *vt de cœlo: de anima*, &c. essent eiusdem speciei, quia sub eadem abstractione procedunt ex communibus principiis entis mobilis, seu corporis naturalis. Hoc autem videtur absurdum. Idemque patet de Angelis, & de corporibus, quorum principia continentur sub communibus principiis substantiæ: & sic deberent ad eamdem scientiam pertinere; quod non videtur admittendum.

Respondeo ad primum, negando antecedens. Quamuis enim principia essentialia quantitatis continuæ, & discretæ, in esse rei, & entis spectatæ, oriantur ex communibus principiis quantitatis: non tamen prout vtraque spectatur in esse obiecti, seu scibilis: quia Arithmetica non considerat numerum, neque Geometria magnitudinem secundùm essentiales, & quidditatiuas eorum rationes; sed secundùm quòd varias habent proportiones; aut prout habent rationem mensuræ.

Prima autem mensura numeri est vnitas, & prima mensura magnitudinis est punctum: quæ duæ mensuræ sunt omninò disparatæ, ita vt nec vna ex alia, nec ambæ ex tertia, vtrique communi deriuentur, vel dependeant. Cuius rationem reddunt Complutenses, quia vnitas est mensura numeri tamquam pars eius: punctum verò mensura magnitudinis, tamquam nexus, aut terminus illius, quæ duo sunt valde diuersa.

27. Verùm hæc ratio non videtur legitima. Quomodo enim punctum mensurare potest magnitudinem, si sit tantùm nexus partium illius? & cùm indiuisibile sit, quomodo potest aptum esse ad mensurandam rem diuisibilem in partes diuisibiles, & omninò ipsi disproportionatas?

Debet ergo punctum intelligi esse aliqua pars aliquota, vt aliquoties repetita totum exhauriat. Vnde linea definitur *fluxus puncti*, quasi ex punctis composita, vt ex partibus, sicut numerus ex vnitatibus: quod, licet Physicè verum non sit, Geometricè tamen supponi potest spectando punctum in ratione mensuræ: quapropter Platonici, vt notat diuus Thomas lect. 41. citatâ primi post. literâ *A*. dicebant ex puncto causari omnes quantitates continuas, adeò vt punctus motus faciat lineam: Linea mota faciat superficiem: superficies mota faciat corpus.

Ratio etiam sumi potest ex diuerso gradu abstractionis à materia sensibili, in ratione mensurandi, quia numerus minùs dependet à loco & situ, quæ est circunstantia materialis, quàm ipsa quantitas continua, cuius partes in loco copulantur, & disponuntur: ideoque Aristoteles 1. post. c. mihi 24. textu 42. ait Arithmeticam esse certiorem Geometriâ, quia vnitas est natura positione vacans: punctum verò est natura cum positione, & situ, quia nimirum existit in continuo: vnde vnitas, quæ est

principium numeri, abstrahit secundùm rationem à materia sensibili, & ab intelligibili: punctum verò tantùm à materia sensibili, ideoque magis concernit materiam, & compositionem, quàm vnitas.

28. Respondeo ad secundum, duplicem esse sententiam probabilem de vnitate Philosophiæ naturalis. Prima est Caietani cap. 22. primi posteriorum: & 2.2.q.162. aliquantò post initium introductionis. Soncinatis 6. Metaph. q. 8. & aliorum existimantium diuersas esse specie scientias naturales, itavt tractatus de principijs, comprehendens octo libros Physicorum; tractatus de Cœlo, de Generatione, de Anima sint distincti specificè.

Probatur primò authoritate Diui Thomæ, lect. 41. super primum post. literâ *d*, in fine: *aliud genus scibilium est corpus naturale*, inquit, *& corpus mathematicum & vtrumque horum generum distinguntur in diuersas species scibilium secundùm diuersos modos, & rationes cognoscibilitatis.*

Probatur secundò ratione Cajetani, quia in eadem abstractione à materia singulari reperiuntur diuersi gradus, secundùm quos magis, vel minùs receditur ab ea, & à motu. Nam in octo libris Physicorum consideratur ens mobile, vt sic, abstrahens ab omni specie determinata motus. In libris autem de Cœlo consideratur vt mobile tantùm ad vbi: in libris de generatione, vt mobile ad formam substantialem simpliciter, & in communi: & in libris de Anima, vt mobile ad animam. Vnde cùm abstractio sit veluti motus quidam, habens terminum *à quo*, & *ad quem*, istæ omnes partes conueniunt in eadem abstractione à materia singulari ex parte termini *à quo*, per quem segregantur à materia: sed ex parte termini *ad quem*, differunt, quatenus acquirunt diuersos gradus actualitatis, immaterialitatis, & scibilitatis, vt dictum est de Geometria, & Arithmetica; nam considerare mobile, vt sic, minùs concernit materiam, quàm considerare mobile motu locali, &c.

29. Secunda sententia est Soti primo post. cap. 25. & primo Phys. q. 2. Complutensium disp. 19. Logicæ q. 5. §. 4. & aliorum, Physicam esse vnam specie secundùm omnes suas partes. Ratio est, quia sub eadem abstractione à materia singulari, omnia Physicæ principia deriuantur ex communibus principijs motus, & reducuntur ad communia principia entis mobilis, scilicet ad materiam, & formam. Diuersi autem gradus intra eandem abstractionem non variant speciem in esse scibilis, nisi resoluantur in diuersa prima principia, vt contingit in Arithmetica, & Geometria.

Authoritas verò Diui Thomæ nihil concludit in contrarium, quia sub corpore naturali, quod distinguit à mathematico, comprehendit non solùm ens mobile, quod est obiectum Physicæ, sed entia, quæ sunt obiecta perspectiuæ, musicæ, & aliarum scientiarum, quæ Mathematicæ subalternantur, & quas in solutione primi ad naturales reduci diximus, ratione materiæ.

Respondeo ad tertium, substantiam spiritualem, & corpoream conuenire in substantia, genericè sumpta; & principia essentialia earum ab ipsa deriuari in genere entis, sed non propterea conueniunt in eadem abstractione formali entis mobilis, sed in abstractione Metaphysica, scilicet à materia intelligibili, secundùm quam vniuntur, & ad eandem scientiam reducuntur.

30. Obijcitur quartò. Scientia à priori, & scientia à posteriori intra eamdē abstractionem, *v.g.* Physicæ, vt demonstratio à priori quòd homo sit risibilis, quia est rationalis; vel à posteriori, quia ridet, distinguntur specie, etiam si principia posterioris demonstrationis sequantur ex principijs alterius: ergo malè assignatur ratio vnitatis & distinctionis scientiarum.

Secundò: idem habitus primorum principiorum versatur circa omnia prima principia, quæ tamen respiciunt diuersas abstractiones; quià alia sunt Physica, alia Mathematica, alia Metaphysica. Imo è contrario habitus primorum principiorum Physicorum, & habitus ipsius scientiæ naturalis, sunt diuersi, licet sint intra eandem abstractionem à materia singulari.

Denique definitiones sunt prima principia & media cujusque scientiæ, vt dictum est numero 4. ergo cùm in qualibet scientia reperiantur plurimæ definitiones diuersæ, debent reduci ad aliquid vnum, vt scientia ab eis dicatur vna: sed non possunt reduci ad aliquam vnam definitionem communem, vt constat; ergo ad aliquid aliud, quod non erit definitio, nec consequenter medium: ergo vnitas, & distinctio scientiæ non potest sumi à medijs, & principijs.

Adde quòd in Logica v. g. principia definitionis, diuisionis, & argumentationis, sunt inter se condistincta atque opposita: sunt item immediata, & indemonstrabilia: ergo nec ex se inuicem, nec ex alijs prioribus deriuantur; & ita non possunt constituere vnam scientiam.

31. Respondeo ad primum, negando antecedens. Tales enim scientiæ differunt tantùm vt perfectum, & imperfectum intra eamdem speciem. Et licet principia earum in *esse rei*, quandoque diuersa sint, non tamen in *esse scibilis*: & ita non causant diuersitatem essentialem in demonstrationibus: neque ipsi assensus differunt specie formali, sed materialiter tantùm, vt volunt complutenses disp. 18. num. 52.

Potest etiam dici diuersum esse gradum immaterialitatis in *esse scibilis* in demonstratione *quia*, & *propter quid*, eò quòd in prima proceditur ab effectibus, quatenus experientiâ, & inductione cognoscuntur: & consequenter reperitur in hoc quædam dependentia à sensibilibus: at in demonstratione *propter quid*, reperitur abstractio intelligibilis maior, quâ res cognoscitur in sua quidditate: & sic erit specifica diuersitas. Quod potiori jure dici debet de argumentis probabilibus, & opinatiuis, in quibus reperiuntur diuersa media, diuersa principia, proprietates, & rationes,

formales. Procedimus enim aliquando à locis extrinsecis, aliquando intrinsecis, &c.

Respondeo ad secundum, si habenda sit ratio diuersæ immaterialitatis rerum, circa quas prima principia versantur, habitum eorum esse multiplicandum iuxta diuersas scientias non subalternatas, aut iuxta diuersas difficultates notabiles, vt multi sentiunt.

32. Quia tamen diuersa immaterialitas non inducit diuersitatem specificam, nisi prout diuerso modo illuminatur à medijs, & ratione formali cognoscendi, vt diximus numero 14. cùm ratio formalis, sub qua habitus iste tendit in prima principia, sit vna specie, nempe immediata connexio terminorum, eumdem modum cognoscendi inuoluens, scilicet visionem veritatis in se, quasi intuitiuam sine discursu; habitus quoque erit vnus specie circa principia speculatiua, & alius circa practica, vt volunt alij.

Secùs se res habet in scientia, in qua ex notis ad rem occultam proceditur. Quò enim res illa immaterialior est, eò intelligibilior est, & consequenter diuersificatur ex diuersa immaterialitate, vt explicatum est supra.

Respondeo ad tertium, omnes huiusmodi definitiones diuersas non reduci ad communem aliquam definitionem; sed tamen conuenire in vno modo definiendi sub tali, vel tali abstractione, vt diximus num. 14. ex quo procedit idem modus illuminandi conclusiones, licet alioquin materialiter diuersas. Et licet principia propria & specifica definitionis, argumentationis, &c sint inter se condistincta & opposita, adeò vt non deriuentur ex alterutris, sed sint immediata, & indemonstrabilia à priori per causam adæquatam: dependent tamen, tanquam à causa remota, & inadæquata à principijs generalibus secundarum intentionum, à quibus deriuantur. Nam gradus genericus, est suo modo principium, & radix differentiarum specificarum, à quibus contrahitur, sicut materia à forma.

SECTIO V.

Quomodo vnitas, & distinctio scientiarum sumatur ex obiecto adæquato.

33. SECVNDA sententia non multùm curat de hujusmodi diuersis abstractionibus à materia, neque de distinctione illa rationis formalis obiecti in rationem *quæ*, & in rationem *sub qua*: sed simpliciter asserit vnitatem, & distinctionem scientiarum sumendam esse ab obiecto formali, seu à ratione *quæ*, secundùm quòd per eadem, vel di-

uersa principia in eam tendunt. Pro huius sententiæ intelligentia.

Aduertendum est primò quamlibet scientiam totalem includere varias partes specie distinctas. Si enim sermo sit de scientia actuali totali, ipsa includit plures actus, specie diuersos iuxta specificam diuersitatem conclusionum actualium, quæ per diuersa media cognoscuntur. Si verò loquamur de habituali, ipsa quoque integratur ex pluribus habitibus partialibus, productis circa diuersa obiecta partialia, per actus diuersos, circa huiusmodi obiecta versantes. Vnde sicut obiectum cuiuslibet scientiæ censeri debet illud omne, circa quod scientia directè versatur: & consequenter obiectum ipsum integrum non aliam habet vnitatem, quàm aggregationis ex omnibus obiectis partialibus, quæ considerantur à scientia: ita scientia non debet habere aliam vnitatem quàm aggregationis ex pluribus scientijs partialibus, sibi aliquâ ratione subordinatis. Pro quo.

34. Aduertendum est secundò, obiectum primum, obiectum adæquatum, & obiectum attributionis idem esse, licet aliqui recentiores aliter loquantur, & velint obiectum adæquatum esse aggregatum ex omnibus obiectis partialibus, quæ in scientia considerantur: obiectum verò attributionis esse partem aliquam ex præcipuis, ad quam cætera obiecta partialia referuntur, & attribuuntur, vnde vocantur attributa. Sed ex communi modo loquendi, idem est obiectum adæquatum, & attributionis, vt diximus quæst. 4. procemiali.

Ad rationem autem primi obiecti requirit Scotus q. 3. prologi, quæ ratione 2. laterali, numero 4. & 7. vt contineat virtualiter omnes veritates illius scientiæ, cuius est obiectum adæquatum: & hoc probat primò quia obiectum primum continet propositiones immediatas, quæ sunt prima principia, ex ipsa ratione, seu definitione subiecti constantia: in istis autem virtualiter continentur conclusiones, & consequenter tota scientia.

Secundò quia obiectum est adæquata causa habitus: causa autem non potest esse adæquata, nisi primò contineat virtualiter totum effectum: ergo obiectum habitus scientifici debet primò virtualiter, hoc est per se, & independenter ab alijs continere omnes, & singulas veritates illius habitus.

Nec aliter sentit Diuus Thomas 1. p. q. 1. a. 7. vbi ostendens Deum esse obiectum Theologiæ, sic ait: *quodetiam manifestum fit ex principijs huius scientiæ, quæ sunt articuli fidei, quæ est de Deo: idem autem est subiectum principiorum, & totius scientiæ, cùm tota scientia in tute contineatur in principijs.*

35. Nihilominus non parua videtur in hoc esse difficultas, quia numerus vt numerus, qui est obiectum Aritimeticæ, non continet passiones proprias binarij, quinarij &c, & consequenter non continet virtualiter omnes veritates habitus Arithmeticæ: neque enim genus, vt sic, v. g. *animal*, continet proprias hominis, aut bouis passiones, & veritates. Item

ens,

ens, vt ens, non continet veritates proprias Angeli, vel subſtantiæ; nec ſyllogiſmus, vel ens rationis, vel modus ſciendi, veritates proprias demonſtrationis, & generaliter nulla ſpecies, omninò diſparata, continet virtualiter paſſiones alterius ſpeciei. Vnde nullum vnum obiectum videtur poſſe aſſignari pro obiecto attributionis, quod virtualiter contineat omnes veritates, quæ de alijs obiectis in eadem ſcientia cognoſcuntur.

Ad hoc reſpondetur, ſubiectum attributionis, continere virtualiter omnes veritates ſcientiæ, cuius eſt obiectum, & eſſe cauſam, ſimpliciter ſufficientem, & adæquatam habitus ſcientifici, non ſecundùm ſe ſolum, & ſua prædicata intrinſeca conſideratum, ſed ſecundùm ſe, & omnia ſimul, quæ ad ipſum reducuntur, & attribuuntur, tanquam aliquid ad ipſum aliquo modo pertinens.

36. Et ita explicat etiam Diuum Thomam Caietanus loco citato; quamuis dicat Scoti mentem aliam eſſe, nimirum quòd obiectum attributionis contineat totam ſcientiam, vt cauſa in ſeipſo ſufficiens, & adæquata, quod cùm non poſſit eſſe verum, vt ex dictis patet, aliqui ſcotiſtæ, inter quos eſt Maſtrius diſput. 1. Metaph. numero 47. aiunt Scotum non loqui de obiecto adæquato ſcientiæ totalis; ſed de obiecto ſpecifico alicuius partis huiuſmodi ſcientiæ, quod contineat omnes veritates ſpectantes ad illam partem, cuius eſt obiectum; ſed his contradicit Poncius diſput. 2. Logicæ numero 12. & 18. vbi affert datam reſponſionem.

Dici etiam poteſt cum eodem Caietano, ſubiectum attributionis in ſeipſo ſumptum continere totam ſcientiam, & eſſe cauſam ſufficientem illius non ſimpliciter, ſed in ſuo ordine, & vt cauſam primam: ſicut Sol continet virtualiter totum hominem, & non ſolùm partem illius, vt prima cauſa, & cauſa totalis, non ſimpliciter, ſed in ſuo ordine. Hoc ergo modo numerus, verbi gratia continet virtualiter omnes paſſiones numerorum, vt binarij, ternarij, vt prima radix eorum, & conſequenter principia numeri, vt ſic, continent virtualiter omnes veritates Arithmeticæ, vt primæ cauſæ, non verò vt adæquatæ, & ideo debent adiungi alijs propoſitionibus, tamquam cauſis proximis, habentibus pro ſubiecto binarium, ternarium &c. idemque de alijs ſcientijs eſt dicendum.

37. Ex his colligere oportet, quòd ſi ex vi alicuius obiecti, ſiue definitionis eius, omnes proprietates, & veritates, ad ſcientiam, quæ eſt de tali obiecto, pertinentes, demonſtrari poſſunt, talis ſcientia erit vna ſpecie infimâ. Si autem oporteat præter talem definitionem, alias adhibere, vt contingit quando tale obiectum eſt quid generieum, continens ſub ſe multas ſpecies, quarum definitiones neceſſariæ ſunt, vt veritates omnes attingi poſſint; huiuſmodi ſcientia erit ſolùm vna genericè, multas ſcientias partiales, & ſpecie diſtinctas continens, vt docet Scotus loco citato, numero 5. in fine. Atque adeo vnitas ſcientiæ ſpecifica deſumetur ex vnitate definitionis, & quidditatis illius obiecti, de quo ſcientia tractat:

cuius contrarium asserit prima sententia, vt patet ex ante dictis.

38. Colligi debet secundò, potentias, & habitus sumere vnitatem & distinctionem suam ab obiectis, *in esse rei* consideratis; ab obiectis, inquam, formalibus totalibus, & adæquatis, ita vt necesse non sit illa obiecta habere vnitatem specificam, aut genericam in esse rei, vt ad vnam potentiam, vel scientiam pertineant, sed sufficere vt ita respiciantur ab vna, quòd non respiciantur ab alia. Quomodo distinguimus visum ab auditu, quia obiectum formale adæquatum visus, nempe color, & lux, est adæquatè distinctum à sono, qui est obiectum adæquatum auditus. Adæquatum autem est, quod totum, & nihil aliud potentia, vel scientia attingit, siue alioquin attingatur ab alia, siue non, quia quod adæquatum est respectu vnius, potest esse inadæquatum respectu alterius, vt sonus est adæquatus auditui, non verò sensui communi

39. Colligendum est tertiò, multas scientias partiales, licet inter se distinctas specificè, posse maiorem inter se conuenientiam habere, quàm cum alijs scientijs, & ideò in vnam potius classem reuocandas esse, ad quam aliæ non pertineant, quæ talem similitudinem sibi non vendicant. Simili enim modo res omnes ad varia prædicamenta reuocari solent, secundùm quòd inter se discrepant, aut conueniunt: vnde aggregatum ex particularibus scientijs vnius classis, dicetur vna totalis scientia, & vno appellabitur nomine: sicut sanitas, & pulchritudo, licet non sint qualitates simplices, sed ex multis inter se proportionatis compositæ, vna tamen qualitas appellantur, quia quæ sunt plura in vno genere possunt sub alia ratione esse vel componere vnum, ex dicto communi.

Talis autem similitudo, quam scientiæ illæ partiales habent inter se potiùs quàm cum alijs, quæ in eadem classe non reponuntur, peti debet ex ratione, in qua multa obiecta partialia, quæ ad tales scientias pertinent, conueniunt, quatenus ab illis scientijs considerantur: in qua quidem ratione licet scientiæ illæ partiales non disconueniant, non propterea eiusdē speciei censeri debent, quia possunt aliunde essentiale, & specificum discrimen sortiri, vt à diuersis medijs, à diuersis rationibus formalibus obiectorum partialium, alijsue principijs.

40. Hoc igitur modo scientia speculatiua, diuisa est ab Aristotele, & antiquis Philosophis, in tria membra, scilicet Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam. Quia enim omnes scientiæ, quæ agunt de corpore naturali, & speciebus illius, atque accidentibus illi connaturalibus in hoc conueniunt, quòd considerent res corporeas vt sic, aut res dicentes ordinē ad corpus, quatenus talem ordinem dicunt; ideò quamuis specie inter se differant, & per varias definitiones, iuxta diuersitatem specificam rerum, de quibus agunt, acquirantur: in vnam tamen classem reductæ sunt, & earum aggregatum, iure merito scientiæ naturalis, vel Physicæ nomen obtinuit.

Pari quoque ratione, quia scientiæ illæ, quæ agunt de ente vt ens,

est, conueniunt in hoc quòd non considerent obiectum aliquod corporeum, & materiale subiectumue sensibus, vt sic, sed substantias tantùm spiritales, & conceptus eis corporibusque communes, ideo aggregatum ex illis vocatum est Metaphysica, hoc est, scientia transnaturalis, seu excedens res materiales, & corporeas: vnde in ea tractatur de Angelis in particulari, non verò de alijs entis speciebus, quæ corporeæ sunt.

Denique quia sunt multæ aliæ scientiæ, quæ non agunt de rebus secundum naturam earum propriam, sed secundum quòd possunt inter se comparati, & varias proportiones subire, ideo in aliam classem relatæ sunt, & communi nomine Mathematicæ nuncupatæ.

SECTIO VI.

Soluuntur obiectiones.

41. NIHIL serè obijci potest contra prædicta, quod sit magni momenti: vt tamen res tota firmiùs stabiliatur, quædam, aduersariæ partis argumenta proponam.

Obijcitur ergo primò: vnica ratio formalis *quæ*, attingitur à diuersis, scientijs, vt eadem rotunditas terræ à Physica & Astrologia, vt sæpiùs dictum est: ergo vnitas, & distinctio scientiæ non potest desumi à ratione formali *quæ*. Deinde ratio *quæ*, non potest dare vnitatem potentiæ, alioquin vna potentia, visiua ϒ *g.* non posset tendere in albedinem, & nigredinem: ergo à pari non potest dare vnitatem scientiæ.

Respondeo ad primum, concedendo rationem *quæ*, non esse totale specificatiuum scientiæ, sed ad hoc etiam concurrere media, per quæ talis ratio attingitur, sic Deus, vt cognoscibilis lumine naturali, specificat Metaphysicam; vt cognoscibilis per lumen reuelationis abscurum, specificat Theologiam: per lumen verò clarum, scientiam beatam. Pari ratione eadem rotunditas terræ pertinet ad Astrologum dum probatur per figuras eclipsium, quatenus vmbra terræ orbiculariter afficit Lunam: ad Physicum autem, dum probatur per motum grauium, quatenus omnes terræ partes æquabiliter ad centrum tendunt, vnde consurgit forma rotunda. Et sic nullâ habitâ consideratione abstractionis à materia, sufficienter ostenditur diuersitas vtriusque scientiæ circa eamdem rationem *quæ*, eodemque modo de alijs Philosophandum est.

42. Respondeo ad secundum, rationem *quæ*, dare vnitatem potentiæ, si sit adæquata, vt explicui numero 38. Si sit autem inadæquata, vt est albedo respectu visus, tantum inadæquatè specificat potentiam. Et hoc patet ex opposita etiam sententia; nam intellectus, in se vna potentia existens tendit in obiecta sub triplici abstractione à materia, quamuis quæ-

libet ex huiusmodi abstractionibus constituat diuersas specie scientias: quia nimirum nulla ex his seorsim est adæquata intellectui, esto adæquata esse possit respectu alicuius scientiæ particularis.

Dices quare ergo ratio *quæ*, coloris, & ratio *quæ* lucis, cùm diuersæ omninò sint, pertinent potius ad eamdem potentiam visiuam, quàm calor & sonus, nisi quia conueniunt in vna ratione formali visibilitatis, in qua sonus, aut calor non conueniunt?

Respondeo, quia talis sunt naturæ. Nam & hæc ratio visibilitatis vltimò refunditur in naturam coloris, & lucis: adeò vt rectè respondeatur colorem, & lucem in tali ratione ideo conuenire, quia talis naturæ sunt: & sonum, atque calorem non conuenire in illa, quia non sunt talis naturæ. Vnde Aristoteles lib. 2. de anima, c. de visu appellat visibilitatem proprietatem coloris: eademque est ratio de scibilitate, vt patet.

43. Obijcitur secundò: media per quæ ratio *quæ*, attingitur, sunt definitiones, ex quibus existentibus in præmissis, inferuntur conclusiones: ergo cum in eadem scientia sint plurimæ definitiones diuersæ, sicut diuersæ sunt quidditates, & rationes *quæ*, non potest ex talibus medijs diuersis reddi ratio, cur ea, quæ per tales definitiones demonstrantur, reduci debeant ad vnam scientiam. Ad hoc enim non sufficit subordinatio, & dependentia ab vno subiecto principali, quia, licet hoc forte posset dici de diuersis passionibus, quarum vna oritur à tali subiecto, mediante alia, vt risibile mediante admiratiuo, & admiratiuum mediante discursiuo: tamen multa alia sunt omninò diuersa, & à se inuicem independentia, quæ ad eamdem scientiam pertinent, & quæ non possunt hoc modo subordinari.

Neque etiam ad hoc sufficit sola definitio subiecti principalis, quia idem sæpe subiectum ad diuersas scientias spectat, & consequenter diuersimodè ab illis definitur; vt homo definitur à Physica, *compositum ex corpore, & anima rationali*: à Metaphysica, *substantia rationalis mortalis*. Restat ergo explicandum, in quo definitiones rerum diuersarum vniantur, vt ad eamdem scientiam spectent; aut cur, dum sunt eiusdem rei, ita diuersificentur, vt ad diuersas scientias pertineant. Hoc autem optimè explicatur per diuersam abstractionem, vt visum est in prima sententia.

44. Respondeo ex numero 39. sufficienter adunari omnes huiusmodi definitiones diuersas, & rationes *quæ*, ex subordinatione, & dependentia, quam habent inter se per ordinem ad vnum subiectum, circa quod versantur. Non potest enim negari, omnia, quæ conueniunt in ratione corporei, licet alioquin inter se specificè differant, specialem inter se habere connexionem in ratione illa, & habitudinem aliquam dicere ad corpus, quam non dicunt ad spiritum: propter quod meritò pertinere dicantur ad Physicam, quæ habet pro obiecto substantiam corpoream sub ratione corporei. Si verò sit aliqua alia scientia, quæ spectet substantiam, non sub ratione corporei, sed sub ratione entis, vel sub ratione communi

ſubſtantiæ, vel efficientis &c. vt præſtat Metaphyſica, poterit illi aliam adhibere definitionem, ſuæ conſiderationi conformem; & ita eadem ratio *quæ*, cognita per diuerſa media, & ſub diuerſis gradibus, ad diuerſas ſcientias poterit referri, vt explicatum eſt eodem numero.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſcientia totalis habitualis, ſit vna ſimplex qualitas.

1. SENSVS quæſtionis eſt, vtrum habitus cuiuſque ſcientiæ totalis, *v. g.* Logicæ, quâ intellectus dirigitur, & determinatur ad demonſtrandas omnes concluſiones, ad illam ſcientiam pertinentes, ſit in ſe ita ſimplex, & indiuiſibilis, vt non ſit compoſitus ex pluribus habitibus partialibus, ſed qui acquiſiuit habitum circa vnam concluſionem, habeat hoc ipſo totum habitum ſcientiæ; adeò vt dum uerſatur circa alias concluſiones ad eamdem ſcientiam pertinentes, non acquirat de nouo alium partialem habitum, quo ad poſteriores illas concluſiones inclinetur, ſed ſufficiat primus, qui extendatur ad tales concluſiones nouas.

Circa hoc duplex eſt ſententia, vt poteſt colligi ex quæſtione præcedenti. Prima eſt Diui Thom. 1. 2. q. 54. art. 4. & Cajetani *ibidem*: Ferrarienſis 1. contra gentiles cap. 56. Soti q. 3. procœmiali Logicæ: Complutenſium diſput. 19. q. 4. Ioannis à ſancto Thoma q. 27. art. 2. & aliorum multorum aſſerentium quamlibet ſcientiam totalem eſſe vnam ſimplicem qualitatem.

Secunda ſententia eſt Scoti q. 3. prologi q. 2. laterali numero 5. in fine 3. ſent. d. 25. q. 2. numero 3. & 6. Metaph. q. 1. Gregorij Arim. q. 3. prol. art. 1. Ioan. Pontij diſput. 2. q. 9. de natura Logicæ, cum Scotiſtis, & alijs multis recentioribus, quamlibet ſcientiam totalem multos complecti partiales habitus, nec eſſe ſimplicem vnam qualitatem. Vtraque ſententia probabilis eſt, vt conſtabit ex vtriuſque rationibus, & ſolutionibus earum.

SECTIO I.

Scientiam habitualem esse vnam simplicem qualitatem.

2. PROBATVR primò ratione Diui Thomæ, loco iam citato: quia omnis perfectio debet esse proportionata suo perfectibili, habitus autem scientificus est perfectio potentiæ intellectiuæ: ergo sicut intellectus est vna simplex qualitas, & potentia, se extendens ad multos actus, specie diuersos, & ad multa obiecta formalia, specificè distincta, non obstantibus etiam diuersis difficultatibus, propterea quòd illa multa conueniunt in generali quadam ratione obiecti: ita habitus scientificus, erit vna qualitas simplex, & poterit versari circa diuersas conclusiones, etiam per diuersa media, & consequenter ad plura se extendere, licet diuersa, modo sint ordinata ad aliquid vnum, quod habitus principaliter respicit.

Respondeo primò, proportionem potentiæ, & habitus non esse positam in dicta indiuisibilitate, & simplicitate naturæ, alioquin deberet vnicus esse habitus omnium scientiarum, sicut est vnica earum potentia intellectiua; & vnica quoque virtus moralis in voluntate, sicut est vnica potentia volitiua.

Proportio ergo illa consistit in mutua correspondentia, quam habent potentia, & habitus ad versandum circa idem obiectum per modum actus primi; item in hoc quod potentia ex se indeterminata ad eliciendum actum circa tale, vel tale obiectum, contentum sub obiecto suo adæquato, sic ab habitu perficiatur, vt determinetur ad hoc potius obiectum, quam ad aliud. Proportio item in hoc sita est quòd habitus perficit potentiam prout ipsa exigit, id est facilitando & inclinando ad actus.

Denique quilibet specialis habitus circa eamdem conclusionem, per idem medium acquisitus, est vna simplex qualitas, & ita sufficienter seruatur dicta proportio potentiæ cum habitu quolibet scientifico speciali, & consequenter cum omnibus.

Respondeo secundò, disparitatem esse, quia potentia non fit per actus, sicut ipse habitus, & ideò non debet ipsis commensurari eo modo, quo habitus. Nam si actus sint diuersæ rationis, & in eis diuersa reperiatur difficultas, habitus productus ab vno, non poterit inclinare, & facilitare ad alios huiusmodi actus diuersos, quia ipsi non continentur in actu illo, nec consequenter in illo habitu, siue formaliter, siue eminenter, vt constat.

3. Probatur secundò: habitus Fidei, Spei, & Caritatis sunt simplices qualitates, & tamen habent actus specie diuersos; nam actus fidei,

quo credimus Deum esse trinum, est diuersus ab eo, quo credimus Verbum incarnatum: veritates quippe illæ sunt valde diuersæ: diuersas etiam includunt difficultates ad credendum: sicut diligere amicum, & inimicum propter Deum, vt constat.

Confirmatur ex virtutibus moralibus: nam prudentia, justitia, fortitudo, temperantia sunt simplices qualitates, & tamen circa diuersissimas versantur materias, in quibus diuersæ reperiuntur difficultates: est enim maior in morte toleranda, quam in tolerando minori dolore: maior item in abstinendo à carnibus, quàm à nucibus; alia in reddendo famam ablatam, alia in reddendo pecuniam &c, & hæ difficultates superantur paulatim per actus iteratos, & frequens exercitium circa materias diuersas: ergo simili modo scientia poterit esse vna simplex qualitas licet versetur circa diuersas materias, & diuersas difficultates.

4. Respondeo negando consequentiam, & paritatem. Quamuis enim dici possit cum Meurissio q. 6. procœmiali Metaph. concl. 2. in fine cum alijs, non esse vnicam specie fidem respectu omnium credibilium, licet vnica sit ratio illis assentiendi: probabilius tamen est quòd fides est vna simplex qualitas, quia omnes actus eius tendunt in sua objecta per idem omninò motiuum, seu medium, quod est diuina veritas reuelans. Vnde modò constet de reuelatione, cùm euidens sit Deum esse essentialiter veracem, non est maior difficultas credendi aliquibus articulis fidei, quàm alijs, ideoque non debent multiplicari habitus.

At in scientia aliter se res habet, quia sunt in illa diuersæ difficultates formales, diuersæque rationes formales assentiendi, secundùm quas multiplicantur specie actus scientifici conclusionum; atque adeò diuersi specie habitus producuntur ab ipsis.

Ad hoc etiam ostendendum, maximè facit differentia, quæ est inter habitus euidentes, & ineuidentes intellectus. Per euidentes enim attingitur veritas rei in seipsa, siue immediatè, vt per habitum primorum principiorum, in quo ratio assentiendi est ipsa intrinseca terminorum connexio, intuitiuè cognita: siue mediatè, vt per habitum scientificum, in quo assentimur veritati conclusionis propter præmissas: ita vt ratio assentiendi sit veritas ipsa conclusionis, non simpliciter in se, sed vt manifestata per medium, in præmissis contentum, quatenus intelligitur esse intrinseca connexio extremorum cum tali medio, & ratione assentiendi.

5. At verò habitus ineuidentes, vt Fidei Diuinæ, & Theologæ, non manifestant veritatem rei in se, sed inclinant intellectum ad ipsi assentiendum per motiuum, seu medium extrinsecum Diuinæ reuelationis: ex quo fit eumdem simplicem habitum ineuidentem, posse versari circa materias diuersissimas, quia ratio extrinseca assentiendi potest eodem prorsus modo, & absque vlla variatione illis applicari.

Quandò autem talis ratio intrinseca est, vt in habitibus euidentibus, non potest vniformiter applicari diuersis quibuscumque conclusionibus,

quia ipsæ diuersam habent veritatem, & consequenter diuersam connexionem cum medijs, & rationibus assentiendi diuersis: ideoque habitus, ex vna conclusione genitus, non potest ad aliam diuersam inclinare, sed debet nouus generari: & ita scientia totalis nequit esse vna simplex qualitas.

Denique aliud discrimen assignari potest, quòd fides sit habitus supernaturalis, qui habet quodammodo rationem potentiæ, cùm non detur ad faciliter operandum, sicut habitus naturales, sed ad simpliciter posse operari, & ideo est complementum potentiæ in ordine supernaturali: quo fit vt indiuisibilis existens possit, non secùs ac potentia, diuersos specie actus elicere, & circa obiecta specificè diuersa operari, præsertim si hujusmodi actus non producant efficienter habitum, sed tantùm meritoriè vt multi volunt, asserentes à solo Deo infundi. Nec alio modo philosophandum est de Spe, & Caritate supernaturalibus.

6. Ad confirmationem dicunt aliqui, inter quos est Merinero disputatione procœmiali q.5. virtutes quaslibet morales non esse simplices qualitates, sed multiplicari earum habitus partiales secundùm diuersas difficultates notabiles. Alij inter quos est Suarez disp. 44. Metaph. sect. 11. numero 42. volunt esse simplices qualitates, quia in illis idem est motiuum, eademque ratio formalis tendendi in sua obiecta, videlicet honestas cujusque virtutis, vt in temperantia mediocritas inter delectationes cibi, & potus &c.

Neque obstant diuersæ difficultates, quæ occurrunt in diuersis materijs, quia ad eas superandas non est opus nouos habitus ponere, sed tantum maiorem intensionem in eodem, eo quòd semper adest idem motiuum, quod applicatur omnibus illis materijs, & ita diuersæ illæ difficultates materialiter tantùm se habent, nec sunt essentiales, sed accidentales, quia non procedunt ex defectu inclinationis, & rationis formalis ipsius virtutis, sed ex defectu exercitij, aut alicuius dispositionis ex parte operantis, aut ex parte materiæ: sic enim contingit aliquem facilius exercere pœnitentiam jeiunijs, quàm flagellis, quia illis assuetus est, non istis: alium è contrario. Item propter experientiam, & memoriam præteritæ consuetudinis proponitur ipsum obiectum vt facilius, & magis connaturale.

Præterea sicut ignis difficiliùs agit in lignum viride, quàm in siccum, propter materiæ resistentiam, licet agat per eamdem qualitatem, & æquali vi: ita vir fortis difficilius tolerabit mortem, quam flagella propter ipsius materiæ difficultatem, & quasi resistentiam, licet in eo sit eadem indiuisibilis fortitudo. Et hæc vtraque opinio probabilis est, defendique facilè potest absque alia disquisitione.

7. Probatur tertiò: si quid obstaret indiuisibilitati, & simplicitati vnius habitus scientifici, maximè diuersitas mediorum, per quæ variæ conclusiones probantur, vt vltrò concedit opposita sententia: sed hoc non

obstat,

obstat, ergo nihil. Probatur minor quia duo diuersa media, diuersique ordinis, verbi gratia medium de fide, & medium scientificum, licet alioquin seorsim sumpta producerent duos actus, & consequenter duos habitus; possunt tamen vniri in vna ratione formali ad producendum vnicum actum, vt cum quis eidem propositioni, *v.g. Christum esse hominem*, assentitur ex motiuo fidei, & ex medio scientifico simul: ergo multò magis poterunt vniri multa media eiusdem ordinis, & eiusdem abstractionis, ad inferendas quascumque conclusiones, inter se ordinatas, & sub eadem ratione scibilitatis conuenientes, vt inde oriatur vnicus habitus, & vna simplex qualitas.

8. Respondeo in primis, quòd licet duæ aliquæ rationes formales, in duobus medijs diuersis seorsim relucentes, possint vniri, & coniungi in vna ad producendum vnicum actum, non sequitur quòd innumeræ, quæ in qualibet scientia reperiuntur, possint hoc modo vniri.

Præterea: ideò medium scientificum, & medium de fide possunt concurrere, seu conspirare ad vnicum actum, vt sentit Durandus q. 1. prologi numero 29. quia assensus fidei, & assensus scientiæ non possunt fortè simul esse in eodem intellectu respectu eiusdem obiecti: at res ita se non habet in diuersis conclusionibus alicuius scientiæ, quæ cùm sint circa diuersa obiecta partialia, sunt inter se diuersi actus, & diuersos consequenter producunt habitus. Pro quo vide quæ diximus supra q. 4. numero 7. lib. 6.

Tertiò denique, licet duæ rationes formales possint vniri in vnam respectu eiusdem habitus, posito quòd habitus inclinet ad vnum actum, continentem in se tales rationes formales, quomodo vult Capreolus in 3. d. 25. q. vnica, art. 3. ad argumenta Durandi, actum productum ex medio scientifico, & medio fidei esse actum scientificum, affectum modo supernaturalitatis propter concursum fidei. Vel, vt dicunt alij, habentem ce titudinem à medio fidei, & euidentiam à medio scientifico, ita vt medium fidei, quasi depositâ obscuritate, simul ad illum actum concurrat: non sequitur, idem contingere in scientia, quia eius habitus inclinat ad actus diuersos per diuersa media seorsim, vt diuersa; & sic non possunt coalescere in vnum.

9. Probatur quartò ex Caiet. 1. 2. q. 54. citata: nulla species, per se, & essentialiter constituta in genere qualitatis, est composita ex multis qualitatibus diuersarum specierum, vt per se notum est: sed habitus scientificus est essentialiter in prima specie qualitatis; ergo est qualitas simplex & vna species atoma, non verò cõposita ex pluribus habitibus specie diuersis, habentibus ordinem inter se, sicut exercitus ex multis militibus; alioquin secundùm formale poneretur in genere relationis, & secundum materiale tantum, in genere qualitatis.

Confirmatur, quia ratio obiecti cuiusque scientiæ, secundum rationem formalem obiecti, & prout attingitur à scientia hac, non ab alia,

ſpecificat aliquid reale, hoc eſt habitum ipſum ſcientiæ, ita vt intrinſeca eius ſpecificatio dependeat ab illo obiecto, in eſſe obiecti ſpectato, non autem in eſſe rei, quia ſic attingitur à plurib⁹ ſcientijs, vt conſtat apud omnes: ſed obiectum in eſſe obiecti, ſeu in eſſe ſcibilis, ſibi vendicat vnicam rationem formalem, in qua conueniunt omnia, quæ à ſcientia conſiderantur; ergo ſecundùm illam rationem eſt vnicum ſpecificatiuum, terminans vnicum modum cognoſcendi, ſeu operandi talis ſcientiæ: atque adeò conſtituens illam in vna ratione ſpecifica eſſendi, quia modus operandi, fundatur in modo eſſendi, ex quo ſequitur ipſam eſſe vnam ſimplicem qualitatem.

10. Reſpondeo diſtinguendo minorem: habitus ſcientificus eſt in prima ſpecie qualitatis, prout eſt aggregatum, & collectio omnium habituum partialium, eandem ſcientiam totalem componentium, *nego*, quia ſic eſt vnum per aggregationem, & per accidens, ſpectans formaliter ad prædicamentum relationis: prout autem ſignificat quemlibet ſpecialem habitum, circa eamdem concluſionem acquiſitum, ponitur in prima ſpecie qualitatis, *concedo*, quia ſic eſt vna per ſe ſcientia: quemadmodum aggregatum aliquorum hominum non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, vt aggregatum eſt; ſed quatenus quilibet homo in eo per ſe collocatur.

Ad confirmationem, concedo tationem formalem obiecti ſpecificare habitum ſcientificum; non tamen ſpecificatione atomâ, niſi ſermo ſit de quolibet habitu ſpeciali, & de qualibet ratione formali cuiuſque obiecti partialis, & ſpecialis; & ideò nego minorem, quòd ſcilicet ratio formalis ipſius obiecti totalis ſit vna ſpecificè, ſpecie infimâ. Quodlibet enim obiectum partiale habet ſuam ſcibilitatem ſpecialem, per quam terminat actus ſcientificos ſpeciales, tendentes ad ipſam per diuerſa media: ſicut ſpecialis eſt viſibilitas in albedine, diſtincta à viſibilitate, quæ eſt in nigredine, & ideo viſio albi, non eſt eiuſdem rationis cum viſione nigri, alioquin viſio albi poſſet repræſentare nigrum, quod nullus dixerit.

Vnde licet omnes colores conueniant in ratione communi obiecti viſus, & in eadem ratione generica illum immutandi; diſcrepant tamen in ratione ſpecifica, quia album immutat diſgregando, nigrum verò congregando; vnde colligitur ſpecifica diuerſitas vtriuſque coloris, atque adeò diuerſitas ſpecifica vtriuſque viſionis; cùm vna ſit formalis ſimilitudo albi, & alia nigri.

Pari quoque ratione licet omnia obiecta partialia alicuius ſcientiæ, conueniant in ratione communi generica ſcibilis, propter quam ad vnam ſcientiam totalem pertineant, vt explicatum eſt quæſt. præcedenti, num. 38. ſingula tamen habent ſcibilitates particulares, & proprias, ſpecie diuerſas, quæ attinguntur ab actibus ſpecie diuerſis, vnde oritur multiplicatio, & diuerſitas habituum ſpecifica.

11. Cæterum, quia ſpeciales huiuſmodi habitus ſunt qualitates in ſe

completæ; ita vt habitus, quo quis nouit definitionem v. g. debere constare genere, & differentia, sit species qualitatis, directè in illius prædicamento constituta; & similiter ille, quo quis nouit membra diuisionis debere esse adæquata diuiso, & sic de alijs: consequenter non possunt maiorem sibi vnitatem vendicare, quàm vnitatem ordinis, quia vna species completa non potest facere compositionem *per se* cum alia specie completa.

Quòd autem tales habitus sint completi, ostenditur ex eo, quòd ordinentur ad actus, qui sunt in se entia completa, itaut vnus non compleatur per alterum, nec essentialiter tanquam actus, & potentia, nec integraliter: vnde pari iure sequntur tales habitus non debere, per se inuicem cõpleri, nec propterea vniri Physicè inter se, siue essentialiter, siue integraliter: vnio enim integralis esset omninò superflua, quia non minùs potest aliquis scire conclusiones omnes alicuius scientiæ per habitus partiales non vnitos, quam per vnitos, vt de se constat: essentialis verò per modum actus, & potentiæ, esset quoque superflua, quia eâ positâ nullus potest assignari effectus scientiæ totalis, quem non haberet, etiam illâ vnione sublatâ.

Præterea actus præsupponit potentiam, & non potest conseruari, aut produci sine illâ: at multi habitus partiales scientiæ possunt indifferenter acquiri ante vel post alios, vt habitus diuisionis, ante, vel post habitum definitionis; nec potest ostendi quis habeat rationem actus, quisue potentiæ.

12. Quæres vtrum quælibet scientia totalis possit, prædictis non obstantibus, dici vna specie scientia? Respondent aliqui posse, & debere sic nominari, quia ratio vnius scientiæ totalis, verbi gratia Logicæ, non potest prædicari de multis Logicis specie diuersis. Quæ enim in Petro est, differt tantum numero ab illa, quæ est in Paulo. Et hoc non obstat, quo minùs dicatur non esse vnus habitus specie, quia nomine *scientiæ* absolutè, intelligitur collectio omnium habituum ad eam pertinentium; nomine verò *habitus* intelligitur quilibet, etiam partialis, sicut nomine *exercitus* intelligitur aggregatum multorum militum; licet *miles* significet quemlibet militem, seorsim sumptum.

Alij verò negant, debere propriè dici vnam specie, vel genere, quia non est quid per se vnum, propriè loquendo, in prædicamento collocabile: sicut aceruus, licet dicatur *in quid* de multis aceruis lapidum, non est species propriè respectu ipsorum, quia non est vnum per se. Poterit tamen impropriè dici vna specie, vel genere, secundum quòd obiectum, circa quod versatur, erit vnum genere, vel specie. Hoc vtrumque absque incommodo sustineri potest, vt constat.

SECTIO II.

Scientiam habitualem non esse qualitatem simplicem.

13. PROBATVR primò, quia vbi sunt diuersæ specie difficultates, ibi debent poni diuersi specie habitus ad illas superandas: sed in quauis scientia sunt diuersæ specie difficultates; ergo & diuersi specie habitus; ideoque nulla scientia est simplex qualitas, sed aggregatum multorum habituum. Maior constat. Minor verò probatur, ipsâ experientiâ. Qui enim didicit naturam definitionis, nouam patitur difficultatem in cognoscenda natura syllogismi; & qui primam habet conclusionem Geometriæ, non potest alias demonstrare absque nouo studio, & noua difficultate, eademque ratio est in alijs scientijs.

Respondeo: vbi sunt diuersæ specie difficultates, debent poni diuersi specie habitus, *si difficultates sint essentiales, & formales, concedo; si difficultates sint tantùm materiales, & accidentales, vt sunt in quauis scientia totali, nego.* Difficultas essentialis petitur ex defectu inclinationis & rationis formalis ipsius scientiæ: accidentalis verò ex defectu exercitij, & applicationis ipsius rationis formalis ad talem, vel talem materiam, atque etiam ex defectu coordinationis ipsarum specierum, vnde prouenit, quòd habitus non possit æquali facilitate ex parte subiecti inclinare ad omnes conclusiones, licet ex parte sui sit formalis, & essentialis facilitas ad omnes conclusiones, earumque obiecta sub eadem ratione *sub qua* consideranda.

Quod potest ostendi in fide diuina, & charitate. Est enim maior difficultas in diligendo inimicum, quàm amicum; in credendo Trinitatem, aut Incarnationem, quàm immortalitatem animæ, &c. & tamen non ideo ponuntur communiter plures habitus fidei, vel charitatis, quia tales difficultates non procedunt ex defectu rationis formalis, sed ex parte operantis, & materiæ, quæ reddit difficilius exercitium, & operationem huiusmodi virtutum. Vide quæ diximus numero 6.

14. Probatur secundò. Diuersi specie actus non possunt non producere diuersos specie habitus: nam ex 2. Ethic cap. 1. & 2. similes actus similes habitus causant: sed in quacunque scientia sunt diuersi specie actus, ergo sunt diuersi specie habitus. Maior est per se clara, quia habitus est tantum facilitas ad actus similes ijs, à quibus productus est, habet enim ab actibus quidquid habet: nullus autem actus potest producere inclinationem, & facilitatem, quam in se non continet; qui verò continet facilitatem circa vnum obiectum, non continet facilitatem circa aliud diuersum, quod nullo modo ab ipso cognitum est. Igitur diuersi specie actus euidenter arguunt diuersos specie habitus.

Probatur ergo minor: quia vbi est diuersa specie ratio assentiendi conclusionibus, ibi sunt diuersi specie actus, & assensus: sed in diuersis conclusionibus eiusdem scientiæ, est diuersa specie ratio illis assentiendi. Nam in demonstratione à priori, ratio assentiendi conclusioni est definitio subiecti, de quo aliquid ostenditur; at perspicuum est definitionem animæ rationalis esse distinctissimæ rationis à definitione animæ equi in Physica; similiter definitionem Angeli in Metaphysica à descriptione Dei. Item medium, quo probatur dari materiam primam, est valde diuersum ab eo, quo probatur non dari vacuum: & illud quo ostenditur definitionem debere constare genere & differentiâ, ab eo, quo ostenditur syllogismum debere constare tribus propositionibus.

15. Respondeo: diuersi specie actus non possunt non producere diuersos specie habitus, *si sint diuersi actus tantum in esse rei, entitatiuè & materialiter, nego, si sint diuersi formaliter, & in ratione scientifica, concedo.* At verò demonstrationes, & conclusiones scientificæ, ad eamdem scientiam pertinentes, sunt tantùm diuersæ materialiter, & in *esse rei* non verò formaliter, quia attinguntur a scientia sub eadem ratione formali, à qua ipsa sumit speciem: sicut colores, licet sint diuersi specie *in esse rei*, seu coloris, non tamen *in esse visibilis* à visiua potentia, & *in esse illuminabilis* à luce.

Simili quippe ratione, vt explicuimus q. præcedenti, num. 14. & 15. ratio formalis scibilitatis afficit, illuminat, & informat materias omnes, circa quas fiunt demonstrationes, & reddit eas cognoscibiles ab eodem simplici habitu. Neque obstat diuersitas mediorum, per quæ probantur conclusiones, quia talis quoque diuersitas est etiam materialis, & secundum quid tantùm, eo quòd media illa sunt ordinata inter se, & subiacent eidem modo definiendi, seu eidem rationi formali scibilitatis, & vt sic informata influunt in conclusiones illas, vt diximus ibidem.

16. Instabis: esto, actus illi siue demonstrationes distinguantur specie, tantùm materialiter & *in esse rei*, ergo producunt habitus distinctos *in esse rei*, & materialiter, atque adeò scientia erit composita ex multis habitibus *in esse qualitatis* distinctis, licet non *in esse scibilis*, hoc autem sufficit ad istam sententiam.

Respondeo negando consequentiam, eo quòd huiusmodi actus non agunt, nisi prout substant eidem rationi formali cognoscibilitatis, quæ in qualibet scientia est vna in specie infima, & ideò vnicus habitus in specie infima sufficit ad eliciendos illos omnes actus: sicut vnica potentia visiua ad omnes visiones, propter eamdem rationem visibilitatis in omnibus coloribus.

Si enim eadem conclusio in esse rei, *v. g. quod terra est rotunda*, causat diuersitatem scientiarum, nimirum Physicam, & Astrologiam, vt toties in superioribus diximus, quia induit duas rationes cognoscibilis propter duo diuersa media, alterum mathematicum, seu à materia ab-

ſtractum; alterum naturale, & cum motu coniunctum: quare è contrario plures concluſiones *in eſſe rei*, non poterunt adunari *in eſſe cognoſcibilis*, propter eamdem rationem formalem, ſub qua ſpectantur ab habitu ſcientifico?

17. Probatur tertio ex Gregorio Arim. vbi ſupra. Si habitus ſcientiæ totalis eſſet qualitas ſimplex, & indiuiſibilis, qui ſciret vnam concluſionem, poſſet exire in actum ſciendi cæteras concluſiones, quas numquam conſiderauit: ſed hoc eſt abſurdum, & experientiæ repugnat: ergo &c. Probatur maior primò, quia tam habitualiter ſciret totam ſcientiam, quàm qui omnes concluſiones didiciſſet.

Secundò, quia in quemcumque actum poteſt aliqua forma, in eumdem poteſt quælibet forma ejuſdem rationis ſpecialiſſimæ, quamuis non æquè perfectè, ſi non ſit ita perfecta: nam minimus calor poteſt calefacere, licet non tam perfectè ſicut intenſus: ſed habitus ſcientiæ, primæ concluſionis, eſt eiuſdem rationis ſpecialiſſimæ cum habitu aliarum omnium concluſionum, licet non ſit ita perfectus: ergo &c.

Confirmatur: abſurdum enim eſt, vt rectè ait Scotus 6. Metaph. q. 1. num. 4. dicere quòd aliquis habeat habitum reſpectu alicuius concluſionis, ad quam non habet maiorem facilitatem, quam ſi non haberet habitum: ſic autem ſe habet ille, qui vnam tantùm concluſionem didicit; aut ſaltem maiorem habet difficultatem circa alias, quàm ille qui reliquas nouit: igitur, cùm per habitum tollatur difficultas, ille qui maiorem habet difficultatem, non habet totum habitum, quem habet alter, qui difficultate caret.

18. Reſpondeo negando maiorem: ad primam eius probationem dico, qui ſciret vnam concluſionem, tam habitualiter ſciret totam ſcientiam, quàm qui omnes concluſiones didiciſſet, *quoad eſſentialem ipſius habitus conſtitutionem & perfectionem concedo: quoad accidentalem, & extrinſecam extenſionem nego.* Vt enim rectè docet D. Thomas 1. 2. q. 54. art. 4. ad 3. *qui acquirit per demonſtrationem ſcientiam concluſionis vnius, habet quidem habitum, ſed imperfectè: cum verò acquirit per aliquam demonſtrationem ſcientiam concluſionis alterius non aggeneratur in eo alius habitus, ſed habitus qui prius inerat, fit perfectior, vtpote ad plura ſe extendens eo quòd concluſiones, & demonſtrationes vnius ſcientiæ ordinatæ ſunt, & vna deriuatur ex alia.* Vnde habitus primò acquiſitus eſt tota ſcientia quoad ſubſtantiam habitus, ſed quia deſunt ſpecies, aut coordinatio ſpecierum, aliarum concluſionum, ideò non poteſt exire in actum ſciendi earum, quas nondum conſiderauit.

Ad ſecundam probationem concedo maiorem de forma ſimplici quoad eſſentiam & potentias, quales ſunt formæ homogeneorum: nego autem illam de forma ſimplici quoad eſſentiam quidem, ſed non quoad potentias, vt contingit in formis hetereogeneorum. Animal enim recenter natum, & poſtea grande factum, eſt eiuſdem ſpeciei, & tamen non poteſt

producere sibi simile, nisi quando est perfectum ex 4. Meteor. cap. 3. initio.

19. Licet ergo scientia per primam demonstrationem acquisita, sit simplex secundùm essentiam, non tamen est simplex secundùm potentiam, quia multas includit species, quibus efficitur potens ad diuersas conclusiones considerandas, & ad diuersas vires, seu potentias intellectus actuandas, vt dicitur in responsione ad 5. In prima quippe demonstratione acquirit vim adunandi, & coordinandi species pro secunda; & in secunda fit potens ad coordinandas species pro tertia, & sic deinceps: vnde hoc modo perfectus euadit habitus scientificus; & quia secunda demonstratio dependet à prima, & tertia à secunda, quòd maximè in Geometria patet, ideò non sequitur habitum imperfectum posse in id, in quod potest perfectus.

Adde quòd, vt rectè aduertit ibi Caietanus committitur fallacia *figuræ dictionis*, mutando *quid* in *quantum*. Non enim sequitur quod si calor paruus potest producere calorem, possit producere tantum, seu sic intensum: ita non sequitur quòd si habitus scientificus possit exire simpliciter in actum sciendi, exire possit in omnes, quia scire quintam conclusionem est maius scire, quam scire tantùm primam.

Ad confirmationem patet responsio ex solutione primi. Habitus enim ex prima conclusione relictus, est facilitas formalis, & essentialis ad omnes, licet non adsit facilitas accidentalis defectu exercitij, & coordinationis specierum: qui autem habitu caret, vtráque caret facilitate. Vnde instantia hæc vim nullam habet.

20. Probatur quartò ex eodem Gregorio: si scientia habitualis omnium conclusionum esset vna, & eadem qualitas indiuisibilis, non posset amitti cognitio vnius conclusionis, quin amitteretur cognitio omnium; idem enim indiuisibile non potest secundùm aliquid destrui & corrumpi, & secundùm aliquid manere: sed experientiâ constat, oblitione decimæ conclusionis non amitti habitum circa primam, vel secundam. Ergo non potest esse idem habitus, qui inclinat ad decimam, & ad primam.

Respondeo concedendo maiorem, intellectam de cognitione habituali, & de intrinseca ipsius habitus entitate; negando verò illam, intellectam de perfectione accidentali, positâ in extensione, & in proxima potentia, seu inclinatione habitus ad has, vel illas conclusiones: quæ quidem inclinatio, & potentia proxima, præter intrinsecam ipsius habitus entitatem, dicit eius applicationem ad talem, vel talem conclusionem cum debita specierum coordinatione, quæ per oblitionem tollitur, intactâ manente habitus vnitate: sicut quando anima rationalis desinit informare aliquam materiæ partem, quam antea informabat; nihil amittit de propria entitate, sed solùm desinit esse applicata, & vnita actu huiusmodi materiæ.

SECTIO III.

Soluuntur cætera argumenta.

21. PROBATVR quintò ex Scoto *6. Metap. q. 1.* quia sequeretur posse aliquem habere summum errorem, & summam scientiam habitualem de eodem obiecto. Nam qui acquirit habitum scientificum per demostrationem primæ conclusionis, habet tantam scientiam habitualem decimæ, & omnium aliarum, quantam potest habere, ex hac sententia.

At nihil repugnat, imò sæpe contingit ipsum habere errorem habitualem circa conclusionem decimam, remanente habitu scientifico integro: ergo habebit simul habitum summum erroris, & tantum quantum potest habere, quia talis habitus erroneus, non secùs ac scientificus, est simplex qualitas. Quis autem non videt hoc esse absurdum, etiam in sententia Thomistarum, qui ne quidem patiuntur duos habitus veros, & certos, vt est scientia & fides, de eodem obiecto esse simul. Vnde ex hoc.

22. Confirmatur primò: scientia primæ conclusionis non opponitur errori conclusionis decimæ, neque actuali, neque habituali, ergo scientia primæ, & scientia decimæ non est eadem simplex qualitas. Probatur consequentia, quia eædem qualitates specificæ habent eamdem qualitatem specie sibi contrariam; ergo sicut quidquid opponitur igni, vt ignis est, opponitur omnibus ignibus: ita error oppositus conclusioni decimæ, opponeretur scientiæ omnium aliarum conclusionum: atque adeò vnâ per errorem corruptâ, tota scientia corrumperetur. Et hoc conuincitur ex fide diuina, quam totam amittit hæreticus, etiam in vno solùm articulo. Si enim vtrobique ratio formalis assentiendi est indiuisibilis, cur fides tota corrumpetur per vnicum actum hæresis, non verò tota scientia per vnicum actum erroris?

23. Confirmatur secundò, quia habitus erroneus circa vnam conclusionem, non solùm opponitur habitui scientifico quoad coordinationem specierum, aut eius applicationem ad talem vel talem materiam, vt illi obliuionem opponi dictum est num. 20. sed opponitur directè, & entitatiuè ipsi habitui; & consequenter debet ipsum destruere quoad propriam illius entitatem, & realitatem, & non solum quoad modum illum extensionis, & applicationis.

Accedit quòd si error circa decimam conclusionem non destruit habitum quoad entitatem eius, error quoque circa nonam, octauam, septimam, & cæteras omnes, non destruet illum quoad entitatem quia non

est

est maior ratio de vna, quam de alia, & sic non erit directè cõtrarius ipsi habitui scientifico, quod est inauditum. Cùm enim actus erroris, & scientiæ circa eamdem conclusionem sint oppositi, habitus ad tales actus inclinantes, necesse est esse oppositos, quia inclinationes non dicuntur oppositæ, nisi quia ad motus seu actus oppositos inclinant. Inclinationes autem contrariæ non possunt se simul compati in eodem subiecto

24. Pro responsione nota ex Caietano, loco citato primæ secundæ, id quod explicuimus quæst. de qualitate numero 10. & 11. nimirum in intellectu esse quasi diuersas potentias partiales, saltem ratione distinctas, æquiualentes diuersis reipsa distinctis, per quas intelligitur posse perfici à diuersis eiusdem scientiæ conclusionibus; ita vt habitus scientificus incipiens perficiat intellectum secundum primam potentiam; per secundam verò demonstrationem extendatur ad perficiendum eum secundùm potentiam secundam & per tertiam demonstrationem, secundùm tertiam; & sic de alijs; adeo quòd intellectus paulatim subijciatur huiusmodi habitui scientifico, ab eoque actuetur successiuè ac si multæ in eo essent potentiæ ad diuersas conclusiones, seu ad *scire* diuersarum conclusionum: vnde intelligitur quod habet Aristoteles 5. Metaphys. c. 19. & 20. quòd habitus est dispositio quædam; & dispositio est ordo habentis partes. Per partes enim intelliguntur huiusmodi potentiæ partiales, & ita explicat Diuus Thomas 1. 2. q. 50. art. 6. ad 3. vbi ait *quòd in angelis non sunt partes essentiæ: sed sunt partes secundùm potentiam inquantum intellectus eorum per plures species perficitur, & voluntas eorum se habet ad plura* His positis.

25. Respondeo negando sequelam maioris, quia quando est error conclusionis decimæ cum habitu scientifico conclusionis primæ, ipse habitus scientificus non est tantus intensiuè, & extensiuè, quantus potest esse, nec similiter habitus ipse erroneus, quia potest ad alias conclusiones extendi.

Quemadmodum autem albo secundùm vnam partem, non contrariatur nigredo eiusdem, vt est in parte propinqua: ita habitui scientifico, vt perficit intellectum secundum potentiam, quam habet ad primam conclusionem, non contrariatur error existens in ipso intellectu secundùm potentiam, quam habet ad decimam conclusionem, quia tales potentiæ sunt veluti diuersæ subiecti partes, se proportionaliter habentes ad ipsum habitum scientificum, sicut partes quantitatiuæ in rebus quantis, & diuisibilibus.

Quando igitur contingit error circa decimam conclusionem, destruitur habitus scientificus, non in se absolutè, & quoad propriam entitatem, sed quatenus actu inclinat, & actuat intellectum secundùm potentiam proximam ad decimam conclusionem; quæ potentia proxima, præter habitum scientificum, in se essentialiter spectatum, dicit coordinationem specierum, & applicationem, seu extensionem ipsius ad decimam

conclusionem, vt dixi numero 20. vnde habitus ille erroneus opponitur quidem scientifico realiter, non tamen omnimodè, & absolutè, quia illum non destruit secundum propriam entitatem, sed solùm secundum potentiam proximam, & actualem inclinationem, seu applicationem ad demonstrationem decimæ conclusionis: sicut dum quis abscindit manum homini, non destruit animam quoad propriam entitatem, sed vt applicatam & vt informantem manum.

Si autem error serperet, totamque specierum ad conclusiones omnes spectantium coordinationem corrumperet, periret ipse habitus scientificus, quia tunc erroneus esset in summo, sibique subijceret perfectè omnem intellectus indifferentiam, quam posset habere ad oppositum, & ita illum absolutè destrueret. Ex quibus patet solutio ad confirmationes.

26. Ad illud autem, quod dicitur de fide diuina, an possit simul esse cum scientia, respondendum erit inferiùs; sufficiat nunc dicere pro hac sententia, posse esse habitum scientiæ cum habitu fidei, quando altera non est summa extensiuè, quia eadem est ratio de ipsis, ac de scientia, & errore: vnde quando quis fide credit Deum esse, postea verò demonstrationem de eodem acquirit, definit fides de illo quoad applicationem tantùm, vt explicatum est de scientia.

Quando autem aliquis sit hæreticus in vno vel altero articulo tantùm, censent aliqui eum non amittere fidem quoad alios: sed esto amittat, non eadem est ratio de scientia, & errore: quia vt ait Scotus *in 3. d. 23. q. vnicâ, num. 18. ad 3 principale* cum communi sententia, habitus fidei non destruitur contrariè per actum hæresis, sed tantùm meritoriè, auertendo à prima veritate, & impediendo influxum conseruatiuum illius: ratio est quia nullus actus opponitur Physicè vlli habitui, nisi quateuus producit habitum incompossibilem cum illo habitu: nullus autem habitus acquisitus est incompossibilis Physicè cum alio, nisi prout dat facilitatem oppositam facilitati, quam dat ille alius: at habitus fidei infusæ nullam dat facilitatem, sed simplicem potestatem. Deinde nulla creatura attingit effectiuè habitum fidei sed solus Deus: ergo nulla potest effectiuè illum destruere.

Adde quod hæresis vnico actu totaliter destruit rationem formalem fidei, quæ est diuina veritas reuelans. Qui enim semel non credit Deo dicenti, & reuelanti, secundùm regulas credendi; ponit directum impedimentum quominùs possit credere vlli articulo, totamque rationem credendi vni potiùs quàm alteri reuocat ad persuasiones naturales iuxta arbitrium proprium, & sic rationem credendi penitus extinguit. At verò error destruit tantum rationem formalem scientiæ respectu illius conclusionis, circa quam versatur, & prout tali materiæ in particulari applicatur, ideo potest salua persistere respectu aliarum, in quibus demonstratiuè conuincitur intellectus.

27. Probatur sextò: habitus scientificus, ex opposita sententia duobus

modis augetur: intensiuè nimirum per actus iteratos circa eãdem conclusionem: extensiuè autem per actus successiuè productos circa diuersas conclusiones. Vel ergo vtroque augmentationis modo additur ipsi habitui diuersa specificè entitas, vel eadem? si diuersa: ergo non est simplex qualitas: si eadem; ergo quocumque modo augeatur, in idem inclinabit: sicut calor, quia augmentum eiusdem rationis suscipit quando intenditur, ideo siue intendatur ab igne, siue à Sole, semper idem præstat. Et ita qui frequentes circa primam conclusionem elicit actus, acquiret notitiam decimæ; & qui decimam demonstrabit, intendet notitiam primæ, hoc autem experientiæ contrarium esse nemo non videt.

Adde quòd illa entitas, quæ accedit, non minùs habet rationem habitus, quàm prima, quia est facilitas ad actus similes his, a quibus producta est. Sed hi actus sunt diuersi à primis; ergo & facilitas est diuersa, & consequenter diuersus habitus.

28. Si verò dicatur nullam entitatem illi addi, neque eiusdem, neque diuersæ rationis. Contrà primò quia non potest noua perfectio realis alicui conuenire absque reali additione nouæ entitatis; sed habitui scientifico noua perfectio realis accedit per augmentum extensiuum, quia nouum effectum formalem tribuit intellectui, scilicet inclinationem ad nouam conclusionem, ad quam antea non erat actu propensus: crescente autem realiter effectu formali, crescere debet realiter ipsa forma: ergo aliquid reale nouum debet addi ipsi formæ.

Deinde talis habitus, per extensionem accipit nouam virtutem, non tantùm ad operandum nouo modo respectu eorumdem actuum, sed etiam ad nouos, & diuersos specie effectus, scilicet ad actus diuersos circa diuersa specie obiecta partialia; sed virtus realis non crescit sine additione reali: ergo &c.

Denique habitus per tale augmentum extensiuum habet nouam habitudinem transcendentalem ad illos nouos actus, & obiecta, quæ non potest conuenire illi sine entitate reali, & intrinseca, vt notum est.

Contra secundò, quia ex Diuo Thoma 1. 2. q. 52. a. 2. augmentum extensiuum scientiæ fit per additionem. *Scientia* inquit *potest augeri secundum seipsam per additionem, sicut cum aliquis plures conclusiones Geometriæ addiscit, augetur in eo habitus eiusdem scientiæ secundum speciem.* idem dicit 2. 2. q. 24. a. 5. In his autem locis negat augmentum intensiuum fieri per additionem: ergo cùm in isto non fiat additio nouæ entitatis ex Thomistis, debet ex ipsis fieri in illo.

Contra tertiò, quia actus isti circa diuersas conclusiones, debent habere aliquem effectum, quem attingant, & producant: hic autem non potest esse nisi nouus habitus partialis.

29. Respondeo, habitum scientificum vtroque modo augeri, sed non propterea nouam illi entitatem, aut eiusdem, aut diuersæ rationis adiungi, vnde omisso augmento intensiuo, de quo in libris de generatio-

ne disputabimus, dico ad minorem primæ iustantiæ, habitum scientificum, quando ad nouas conclusiones extenditur, acquirere nouam perfectionem realem, non intrinsecam, sed extrinsecam, quatenus ipse potest diuersos actus elicere, & noua obiecta attingere, ad quæ se non extendebat antea proximè, & actu, ex defectu applicationis ad nouam materiam, quam sibi subijcit, per talem applicationem.

Vnde sicut eadem virtus Solis, indiuisibiliter sumpta varios producit effectus secundùm quod diuersis subiectis applicatur, aut cum diuersis agentibus coniungitur: vel etiam sicut eadem lux absque additione vllius realitatis, sibi facta, diuersos colores successiuè applicatos illustrat, & eadem anima quodammodo extenditur ad informandam nouam materiam sibi applicatam absque eo quod aliquid intrinsecum illi accedat.

Ita idem habitus scientificus, simplex & indiuisibilis, nihil in se intrinsecum recipiens diuersos actus elicit secundum quod diuersis speciebus vtitur, diuersisque obiectis applicatur, quia secundum se est essentialis, aut transcendentalis inclinatio ad omnia, quæ sub obiecto suo adæquato continentur, & virtus radicalis ad omnes actus, qui circa illa possunt elici sub eadem ratione formali, licet non inclinet proximè & actu ipsum intellectum ad talem, vel talem conclusionem; ad tale vel tale obiectum, nondum applicatum, quia species illius non sunt coordinatæ, & ex parte subiecti deest exercitium ad tollendam difficultatem accidentalem, vt explicatum est supra. Nam & eodem modo fides diuina non inclinat proxime ad noua credibilia nondum proposita: & sic patet solutio ad omnes probationes illius primæ instantiæ.

30. Ad secundam instantiam dico augmentum extensiuum fieri per additionem, non verò intensiuum, quia per extensiuum potest habitus scientificus diuersos actus elicere, & diuersa obiecta attingere, quæ antea non respiciebat proximè, & actu, vt explicatum iam est: intensiuum autem nullum actum diuersum, nullum diuersum obiectum, aut subiectum partialemve subiecti potentiam addit, sed tantùm maiorem in eodem subiecto actuationem, & radicationem. Et quia ordo ad actus, & obiectum tenet se ex parte specificationis, non verò ordo ad subiectum, ideo scientia dicitur augeri secundum seipsam in augmento extensiuo, non autem in augmento intensiuo, vt rectè explicat Caiet. ibi, & cum eo Ioannes à sancto Thoma, alijque Thomistæ.

31. Ad tertiam instantiam dicendum est actus circa diuersas conclusiones habere suos effectus, quatenus attingunt eumdem habitum, non aliquid in eo realiter producendo, sed eum applicando ad nouam materiam seu obiectum: sicut aggeneratio applicat animam ad nouam materiam informandam, & fides extenditur ad noua credibilia. Hoc enim modo redditur scientia perfectior, & hæc perfectio consistit in hoc quòd ad plura se extendat, vt explicuimus, & docet d. Thomas 1. 2. q. 54. art. 4. ad 3. Vnde non est opus vt quæuis actio sit productiua noui effectus, vel

formæ, vt dicemus in libris de Anima, & tetigimus de motu locali in prædicamento vbi. Imò ex Scoto in 1. d. 3. q. 6. numero 29. & ex alijs multis authoribus contrarijs, actus qui non sunt magis intensi, quàm habitus, iam productus, illum non augent, atque adeo non producunt vllum effectum.

32. Probatur septimò: si scientia totalis est vna simplex forma, respiciens vnicam rationem formalem specificam obiecti adæquati, poterit ab ea elici actus vnus adæquatus, quo omnia obiecta partialia, sub adæquato comprehensa, & in illa ratione formali specificè conuenientia attingantur & intelligantur; non enim est maior ratio de habitu, quàm de actu. Hoc autem perabsurdum videtur. Quis enim dixerit omnes passiones, omnes species, omnes veritates particularium conclusionum quæ intra latitudinem corporis naturalis comprehenduntur, posse ab vnico actu attingi?

Respondeo negando maiorem, quia vnicus actus non potest tot, tamque diuersis speciebus, à partialibus obiectis prouenientibus vti, neque simul medijs omnium conclusionum aptari ad eas omnes intelligendas: cum neque ipsa potentia, quæ vniuersalior est quouis habitu particulari, possit vnico actu totum suum exhaurire obiectum, nisi confusè, & sub aliqua ratione communi, quomodò intellectus concipit ipsum ens vnico actu.

Habitus ergo, cùm sit aliquid medium inter actus, & potentiam, nec ad tam diuersa se extendit ac potentia; nec ita restringitur sicut actus; ideoque vnus in se existens potest multos actus elicere, imò diuersos in esse rei, & ex parte materiæ; ejusdem tamen rationis formalis in modo attingendi, & cognoscendi obiectum.

SECTIO IV.

Vtrum scientia habitualis sit aliquid distinctum à speciebus.

33. DVAE sunt in hac re sententiæ præcipuæ. Prima est Soncinatis 6. Metaph. q. 9. quem sequuntur Conradus 1. 2. q. 54. a. 4. Mendosa disp. 16. de Anima, sect. 2. Arriaga ibidem disp. 9. sect. 2. & pro eadem citatur Scotus à Masio sect. 1. q. 16. proœmiali: sed contrarium tenet Scotus in primo sent. d. 3. q. 6. num. 20. & 29. Videlicet habitum scientificum non esse aliquid distinctum à speciebus. Cui sententiæ fauere videtur D. Thomas multis in locis. Nam q. 10. de veritate art. 2. in fine approbat sententiam dicentium species conseruari

in intellectu, & quod earum ordinatio sit habitus scientiæ. Et q. 24. art. 4. ad 9. ait quòd specierum aliqualis ordinatio habitum efficit. Et q. 20. art. 2. in fine loquens de Christo, ait *quantum verò ad cognitionem aliarum creaturarum, habuit habitum, qui est collectio specierum ordinatarum ad cognoscendum.* Et 3. parte q. 12. art. 2. ait habitum scientiæ acquisitæ fuisse augmentatum in Christo per successiuam generationem specierum, & augmentum illud fuisse secundùm essentiam ipsius habitus scientiæ: vnde ad 1. dicit scientiam acquisitam causari ab intellectu agente, varias abstrahente species.

Secunda sententia communis est, videlicet habitum scientiæ esse à parte rei distinctum à speciebus obiectorum, inclinantem intellectum ad rectè vtendum speciebus acquisitis, & ad operandum faciliter circa conclusiones, propriaque obiecta. Ita D. Thomas 1. 2. q. 54. art. 4. vbi vult habitum scientiæ, esse vnam simplicem qualitatem: quod verum non esset, si Solis speciebus, quæ diuersæ sunt, constaret. Idem tenet ibi Caietanus expresè; idem Ferrariensis 1. contra gentiles cap. 56. post quintam rationem D. Thomæ, & alij ferè omnes. Vtraque opinio probabilis est, rationes vtriusque, & earum solutiones hic habes.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Habitum scientificum non esse distinctum à speciebus.

34. PROBATVR primò: omnia, quæ speciali habitui tribuuntur ab opposita sententia, possunt æquè præstari per solas species; ergo frustra ponitur habitus, ab illis distinctus. Consequentia est euidens, quia non debent multiplicari entia sine necessitate. Antecedens verò ostenditur. Nam duo præcipuè tribui solent habitui scientifico; primum est, determinare intellectum, & illum inclinare ad operandum circa tale, vel tale obiectum: secundum est, cum eo concurrere, & eum facilitare ad eliciendos actus, si miles ijs, à quibus per vsum, & exercitium productus est. Quod autem hæc duo fiant à solis speciebus, probatur; nam species obiecti determinant intellectum ad simplicem illius apprehensionem absque habitu, vt experientiâ constat: simplex autem apprehensio, si sit euidens, determinat ad iudicium, & assensum: species verò talis iudicij ab eodem iudicio productæ, & in intellectu relictæ, determinant, & inclinant ipsum ad similem assensum promptè & facilè eliciendum: frustra ergo ponitur distinctus habitus.

Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem dico in primis, quòd licet simplices apprehensiones determinent suo modo intel-

lectum ad judicium, non tamen sufficienter ad supplendum habitum: vnde, vt diximus q. 1. lib. præcedentis num. 47. non sufficiunt simplices apprehensiones præmissarum, sed requiruntur earum assensus & judicia ad conclusionem inferendam.

35. Præterea: huiusmodi omnes species, ab obiectis productæ, solum repræsentant res simplices, & incomplexas, productæ verò à judicio, solum repræsentant per modum speciei memoratiuæ; atque adeo nullæ ex his speciebus possunt reddere habilem, & promptum intellectum ad vtendum ipsis, componendo, diuidendo, & discurrendo circa idem obiectum.

Denique: huiusmodi species sunt aliquando maximè diuersæ, & disparatæ, vt species Lunæ, species eclipsis, & species causæ mediæ, nempe interpositionis terræ: vnde intellectus ex se non potest facilè eas adunare, & tali, vel tali ordine proponere; nec ipsæ habent inter se sufficientem ordinem, aut colligationem, vt quando vna occurrit, aliæ debeant occurrere: ergo quacumque ratione intensæ ponantur, non poterunt determinare intellectum, nec intellectus illis facilè, & promptè vti ad vnum specie actum sciendi; sed ad hoc indigebit aliquâ simplici qualitate, quæ primò & per se respiciat illud obiectum scibile, & ad illud contemplandum inclinet.

Vnde concluditur intellectum determinari ad operandum circa aliquod obiectum per illius species inchoatiuè tantum, & in via: à judicio autem, & actu sciendi, tantùm transeunter, & per modum passionis: firmiter verò, & immobiliter per habitum, vt rectè docet Cajetanus loco citato.

36. Probatur secundò: quia potentia omninò determinata, & necessitata ad agendum quoad exercitium, nullo eget habitu, ipsam inclinante ad agendum: quia nulla potest maior esse inclinatio, quam necessitas: sed intellectus est potentia naturalis, & necessaria; itavt non possit ex se suspendere assensum circa obiectum, euidenter propositum, non magis quàm oculus visionem, & lapis motum deorsum; ergo propositâ sibi conclusione euidenti, & demonstratiuè, determinatur necessariò ad eius assensum absque vlla prorsus mora; & ita nullo ad hoc eget habitu. Imò, etiam si conclusio esset tantùm probabilis, non requireret habitum ad operandum circa illam, quia tunc ipsa proponitur cum speciebus sufficientibus ad actum, secundùm quem intellectus debet circa illam operari: vnde non eget alio determinante ad assensum ex parte sui, sed tantum ex parte voluntatis, cui quantum ad hoc subditur, sicut respectu articulorum fidei.

37. Respondeo negando maiorem. Licet enim probabile sit, non esse necessarium habitum, inclinantem intellectum ad assensum conclusionis euidenter propositæ; vt dictum est q. 1. lib. 6. num. 57. admittendus, tamen est ob alia munera præstanda, nimirum primò, vt intellectus ta-

lem conclusionem scientificè sibi proponat. Quia enim varia obiecta potest sibi proponere, idemque obiectum variis modis, & per diuersa media; exigit habitum quo facilè possit vti speciebus & applicare proprium medium, ad talem conclusionem proponendam demonstratiuè, vt ostendimus in præcedenti solutione. Et in hoc consistit disparitas inter potentiam visiuam, & intellectum, quia potentiæ visiuæ non est proponere sibi obiectum, & ideò non eget habitu ad videndum.

Secundò requiritur habitus scientificus, vt intellectus absque discursu formali, & applicatione expressa medij, assentiatur eidem conclusioni. Licet enim priorem assensum cõclusioni non præbeat nisi per demonstrationem actualem; tamen acquisito habitu potest deinde absque discursu actuali, eidem veritati propositæ firmiter, & euidenter assentiri.

Tertiò, habitus vtilis est, vt intellectus fortiùs feratur in conclusionem, nec tam facilè possit ab eius assensu distrahi; nam & hoc modo velociùs fertur lapis ad centrum ob impressum impetum.

38. Denique potest etiam opposita ratio valere, vt nimirùm intellectus minori conatu operetur, ob concursum ab habitu præstitum, & ita possit faciliùs attendere ad alia obiecta, pluresque elicere actus, quàm si careret habitu. Experientia siquidem compertum est potentiam visiuam minùs laborare in percipiendo obiecto, in debita distantia posito, aut clariùs illuminato, quàm in percipiendo longiùs distanti, vel minori luce perfuso; quia fortiores tunc recipit species, quæ consequenter maiorem exhibent concursum, & ita visus non indiget tanto conatu, & labore ad visionem eliciendam. Ergo pari ratione possumus philosophari de intellectu. Licet enim, cùm spiritalis sit, non defatigetur propriè, sicut vires sensitiuæ; tamen virtutem habet limitatam, quæ, quò minùs impenditur in consideratione vnius obiecti ob concurrentis habitus auxilium, eò facilius potest simul alijs vacare. Et hoc etiam docet ipsa experientia.

Quòd si requiritur habitus in intellectu circa conclusiones euidentes, multò magis necessarius erit circa obscuras, & circa probabiles. Vnde non tantùm requiritur habitus piæ affectionis in voluntate ad determinandum intellectum circa fidei articulos; sed etiam ponitur habitus in ipso intellectu, vt prompte obediat: ergo similiter non solum voluntatis erit ipsum determinare ad assensum conclusionis probabilis, sed insuper dabitur in eo habitus inclinans, & determinans ad assensum.

39. Probatur tertiò: si daretur habitus distinctus ab speciebus, inclinans, & determinans intellectum ad vtendum speciebus, & ad proponendam conclusionem demonstratiuè, deberet semper proponere conclusionem demonstratiuè, quia & intellectus, & huiusmodi habitus sunt causa naturalis, & necessariò agens; sed hoc est falsum, vt patet experientiâ: ergo non datur huiusmodi habitus.

Respondeo, præter intellectum, & habitum, requiri propositionem

specierum

ſpecierum ipſius concluſionis, & præmiſſarum: tunc enim excitatus habitus, & intellectus facilè proponit concluſionem ſcientificè, eique aſſentitur.

Inſtabis: ſolus intellectus propoſitis ſpeciebus, abſque vllâ difficultate proponit concluſionem, & ſtatim ei aſſentitur neceſſariò, vt in præcedenti ratione probatum eſt, atque conceſſum: ergo fruſtrà ponitur habitus ad eum inclinandum, & facilitandum.

Reſpondeo: quamuis occurrant ſpecies, tamen non adunantur facilè, neque debito ordine proponuntur ſine habitu acquiſito, vt oſtenſum eſt in reſponſione primi, & patet experientiâ. Quâ verò ratione ſpecies excitentur, diximus q. 1. libri præcedentis, numero 46. quibus addè voluntatem, & deſiderium cognoſcendi talem concluſionem demonſtratiuè, v. g. *terram eſſe rotundam* per tale, aut tale medium, ſpectans ad Phyſicam, aut Aſtrologiam &c. Hoc enim deſiderio ſuppoſito, faciliùs occurrunt tales, vel tales ſpecies, & intellectus habens habitum, promptè eas ordinat, & concluſionem proponit per optatum medium.

40. Quod ſpectat ad authoritates, ex Diuo Thoma, pro hac opinione citatas, Reſponderi poteſt ex Ferrarienſi loco citato, habitum ſcientificum eſſe collectionem ſpecierum ordinatarum, non formaliter, ſed inchoatiue, originatiuè, cauſaliter, & fundamentaliter; quatenus intellectus non poteſt concluſiones aliquas ſcientificè conſiderare, niſi habeat ſpecies intelligibiles earum: formaliter autem eſſe qualitatem aliquam exercitio comparatam per vſum talium ſpecierum in demonſtrationibus efficiendis.

Et ſic intelligendum eſſe Diuum Thomam docet etiam Caietanus loco citato primæ partis, vbi ſingulas authoritates ſeorſim explicat, illam præſertim, quæ ex q. 12. tertiæ partis magis videtur vrgere, ſcilicet augmentum habitus ſcientiæ per ſucceſſiuam ſpecierum generationem, fuiſſe augmentum ſecundùm eſſentiam ipſius habitus ſcientifici. Non enim ibi loquitur de vno ſimplici habitu, ſed de tota collectione habituum ſcientificorum, quos Chriſtus ſucceſſiuè acquiſiuit; vnde quando poſt vnam ſpeciem, producebatur alia, ſpectans ad diuerſam ſcientiam, augebatur tunc ſcientia Chriſti, quia producebatur alius habitus. Et ſic rectè dicitur augmentum illud fuiſſe ſecundùm eſſentiam habitus ſcientiæ, & fuiſſe factum per abſtractionem ſpecierum, ſcilicet originatiuè, & fundamentaliter, vt dictum eſt, non verò formaliter.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Habitum scientificum, distinctum esse à speciebus.

41. PROBATVR primò: ex communi consensu habitus acquisiti non dant simpliciter posse, sed solùm promptè, & facilè: sed species obiecti scientifici dant simpliciter posse, quia nullo modo potest intellectus attingere obiectum sine illis: ergo habitus scientificus non potest idem esse cum speciebus.

Respondeo, comunem illum modum loquendi intelligendum esse de propriè dictis habitibus, qui reperiuntur in potentijs, non determinatis naturaliter ad agendum, vt est voluntas, aut voluntatis imperio subiectæ.

Vel dico species non habere rationem habitus, nisi sint intensæ, quomodo dant facilè posse: vt autem primò inuruntur intellectui, dant illi simpliciter posse, & tunc non habent rationem habitus, sed dispositionis.

Probatur secundò, quia experientiâ euidenter constat, quòd etiam si habeamus species obiectorum, non possumus initio nobis proponere huiusmodi obiecta cum tali, & tali ordine, nisi magnâ cum difficultate, quæ ex frequenti, & iterata propositione eorum tollitur, & quidem in alijs tradiùs, in alijs citiùs: ergo non sufficiunt huiusmodi species, vt expeditè, & promptè occurrant talia obiecta cum debito ordine ad actum scientificum, & ita requiritur aliquid aliud, nempe habitus.

42. Respondeo negando consequentiam, modò prædictæ species sint intensæ. Licet enim initio non occurrant promptè obiecta cum ordine necessario ad conclusionem scientificam: vbi tamen auctæ sunt per iteratos actus, faciliùs excitant intellectum, illique præsentant clarius eadem obiecta cum debito ordine: & præterea tales actus iterati producunt, & augent species sui: vnde cùm fuerint eliciti iuuantibus speciebus, tali, & tali ordine dispositis, fit vt tali quoque, & tali ordine obiecta eadem repræsententur, absque vllo habitu superaddito. Quòd euidenter ostenditur in speciebus memoratiuis, quæ ex repetitione actuum, firmiùs hærent memoriæ, & eodem occurrunt ordine, quo fuerunt impressæ, vt patet in recitante poema aliquod &c.

Vnde constat quid intelligendum sit per ordinationem specierũ, dum dicitur species quomodocunque acceptas, non esse habitum, sed species ordinatas, eò quòd vbi pluralitas sine ordine, ibi confusio est. Cùm igitur species spiritales sint, & in eodem indiuisibili subiecto, nempe intellectu existant, non potest inter eas esse ordo localis, seu secundùm situm, vt per se notum est. Dicuntur ergo ordinatæ, quia ex frequenti vsu earum

in ordine ad idem obiectum scibile, ita colligantur, vt vnâ occurrente, alia facilè excitetur, & ad similem actum eliciendum promptè concurrat.

Quod & in speciebus, quas bruta per Phantasiam acquirunt, videre licet. Per species enim baculi v. g. in se simpliciter spectatas, canis non iudicat baculum esse fugiendum: sed vbi consuetudine sæpius expertus est, se pati dolorem ex ictibus baculi, & in talibus circunstantijs; illæ species, in memoria retentæ, repræsentant ei baculum, vt doloriferum, eumque statim ad fugam impellunt, absque vllo habitu.

43. Probatur tertiò ex proprio munere specierum, & ipsius habitus. Species enim sunt vicariæ obiecti, & ideo concurrunt ad actum ex parte illius: habitus verò se tenet ex parte potentiæ. Ergo, sicut obiectum quantumcunque augeatur eius influxus, non potest supplere concursum potentiæ, ita vt possit actum elicere non concurrente potentia: ita non poterit supplere faciliratem, & promptitudinem, quæ tribuitur illi habitui, quantumcunque illius species supponantur intensæ.

Respondeo negando consequentiam. Licet enim, vt rectè docet Scotus in 1. d. 3. q. 7. numero 21. & 22. Intellectus, & species obiecti, tamquam causæ partiales, essentialiter subordinatæ, ita concurrant ad eumdem actum intelligendi, vt partialis causalitas vnius non possit suppleri ab altera causa, nec perfectior tribuat vim causandi imperfectiori, sed quælibet in suo ordine habeat rationem causandi perfectam, non dependentem ab alia: tamen hoc non impedit, quò minùs vnâ fortiùs, & efficaciùs influente, producatur intensior actus. Vnde sicut intellectus eâdem specie intelligibili informatus, perfectiùs intelligit idem obiectum, si maiorem adhibeat conatum, & attentionem: vt rectè docet Scotus ibidem numero 17. ita eodem existente conatu in intellectu, si species sit perfectior & intensior, fortius influet, & concurret ad intellectionem, & ita producetur intensior actus: & hoc patet à simili de visu, vt diximus numero 38.

Licet ergo non possit totaliter suppleri concursus potentiæ per speciem, poterit tamen species fortior, & intensior eam ita iuuare, vt facilius, & minori conatu eliciat actum. Nam eadem ratio valet in habitu, qui licet non possit supplere totaliter concursum potentiæ; eam tamen facilitat, & promptam efficit ad operandum; imo & ad perfectiorem seu intensiorem actum eliciendum, vt rectè ait idem Scotus in 1. d. 17. q. 2. num. 9. posito quòd partialiter ad eum concurrat.

44. Probatur quartò: quia prudentia, & ars ponuntur ab Aristotele 1. Ethic. cap. 13. & lib. 2. cap. 1. inter virtutes intellectus, & ab ipso comparantur virtutibus moralibus, quæ non consistunt in speciebus. Deinde species artis, & prudentiæ facilè acquiruntur, & memoriæ mandantur: illæ autem virtutes non nisi magno studio, & exercitio. Denique alia est scientia speculatiua, alia practica: quæ denominatio non potest cadere in solas species.

Respondeo, hæc omnia posse quadrare in solas species. Illæ enim, quæ ad actus prudentiæ inclinant, si sint multum intensæ, sunt habitus prudentiæ: illæ quæ ad cognitionem obiecti in ipso sistentem ordinantur, sunt habitus speculatiui: quæ verò concurrunt ad cognitionem ordinatam ad opus, sunt practici: nam ob eamdem rationem speciales habitus, si dentur, ijs nominibus nuncupantur.

Ad authoritatem Diui Thomæ, allatam supra pro hac sententia, numero 33. dici potest quòd licet species, ab obiectis impressæ, multæ sint, nec consequenter vocari possint vna simplex qualitas: illa tamen, quæ producitur a bctu, seu à iudicio conclusionis demonstratiuæ, vt dictum est numero 42. & in qua præcipuè consistit habitus scientificus, est vna simplex qualitas, quæ eodem modo augetur, siue per intensionem, siue per extensionem, quo scientia dicitur à Thomistis augeri, vt visum est numero 29.

QVÆSTIO III.

De compossibilitate, vel incompossibilitate scientiæ cum opinione vel fide.

SECTIO I.

Quid sit Opinio, quid fides.

1. *OPINIO est assensus determinatus alicuius propositionis propter motiuum aliquo modo intrinsecum, cum formidine partis oppositæ.* Dicitur *assensus*, id est, cognitio iudicatiua, quia simplex apprehensio non facit opinionem. Item vt differat à dubitatione, quæ est *cognitio informis, in neutram partem inclinans*; adeò vt careat assensu, & inclinatione determinata in alteram partem. Dicitur *determinatus*, vt distinguatur à suspicione, quæ quidem magis declinat in vnam partem, quàm in alteram; nulli tamen assentitur determinatè, quia ex leuibus tantum judicijs, & signis mouetur. Additur *propter motiuum aliquo modo intrinsecum*, vt differat à fide, quia ratio credendi est per se extrinseca, nullumque dicit ordinem ad rem credendam. Ratio autem opinandi, vel est probabilitas quæ apparet in extremis, vel dicit ordinem

liquem & connexionem probabilem, & verisimilem ad rem, tamquam causa illius, aut effectus, aut signum, &c. Additur, *cum formidine partis oppositæ*, vt distinguatur à scientia, & alijs assensibus certis, & necessarijs.

Talis autem formido contingit in opinione, primò, quia versatur circa propositiones contingentes, vt *quisquis currit, mouetur, Petrus currit, ergo mouetur.* Et hæc est formido radicalis, ab intrinseco prouenies, & per se coniuncta cum opinione, itavt talis propositio, etiam si de ea simus certi, non possit spectare ad scientiam, quia potest aliter se habere, & ideo ingerit formidinem de opposito.

Secundò prouenit ex eo quòd opinans non penetrat connexionem extremorum, licet alioquin propositio necessaria sit: & hæc vocatur formido actualis, non procedens ex parte obiecti, sed subjecti cognoscentis illud imperfectè: vnde sæpe contingere potest, vt quis habeat scientiam, de quo alter tantum habet opinionem.

2. Sicut autem duplex assignatur habitus circa propositiones necessarias, alter circa immediatas, nempe habitus principiorum: alter circa conclusiones, & propositiones mediatas, nempe scientia: ita circa propositiones contingentes duplex datur habitus opinatiuus; alter circa immediatas, quibus intellectus assentitur propter ipsam connexionem probabilem extremorum, qualis est ista, *omnis mater diligit filium suum.* Nam ex eo præcisè quòd mater est, absque alio medio, conuenit illi filium diligere, quamuis hoc aliquando non contingat. Alter verò circa propositiones mediatas, quæ probantur per alias priores. Vnde aliqui definiunt opinionem his verbis: *opinio est habitus, quo assentimur alicui rei, vel ex terminis, vel ob rationem probabilem, cum formidine partis oppositæ.*

Ratio huius diuisionis est, quia etiam in probationibus opinatiuis, & probabilibus non debet dari progressus in infinitum: & ita sistendum est in aliqua propositione, quæ careat medio probatiuo: hæc autem non potest esse necessaria, quia ex necessario non sequitur contingens: ergo debet esse contingens, & immediata. De quo vide Aristotelem primo post. cap. 26. D. Thomam ibi, lect. 44. & 2. 2. q. 2. art. 1. & q. 14. de veritate, art. 1.

3. *Fides est assensus determinatus alicuius propositionis propter testimonium, vel authoritatem dicentis.* Quod testimonium si sit diuinum, fides erit diuina, & supernaturalis, cuius obiectum formale est diuina veritas reuelans. Si verò sit creatum, procedens ab homine, vel Angelo, erit fides naturalis, vel humana.

In hoc autem vtraque conuenit, quòd non egeat discursu, sed simplici judicio assentiatur rei propositæ propter authoritatem dicentis. Ab opinione verò differt, quia opinio, vel includit discursum, si versetur circa propositiones mediatas: vel si non includat, & versetur circa imme-

diatas, eis assentitur propter connexionem extremorum; fides verò propter externam dicentis authoritatem. Denique à scientia etiam distinguitur, quia fides humana incerta est; diuina verò obscura: at scientia certa est, & euidens, nisi fortè Theologiam excludas, quæ fidei principijs nititur, & à multis scientia appellatur.

4. Quæres, vtrum fides humana, & opinio essentialiter differant? Ratio dubitandi est, quia vtraque est incerta, & ineuidens; vtraque etiam requirit rationes probabiles, quia vt alicui credam, moueor aliqua ratione probabili credendi, vt quia solet vera narrare, vel quæ narrat, apparent verisimilia &c. Accedit authoritas Aristotelis 1. Topic. cap. 7. vbi ait fidem esse opinionem habitam per inductionem, vel syllogismum probabilem.

Respondetur ferè communiter, fidem, & opinionem essentialiter differre, quia motiua vtriusque sunt maximè diuersa, vt explicatum est initio. Ad rationes verò dubitandi dicitur eas solum ostendere quòd fides, & opinio conueniunt genericè in incertitudine, & ineuidentia; sed hoc non impedit quin specie differant. Diuersò etiam modo exigunt rationes probabiles, quia opinio eas exigit formaliter & per se, vt manifestatiuas veritatis, licet imperfectè, & vt rationes assentiendi: fides verò eas tantum requirit præsuppositiuè, & antecedenter, seu quasi extrinsecè, vt per eas, quasi manuducatur ad assentiendum: non verò vt per eas assentiatur intrinsecè, & per se, quia ad hoc solà dicentis authoritate mouetur. Aristoteles autem sumit ibi opinionem, & fidem latè pro omni cognitione obscura.

SECTIO II.

An formido sit de essentia opinionis.

5. PRo solutione duplex distingui solet incertitudo siue formido, altera ex parte actus cognoscentis, altera ex parte subiecti, in quo talis actus existit. Incertitudo actus est eius fallibilitas, prouenies ex eo, quòd obiectum attingat obscurè & per rationes, siue media incerta, tantumque probabilia, & verisimilia: hinc enim habet, vt sit intrinsecè fallibilis, eique falsum subesse possit. Incertitudo verò ex parte subiecti, est vacillatio, & hæsitatio intellectus in assentiendo, quatenus non adhæret firmiter obiecto ineuidenti: itavt si reflectatur supra rationes & motiua, quibus ad opinandum impellitur, non videat esse necessariam connexionem eorum cum veritate assensus: & sic iudicet posse fieri, vt assensus ille non sit verus: in hoc enim consistit formalis, & actualis formido subiecti, seu ipsius intellectus: eodemque modo se res habet de fide humana.

Prima autem formido potest sumi positiuè, vel negatiuè: sumpta positiuè significat ipsam essentialem differentiam actus opinatiui, hoc est intrinsecam fallibilitatem, quam sumit ab obiecto formali, seu ex ipso medio, & formali ratione cognoscendi, vt explicatum est: sumpta verò negatiuè, aut priuatiuè, dicit negationem certitudinis, euidentiæ, & infallibilitatis in ipso actu, quæ consequitur ipsam rationem actus intrinsecam, tamquam passio illius, sicut negatio rationalitatis in equo, sequitur positiuam differentiam, illius constitutiuam in esse bruti. His prænotatis.

6. Respondetur communiter formidinem sumptam primo modo, hoc est ex parte actus, esse opinioni intrinsecam, & essentialem, nec vnquam ab ea separari posse: secùs formidinem secundo modo, scilicet ex parte subiecti, & loquendo de hæsitatione, & formidine actuali, nullâ facta reflexione super fallibilitate naturali rationum. Ratio pro prima parte est clara, quia illa formido est fallibilitas actus, qui ex propria ratione non potest esse certus, euidens, & firmus: ergo ex propria ratione, & essentialiter includit incertitudinem, & formidinem.

Probatur secunda pars primò ex Aristotele 7. Ethic. cap. 3. vel quinto, vbi ait aliquos non minùs firmiter adhærere ijs, quæ opinantur, quàm alios ijs, quæ sciunt, ita vt nullo modo ambigant, sed certò se scire existiment: & hoc patet in hæreticis, qui tenaciùs hærent suis erroribus, quàm fideles veris articulis. Secundò: fides humana sæpe caret omni formidine. Quis enim Parisios esse, Romam esse ambigit? eadem autem est ratio de opinione, quia authoritas humana non est minùs fallibilis, & ineuidens, quàm medium opinionis. Denique licet fides diuina sit certissima: tamen aliquando vacillat intellectus in illa: ergo à contrario licet opinio sit incerta, non auferet ab intellectum firmam adhæsionem actualem.

7. Obijcies primò; iuxta primã partẽ huius responsionis actus opinionis est intrinsecè fallibilis & incertus; ergo intellectus, qui non si per talem actum tendit in obiectum, participabit eamdem incertitudinem. Consequentia est euidens, quia huiusmodi actus informat intellectum per seipsum & ita secundum conditiones sibi intrinsecas & essentiales; atque adeò constituet vacillantem, & hæsitantem: quod patet à contrario: sicut enim habens scientiam, non potest de obiecto eius dubitare: ita qui habet opinionem tantùm, non potest non dubitare.

Respondeo: *intellectus participabit eamdem incertitudinem intrinsecam, & metaphysicam, seu obiectiuam, quam nimirum haurit ab obiecto, concedo: extrinsecam & moralem, quæ à voluntate dependet, nego.* Quando enim obiectum non conuincit, nec omninò determinat intellectum ad assensum, subditur ipse tunc voluntatis imperio, quo mouetur, & impellitur ad credendum, vel opinandum.

Quia verò aliquando voluntas vehementi passione ducitur contra aliquos opinionum authores, aliquando magno affectu erga alios, ita sæpe determinat intellectum ad vnum, vt ipsum nulla ratione dubitare, aut

formidare permittat. Licet ergo intellectus tunc non careat formidine euidentiæ, & manifestationis obiectiuæ, seu veritatis ipsius obiecti, quia ipsum non videt, vt in se est, & consequenter non fit ei satis quantum est ex seipso, vt rectè ait Diuus Thomas q. citatâ de veritate: tamen quia actus nullam formidandi ratione expressè & formaliter attingit, ideò formidinem non inurit intellectui. Vnde ipse sine vlla dubitatione adhæret obiecto ex imperio voluntatis, & ita caret formidine practica, morali, & extrinseca.

Comparatio autem de scientia non valet, quia ipsa vnicam habet certitudinem, quam accipit ab obiecto, repræsentans ipsum, vt in se est, & ita formidinem omnem impedit.

8. Obijcies secundò: quod potest ab aliqua re separari, non est de intrinseca illius ratione; sed formido potest separari ab actu opinatiuo: ergo non est de eius essentiali ratione. Probatur minor primò, quia actus opinatiuus est sæpe euidens, vt cùm quis euidenter cognoscit connexionem contingentem albedinis cum calce; ergo caret formidine, quæ non nisi ex ineuidentia obiecti consurgit.

Secundò: sæpe datur actus attingens rem simpliciter in se, non attentâ illius necessitate, vel contingentiâ; ergo sicut ille qui attingit eam vt necessariam, est scientia, qui verò, vt contingentem, est opinio cum formidine; ita qui attingit eam tertio modo, erit opinio sine formidine, quia non attingit contingentiam, quæ est causa formidinis.

Tertiò: quia dispositio non debet esse intrinsecè contraria formæ, cuius est dispositio: opinio autem est dispositio ad scientiam, & formido est scientiæ contraria: ergo non debet esse intrinseca opinioni.

Quartò: quia quò plures, & efficaciores rationes conglobantur ad conclusionem aliquam confirmandam, eò verisimilior apparet, eique firmiùs adhæret intellectus, ergo cum formido sit finita, tot poterunt conglobari, vt omninò exhauriatur.

9. Respondeo negando minorem. Ad primam eius probationem dico, si per actum illum attingatur contingentia talis connexionis; itavt expressè cognoscatur calcem esse contingenter albam, talis actus non est opinatiuus, sed scientificus. Si verò talem contingentiam non exprimat, licet dicatur opinio ex eo quòd est de obiecto contingenti, & quod aliter potest euenire; propriè tamen opinio non est, quia ei non potest subesse falsum, debet ergo dici cognitio intuitiua.

Ad secundam probationem dico, ad formidinem actus opinatiui sufficere quòd res sit incerta, aut quòd non attingatur vt certa & necessaria.

Ad tertiam dico dispositionem per se ordinatam, & requisitam ad formæ introductionem, non debere esse illi contrariam: at opinio non est per se ordinata, vel requisita ad scientiam, quia sine illa potest acquiri; & per accidens est quòd ab ea præcedatur.

Ad quartam concedo actum opinatiuum, elicitum ex pluribus, magisque

gisque efficacibus argumentis, minorem habere coniunctam formidinem, quàm qui elicitur ex paucioribus, minùsque efficacibus: sed non ideo posse omnem ab eo formidinem tolli: quia si adeò sint efficaces rationes vt necessariæ euadant, producent scientiam, & tollent ab intellectu opinionem; non verò formidinem ab opinione: si verò sint tantùm probabiles, suam deuehunt formidinem: atque adeò non possunt eam totaliter ab opinione expellere.

10. Instabis: si rationes huiusmodi probabiles deferunt singulæ suam formidinem, quò plures erunt, eo maiorem addent actui, qui ex ipsis elicitur; hoc autem experientiæ repugnat: ergo necesse est dicere, ex accumulatione rationum posse omnem formidinem tolli ab actu opinatiuo.

Respondeo negando maiorẽ. Licet enim maior multitudo rationum, ex quibus elicitur actus opinatiuus, maiorem contineat formidinem extensiuè; non tamen intensiuè, sed multò minorem: quia quò plures rationes sunt, eò maiorem à se inuicem probabilitatem hauriunt, sese mutuò roborantes: & consequenter probabilius, verisimiliusque obiectum efficiunt: Vnde minuitur formido tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti.

Obijcies tertiò: actus ex efficacioribus argumentis elicitus, auget, & perficit habitum opinionis: ergo, cùm minùs includat formidinis, quàm alij actus: & consequenter intellectus per eum adhæreat firmiùs obiecto, debet habitus, ab illo intensus, magis inclinare in tale obiectum, & minori cum formidine, quàm anteà, in illud propendere: & ita minuitur illius formido, & tamen entitas augetur: ergo formido non est illi intrinseca, & essentialis: tum quia essentia rerum est immutabilis, nec crescit, aut decrescit: tum quia idem simul augeretur, & minueretur.

11. Respondeo negando consequentiam, loquendo de formidine positiua, quæ est differentia constitutiua opinionis: hæc enim nec minuitur, nec augetur in ratione formali, & specifica, sed tantùm materialiter, & entitatiuè, eo modo, quo differentia specifica caloris potest dici augeri, quando calor intenditur.

Si verò sermo sit de formidine negatiua, seu priuatiua, hoc est, de priuatione certitudinis, & euidentiæ; hæc potest minui suo modo, etiam si habitus augeatur: quia ea, quæ alicui rei conueniunt ratione imperfectionis naturæ illius, possunt minui quando eiusdem rei augetur perfectio. Exempli gratia, separabilitas à subiecto conuenit formæ corruptibili, vt calori: & tamen illa aptitudo seu separabilitas non augetur, quando calor intenditur, sed minuitur potiùs.

Dici etiam potest formidinem esse quidem de ratione opinionis, ita vt stare non possit, nisi aliquam habeat: at non tantam determinatè, sed aliquam, paruam, aut magnam.

Cæterùm si cui hæc, quæ de necessaria connexione formidinis cum

opinione diximus, non placuerint, poterit quidem oppositum propugnare, sed de nomine potiùs quàm de re tunc erit quæstio. Si enim per formidinem intelligatur intrinseca fallibilitas actus : aut sola illa cognitio, opinio vocetur, quæ subiecto formidinem affert, & quâ iudicatur rem opinatam posse aliter se habere, quod Diuus Thomas vbique asserere videtur : de veritate eorum, quæ diximus, nullus videtur ambigendi locus, formidinem scilicet necessariò esse cum opinione coniunctam. Si autem sola illa formido intelligatur, quæ se tenet ex parte subiecti; & cognitio illa vocetur etiam opinio, quæ licet fallibilis sit, tamen per eam non iudicatur formaliter, & actu rem aliter se habere posse, euidens est actualem formidinem posse ab opinione separari.

SECTIO III.

Actum scientiæ, & opinionis, vel fidei non posse esse simul.

12. HAEC quæstio præcipua est in hac materia, propter quam duas præcedentes sectiones præmisi, & hic est status ipsius, vtrum videlicet scientia, & opinio, vel fides possint simul esse in eodem intellectu, de eodem obiecto formaliter, & sub eadem ratione spectato. Dicitur *in eodem intellectu*, quia non est dubium, quin de eadem re possit aliquis habere scientiam, & alius solùm opinionem. Dicitur, *simul*, quia certum etiam est posse aliquem nunc habere opinionem tantùm de aliqua propositione, de qua postea habebit scientiam, vel fidem, vt *quòd Deus sit*. Dicitur denique *de eodem subiecto formaliter*, hoc est, secundùm idem prædicatum, quia nihil vetat, secundùm diuersa dari scientiam, & opinionem simul de eadem re, vt de eodem homine scimus quòd sit risibilis, opinamur quòd sit amicus, credimus quòd sit probus.

Potest autem triplex fieri comparatio scientiæ cum opinione, vel fide, nimirum actus cum actu; habitus cum habitu; & habitus cum actu : & de his omnibus disputabimus in sequentibus; vtrum videlicet actus scientiæ possit simul esse cum actu opinionis, vel fidei; aut vtrum habitus cum habitu, aut denique habitus cum actu. Vnde in prima comparatione supponitur quòd intellectus possit elicere simul plures cognitiones, vt concedit Scotus in 2. d. 42. q. 4. num. 10. & 11. & in 4. d. 49. q. 10. num. 17. & etiam Diuus Thomas 1. p. q. 58. art. 7. ad 2. quando habent ordinem inter se, vt iudicium præmissarum, & iudicium conclusionis. Quia verò maior videtur esse difficultas de ista combinatione, scilicet actus cum actu, ideò priùs de illa tractabimus, vt ex eius resolutione quid de alijs sentiendum sit, clariùs colligatur.

Sententiam itaque negatiuam tenent communiter Thomistæ, Caiet. 1. 2. q. 67. art. 3. & 2. 2. q. 1. art. 5. & 3. p. q. 9. art. 3. Sotus 1. post. cap. 26. q. 8. art. 2. conclus. 3. Masius ibidem q. 5. Complutenses disput. 20. q. 4. Ioannes à sancto Thoma q. 26. art. 5. & alij plurimi. Eamdem tuetur Scotus in 3. d. 24. numero 13. in fine quoad scientiam, & fidem, & num. 21. in responsione ad 3. quoad scientiam, & opinionem. Ioannes Pontius in Logica, disp. 22. q. 3. conclus 5. Camerarius q. 15. & alij multi.

Probatur primo ex Aristotele cap. 26. primi post. versus finem, vbi hæc habet: *ex his autem perspicuum est fieri non posse vt simul idem opinetur quispiam, ac sciat nam simul existimationem haberet & aliter, & non aliter idem se se habere; quod quidem fieri nequit.*

Accedit quoque authoritas diui Thomæ ibidem lectione 44. vbi inc lcat eadem verba. Et q. 14. de veritate art. 9. ad 6. ait; *non videtur esse possibile quòd aliquis de eodem habeat scientiam, & opinionem, quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit: & similiter non est possibile quòd sit de eodem fides & scientia,* & 2. 2. q. 1. art. 5. ad 4. *de eodem secundum idem non potest esse simul in vno homine scientia, nec cum opinione, nec cum fide; aliâ tamen, & aliâ ratione scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem quia de ratione scientiæ est quòd id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere: de ratione autem opinionis est, quòd id, quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere: sed id, quod fide tenetur, propter fidei certitudinem existimatur etiam impossibile aliter se habere sed ea ratione non potest simul idem & secundum idem esse scitum, & creditum, quia scitum est visum & creditum est non visum.*

13. Respondeo, mihi satis persuasum esse Aristotelem & Diuum Thomam in hac fuisse sententia: vnde cùm nobis hæc quæstio problematica esse debeat, non possumus vtramque partem contradictionis tantis authoribus tribuere. Quia nihilominùs reperiuntur textus alij in diuo Thoma, qui satis perspicuè fauent contrariæ opinioni, vt videbimus in sequenti sectione; ideò dici potest, ipsum, & Aristotelem loqui in citatis locis de opinione illa, quæ actualem formidinem sibi habet annexam, & quâ intellectus formaliter iudicat rem opinatam posse aliter se habere; & hoc constat ex eorum verbis.

At, vt ostendimus supra, actualis illa formido potest ab opinione separari; & quamuis intellectus non reddatur positiuè certus de obiecto per actum opinionis, non redditur tamen positiuè incertus, & dubius, quia opinio solùm affirmat rem ita se habere sicut affirmat scientia: an verò aliter se habere possit, non iudicat, saltem expressè; & ita non appareret repugnantia quin simul esse possint.

Adde quòd vacillatio, & incertitudo tollitur ex concomitantia certitudinis ipsius scientiæ, & ita entitates positiuæ vtriusque actus possunt sine

vlla repugnantia esse simul. Et eodem modo de fide humana, seu naturali Philosophandum est.

14. Probatur secundò: non potest intellectus necessitari simul, & non necessitari ad assentiendum alicui propositioni: sed per actum scientiæ necessitatur ad illi assentiendum, per actum verò opinionis non necessitatur; ergo actus opinionis, & actus scientiæ de eadem propositione non possunt simul esse in intellectu.

Respondeo ad maiorem: esto fortè non possit intellectus necessitari, & non necessitari simul ad assentiendum eidem conclusioni per eumdem assensum, vel ex eodem motiuo: potest tamen per duos distinctos assensus, quorum vnus eliciatur liberè ex vno motiuo, & alius necessariò ex alio, vt fit in casu obiectionis.

Probatur tertiò, si actus scientiæ, & actus opinionis possent simul esse de eodem obiecto, posset quoque idem obiectum esse simul euidens, & ineuidens; clarum, & obscurum: certum, & incertum: sed hoc est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Maior est clara. Minor verò etiam constat, quia hæc sunt contradictoria, aut priuatiuè opposita, & inducunt effectus omninò repugnantes, & oppositos; quòd nimirum intellectus simul & semel sit quietatus, & conuictus de veritate rei; & non quietatus, nec conuictus; item certus quod res ita sit, & simul incertus: quòd videat clarè illam, & non clarè; quæ non minùs repugnant inter se, quàm lux, & tenebræ.

15. Respondeo distinguendo minorem. Verum quippe est illa repugnare si absolutè intelligantur afficere intellectum, aut si obiectum immediatè in se, & secundùm se attingi dicatur: quia tunc est negatio, & affirmatio, seu forma, & priuatio respectu eiusdem omninò, videlicet visio, & non visio, euidentia, & ineuidentia, quies, & non quies.

At si intelligantur relatiuè, & per ordinem ad diuersa media, non est repugnantia. Tunc enim obiectum scientiæ euidenter apparere, & intellectum conuincere, seu quietare, nihil aliud est, quàm proponi intellectui per motiuum, seu medium, quod necessariam habet connexionem cum re ipsa, itavt eius veritas sit euidens, & determinet intellectum ad iudicandum, & videndum clarè talem connexionem. Obiectum verò opinionis esse ineuidens, incertum, & obscurum, nihil aliud est, quàm proponi intellectui sub motiuo, & per medium, quod non habet necessariam, & euidentem connexionem cum veritate rei opinata: vnde iudicat intellectus ex hac parte non implicare rem aliter se habere.

Nihil ergo repugnat obiectum aliquod proponi intellectui per medium necessarium, & simul per medium contingens, atque adeo esse simul euidens, & ineuidens, certum, & incertum respectu intellectus, illud per diuersos actus attingentis: ineuidens tamen, & incertum non debent sumi negatiue, id est, sine euidentia, & certitudine; sed positiuè pro minori claritate, & certitudine, quia per vnum actum cognoscitur clariùs

quàm per alium. Quod autem de opinione dictum est respectu euidentiæ, & ineuidentiæ, debet proportionaliter intelligi de fide diuina, & supernaturali.

16. Instabis: si diuersitas mediorum tollat huiusmodi repugnantiam, sequitur nullum actum posse dari in intellectu, verè oppositum actui scientifico, quia necessariò debet acquiri per diuersum medium: vnde assensus scientificus, & erroneus poterunt simul esse in intellectu respectu eiusdem conclusionis, quia primus habetur per medium certum; alius per falsum; hoc autem nihil absurdius, quia assensus scientificus, & assensus erroneus se habent vt lux, & tenebræ, quæ simul esse non possunt.

Respondeo negando sequelam maioris; actus enim erroneus est verè oppositus scientifico circa idem, quia si primus sit assensus, secundus erit dissensus, atque adeo negatio, & affirmatio de eadem veritate: vnde sicut voluntas non potest habere simul odium, & amorem eiusdem rei sub eodem motiuo; ita intellectus non potest simul assentiri, & dissentiri eidem veritati: at potest simul habere duos assensus de eadem, alterum scientiæ, alterum opinionis, quia vnus non destruit alium, nec est negatio illius, vel priuatio, sicut sunt tenebræ respectu lucis; ambo enim sunt quædam lux, sed vnus est lux maior, alter minor, quæ non sunt oppositæ, vt patet de luce solis, & de luce candelæ.

17. Probatur quartò experientiá ipsâ, quâ constat nos non moueri ad assentiendum alicui veritati per medium fallibile, & incertum, quale est medium opinionis, vel authoritatis creatæ, quando habemus certam, & euidentem cognitionem de illa. Quis enim mouetur ad credendum petrum currere eò quòd aliquis illud affirmat, quando ipse proprijs oculis illum videt currentem? ergo nequit esse actus fidei naturalis, vel opinionis cum actu scientiæ de eadem veritate.

Confirmatur: quia tunc fides, vel opinio esset superflua, & inutilis: natura autem illud non patitur.

Deinde ad lucem solis non apparent stellæ, nec aliquid fax accensa potest efficere; ergo ad claram, & euidentem scientiæ lucem, nihil efficit fides, vel opinio, quæ obscuræ sunt.

Denique voluntas non potest desiderare bonum, quod habet, nec applicare media ad illud acquirendum: ergo similiter intellectus, quando veritatem possidet per visionem, & scientiam, non potest adhibere media opinionis, & fidei ad illam inquirendam.

18. Respondeo negando experientiam illam. Etenim nihil obstat quominùs sciens Deum esse vnum per demonstrationem, illud idem opinetur propter rationes topicas, & congruentes. Nam si hoc potest simul proponi per diuersa huiusmodi media, ita vt intellectus simplici apprehensione obiectum sic propositum attingat: quare non poterit ex diuersis illis motiuis de eo quoque iudicare?

Accedit experientia, quâ videmus idem sæpe mysterium credi, & propter authoritatem diuinam, & propter humanam doctorum, vel parentum; quamuis vnum medium sit incertum, & aliud certum. Non est tamen inficiandum intellectum ita clarè illustrari, & præpediri luce cognitionis scientificæ, vt alias cognitiones aut non curet, aut non aduertat.

Ad confirmationem nego fidem, vel opinionem esse superfluam in habente demonstrationem: tum quia potest fides, & opinio præcedere demonstrationẽ, & tunc erit quædam dispositio & præparatio ad scientiam habendam, tamquam quid perfectius: dispositio autem, & forma possunt stare simul: tum quia non est inutile idem cognoscere diuersis modis, quamuis vnus sit alio imperfectior, aut omnes æque perfecti: non est enim iniucundum intellectui scire eamdem conclusionem per plures demonstrationes, quod maximè contingit in Geometria; & teste Diuo Thomâ terram esse rotundam demonstrat intellectus per medium physicum, & per medium mathematicum.

Denique: esto post scientiam superflua videatur opinio de eadem re, per se loquendo; ex imperio tamen voluntatis potest intellectus ex vtriusque motiuis illi assentiri, sicut voluntas ob duos fines potest aliquid efficere, licet vnus ad hoc efficiendum sufficiat.

19. Ad secundam probationem, in eadem confirmatione contentam, dico lucem facis nihil efficere, quia non potest maiorem solis lucem intendere: at cognitio opinionis, cùm diuersæ rationis sit, non debet intendere euidentiam cognitionis scientiæ; sed per seipsam formaliter intellectum illustrat, & ideo potest simul cum alia luce maiori, in intellecta reperiri; cùm & lucem Solis, & lucem candelæ, etiam simul in eodem subiecto reperiri astruant perspectiui.

Ad tertiam probationem, concedo voluntatem non posse desiderare quod habet, sub ea ratione habendum, quâ illud habet; posse tamen sub alia; videlicet habeat hic Deum per charitatem in via, desiderat illum habere in patria; & beatus illum habens in patria per visionem, vult habere per amorem: imo & cum tali visione stat cognitio abstractiua de ipso Deo ex creaturis, quæ respectu visionis est imperfectissima, & obscurissima. Ita ergo intellectus possidens obiectum per scientiam, potest adhibere media ad illud possidendum, hoc est cognoscendum alijs modis diuersis, vt patet ex iam dictis.

Deinde nego paritatem, quia positâ perfectâ possessione finis, inutilis prorsus est quicumque conatus alius circa finem, quia nec voluntas ipsa magis indeperficitur, nec finis jucundior, aut melior redditur: at quælibet cognitio intellectus, est perfectio eius, & ita quo pluribus notitijs idem obiectum possidet, eò maior, saltem extensiuè, perfectio ipsi accrescit.

20. Probatur quintò; fides diuina non potest stare simul cum scientia: ergo nec fides humana, vel opinio. Consequentia est euidens, quia non

magis repugnat obscuritas fidei diuinæ, euidentiæ ipsius scientiæ, quàm obscuritas, incertitudo, & fallibilitas opinionis, vel fidei humanæ, certitudini, & euidentiæ eiusdem scientiæ. Antecedens verò probatur ex D. Augustino, tractatu 40. in Ioannem: *quid est fides*, inquit, *nisi credere quod non vides?* & tractatu 68. *fides autem quod non videt, credit, nam si vides, iam non est fides.* Vnde ad Hebræ. 11. dicitur *fides argumentum non apparentium.* Et 1. cor. 13. *cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*: quia scilicet posità visione in patria, nulla erit fides. Si autem simul stare possent, nulla esset ratio cur fides non maneret.

Respondeo negando antecedens: ad cuius probationem concedo fidem esse de non apparentibus, & obscuris respectu actus, & habitus ipsius fidei, licet possint aliunde esse scita, vel visa. Fides enim innititur reuelationi diuinæ, quæ cùm obscura sit, consequenter obiectum ipsum, vt creditur à Deo reuelatum, obscurum est, & exigit piam voluntatis affectionem, vt credatur reuelatum, quia sub ea ratione non conuincit intellectum.

Ideò autem non manet fides in patria, quia ibi propter visionem beatificam, non est necessaria ad eliciendas cognitiones supernaturales, quibus indiget voluntas viatoris ad producendos actus supernaturales virtutum; sed non ideo euacuatur quasi visioni repugnet, sed quia esset superflua, vt docet Scot. in 3. d. 31. q. vnica numero 2. in fine.

21. Instabis: ista responsio tribuit sanctis Patribus ridiculum, & ineptum loquendi modum: ergo non soluit argumentum. Probatur antecedens: ineptè enim quis diceret, *nemo credit per visionem, aut videt per fidem*: nemo potest simul videre, & intelligere idem obiectum, *hoc est, intelligere visione corporali.* Hic enim loquendi modus, licet verus sit, ridiculus tamen est, vt patet: non est autem alius loquendi modus in prædictis authoritatibus, si intelligantur vt dicitur in responsione. Quid enim aliud esset dicere, *fides est credere quod non vides*, nisi, *credere non est videre.*

Adde quòd frustra recurrerent Patres, vt D. Gregorius homil. 26. ad diuersa obiecta materialia, ad ostendendum quomodo Thomas Apostolus simul vidit, & credidit, Ioannis 20. *quia vidisti me Thoma, credidisti.* Aiunt enim vidisse hominem, & credidisse Deum. At iuxta prædictam solutionem, poterant facilè dicere ipsum vidisse visu corporali, & credidisse actu fidei.

22. Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico, hæc, & similia non ineptè dici, quando rerum naturam, & distinctionem explicare oportet. Volebant autem sancti Patres naturam fidei, obiectum proprium eius, & rationem formalem assignare, eamque distinguere à scientia, & cognitionibus alijs euidentibus. Et certè alia sunt, etiam in sacra Scriptura, quæ simili modo intelligi, & explicari debent, vt illud

primæ Ioannis cap. 3. *omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare.* Sic enim illud intellgit Diuus Thomas 2. 2. q. 24. art. vndecimo, quod non possit peccare per Caritatem, quia Caritas secundùm propriam rationem non potest nisi id, quod ad talem rationem pertinet: & ita non potest peccare, sicut calor non potest infrigidare.

Ad aliud concedo sanctos Patres potuisse rectè dicere Thomam vidisse oculis Christum, & fide credidisse ipsum resurrexisse. Et certè verba Christi illud significare videntur. Dubitatio enim S. Thomæ non erat an Christus esset Deus, sed an resurrexisset; vnde quia oculis vidit eum viuentem, hoc idem credidit propter testimonium aliorum Apostolorum, aut ipsius Christi, qui dixerat ante mortem, Math. 20. *& tertiâ die resurget.* Cui simile prorsus est, quòd habetur 2. Petri 1. vbi sanctus Petrus inducit ad credendum Christum esse filium Dei ex hoc quòd audiuerat in monte sancto, vbi transfiguratus est, & addit: *sed habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes.*

SECTIO IV.

Actum scientiæ, & opinionis, vel fidei posse esse simul.

21. ISTA sententia affirmatiua defenditur ab Alensi quoad fidem diuinam, tertiâ parte q. 79. membro 3. versus finem, vbi ait: *dicendum ergo plenius quod non est inconueniens idem esse scitum, & creditum secundum alium, & alium modum: nec idem creditum esse, & sensatum secundùm alium, & alium modum.* Et infra: *in Philosopho veniente ad fidem, idem est scitum, & creditum; sed scitum per comparationem ad rationem: creditum per comparationem ad primam veritatem, cui innititur propter ipsam: scitum est quantum ad speculationem; sed creditum, quantum ad hoc, quod innititur primæ veritati.* Quæ verba fauent solutioni vltimi argumenti, num. 22. allatæ, vt patet. Eamdem tenent D. Bonauentura in 3. d. 24. ar. 2. q. 2. Arriaga disp. sexta de anima sectione sextâ, & alij. Pro qua malè citatur Durandus in prologo, q. 1. Licet enim ibi numero 39. velit authoritatem diuinam, & medium demonstratiuum posse simul concurrere ad causandum vnum assensum de hoc quòd Deus sit vnus: non tamen quod sint diuersi actus simul, alter fidei, & alter scientiæ. Idem sentit numero 31. respectu medij contingentis, & medij necessarij.

Probatur primo hæc sententia authoritate Diui Thomæ, tertia parte q. 9.

q. 9. art. 3. ad 2. vbi sic loquitur: *opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur: quâ tamen acquisitâ potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum; quasi consequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam, quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus* 1.2. q. 67. art. 3. sub finem: *potest vnus homo*, inquit, *cognoscere eamdem conclusionem per medium probabile, & demonstratiuum.* Quod idem habet 1. parte q. 58. art. 7. Denique vt cætera omittamus, in 3. sent. dist. 31. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. sic ait: *opinio, & scientia, quamuis sint de eodem, non tamen secundùm idem medium, sed secundum diuersa; & ideo possunt esse simul: sed fides, & visio patriæ sunt de eodem & secundùm idem medium, & ideo perfectio vnius non patitur imperfectionem alterius.*

24. Respondeo primò concedendo secundùm Diuum Thomam posse haberi cognitionem de vna conclusione per medium probabile, post scientiam de eadem conclusione acquisitam: at talem cognitionem non esse opinionem, sed opinione altiorem, procedentem ab ipso habitu scientifico, vt diximus lib. 1. q. 2. n. 13. quamuis enim non pertingat ad perfectionem scientiæ, eo quòd procedat per medium probabile, & ideò possit latè vocari opinio: tamen quia intellectus non judicat prædicatum contingenter conuenire subiecto, sicut antea; ideò non habet propriè rationem opinionis, & cognitionis formidolosæ.

Quod autem hæc sit mens Diui Thomæ, patet ex eo quòd ait acquisita scientiâ remanere cognitionem quæ est per syllogismum dialecticum, sicut productâ forma ignis in ligno manet calor; at non manet qui fuit ante productus, quia ex Diuo Thoma fit resolutio vsque ad primam materiam; sed alius perfectior, quasi effectus formæ introductæ: ergo non remanet eadem cognitio. Vnde notat ibi Caietanus Diuum Thomam vsum fuisse nomine *opinionis* ante scientiam acquisitam: post acquisitam verò, nomine *cognitionis*, vt ostenderet non remanere cognitionem eiusdem rationis cum prima. Et ex hoc patet solutio ad secundum locum, aliaque similia.

Ad tertiũ dicunt Complutenses D. Th. mutasse sententiam, in operibus posterioribus, quia in his repetito argumento, in quo ibi concedit scientiã, & opinionẽ simul esse posse, non tamen scientiam, & fidem; dicit vtrũque esse impossibile; scilicet 2.2.q.1. art.5. ad 4. & q.14. de verit. a. 9. ad 6. potest tamen eodem modo solui, atque etiam aliter ex secunda responsione.

25. Respondeo secundò: scientia, & opinio secundùm Diuum Thomam possunt esse simul de eodem *in actu signato, & reflexè, concedo: in actu exercito, & directè, nego.* Hoc est, intellectus habens scientiam de aliqua conclusione, potest simul cognoscere connexionem probabilem, quam habet medium dialecticum cum eadem conclusione; sed non potest simul exercere actum opinionis, ita vt assentiatur illi conclusioni

propter tale medium, quia sic haberet simul actus oppositos, euidentem, & ineuidentem, certum, & incertum.

Itaque quando aliquis habet prius opinionem de aliquo obiecto per media probabilia; & deinde acquirit scientiam de eodem per media necessaria, tunc non manet opinio secundùm formalitatem opinionis, quatenus exercitè est ratio assentiendi cum formidine alterius partis; sed vt est cognitio, quasi reflexa probabilitatis, seu probabilis connexionis mediorum dialecticorum cum conclusione: quæ cognitio potest vtcumque opinio appellari, quia est de re probabili, & contingenti. Nam, licet intellectus certus sit de probabilitate mediorum, & de probabili connexione eorum cum conclusione: non est tamen certus, quòd de facto talis connexio existat.

Quòd autem hic sit Diui Thomæ sensus, patet ex posterioribus verbis textus, ex tertia parte allati, dum ait quòd acquisitâ scientiâ, potest remanere cognitio, quæ est per dialecticum syllogismum, quasi consequens scientiam: quia qui cognoscit causam, ex hoc magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus Syllogismus.

26. Instabis: qui scientiam habet de aliquo articulo fidei, vt *quòd Deus sit*, potest in actu signato melius cognoscere, authoritatem dicentis esse legitimam rationem credendi: ergo hoc modo scientia, & fides poterunt esse simul, non secùs ac scientia, & opinio: sed hoc negat Diuus Thomas; ergo talis interpretatio non est legitima.

Respondeo negando majorem. Ratio disparitatis est, quia fides est absque discursu, & fertur simplici intuitu in authoritatem dicentis absque probatione illius. Vnde talis authoritas solùm potest crescere ex voluntate, & non ex medio probatiuo. At opinio procedit per medium probatiuum, cuius probabilitas crescere potest, & clariùs apparet ex clariori scientiæ lumine superuenienti.

Denique Durandus numero 37. loci citati, explicat Diuum Thomam, quòd opinio stare possit cum scientia demonstratiua, non quidem secundùm actus diuersos, & distinctos, sed quia media vtriusque concurrunt simul ad causandum vnum assensum.

27. Probatur secundò: nulla est contrarietas, vel oppositio inter actum opinionis, vel fidei, & actum scientæ: ergo nulla est ratio negandi eos posse esse simul. Probatur Antecedens, quia vel talis oppositio peteretur ex parte actuum, vel ex parte obiecti, vel ex parte subiecti? non ex parte actuum, eò quòd scilicet vnus sit obscurus, alius clarus; vnus certus, alius incertus: quia hoc non magis repugnat, quàm vnum esse iudicium, alterum non esse iudicium, sed simplicem apprehensionem de eodem obiecto: vnum esse actum volitionis, alterum intellectionis.

Non etiam respectu obiecti, quia idem prædicatum, & eadem veritas affirmatur de obiecto per vtrumque actum: & aliunde nihil vetat rem vnã habere diuersas causas, alias necessarias, alias contingentes: ita vt iudice-

mus, ipsam non posse aliter se habere secundùm causas necessarias, posse tamen secundùm contingentes: non secùs ac iudicamus, istam propositionem *mortui resurgent*, esse falsam secundùm causas naturales, veram autem secundùm supernaturales: ergo pariter possumus iudicare de eadem conclusione per diuersa media, seu motiua certò, & incertò, euidenter, & ineuidenter, &c.

Nec denique est oppositio ex parte subiecti, quia videre clarè, & videre obscurè per diuersos actus, non magis repugnat, quàm videre per vnum, & non videre per alium; quàm esse album per albedinem, & non esse album per calorem.

28. Respondeo negando Antecedens. Ad probationem dico oppositionem peti ex parte omnium prædictorum, quando simul sumuntur: quia non potest intellectus elicere simul duos actus circa idem obiectum, eâ ratione, vt per eos simul videat, & non videat eamdem veritatem: vt per vnum fiat certus non posse obiectum aliter se habere; & per alium de eodem maneat incertus: quia, licet actus positiui sint, inducunt tamen effectus priuatiuè oppositos, in subiectum, nimirùm videre, & non videre; esse conuictum, & non esse conuictum de eadem veritate.

Neque obstat diuersitas causarum, seu motiuorum, quia semper lux, & tenebræ opponuntur in eodem subiecto, sicut calor, & frigus, à quibuscumque causis inducantur. Neque allata exempla quidquam probant, quia apprehensio, & iudicium de eodem sunt subordinata; nec inducunt effectus, priuatiuè oppositos: sicut nec calor, & albedo; volitio, & intellectio. Istæ duæ verò propositiones, *mortui resurgent*: *mortui non resurgent*, absolutè sumptæ, sibi repugnant: secus si sumantur relatè ad potentiam diuinam, & creatam: quia non versantur circa idem eodem modo, vt constat.

29. Vt autem tollatur æquiuocatio, quæ magna latet in prædicta ratiocinatione, notare oportet quod tetigimus numero 25. intellectum posse versari circa vnam conclusionem per diuersa media, alterum contingens, alterum necessarium, duobus modis, primo in actu exercito, ita vt illa media sint illi ratio formalis assentiendi tali conclusioni: secundo in actu signato, ita vt non ferat absolutè iudicium de conclusione; sed reflexè, & relatè ad media, siue præmissas, ex quibus deducitur: adeò vt connexio huiusmodi mediorum cum conclusione, sit obiectum, de quo intellectus iudicat.

Primo modo opinio, & scientia non possunt esse simul: neque medium contingens, & necessarium; quia sic sunt rationes formales iudiciorum oppositorum, per quorum vnum iudicat intellectus obiectum esse certum, & necessarium; per aliud non esse certum, & necessarium: quæ cùm manifestè sint oppositæ, non possunt simul attribui ab intellectu eidem rei: nec in ipso intellectu reperiri, si illum afficiant secundùm illas

ſuas conditiones: quia ſimul relinquerent illum dubium, & certum de eadem re: conuictum de veritate rei, illamque videntem clarè, & non conuictum, nec clarè videntem eamdem veritatem.

Secundo autem modo poſſunt eſſe ſimul, quia nihil vetat intellectum iudicare concluſionem eſſe certam, & euidentem, vt ſubeſt tali medio, talibuſque præmiſſis; ineuidentem verò, & incertam vt ſubeſt alteri medio, alijſque præmiſſis: quæ probabiles tantùm videntur, tunc enim non verſatur propriè circa idem obiectum, quia primo modo verſatur circa veritatem ipſam illatam: ſecundo verò modo verſatur circa eius illationem, & dependentiam à præmiſſis; quomodo non exercet propriè opinionem, quia eius cognitio certa eſt, vt patet.

30. Probatur tertiò: non magis opponuntur ſcientia, opinio, & fides de eodem obiecto, quàm cognitio beata, infuſa, & acquiſita de eodem: ſed iſtæ poſſunt eſſe ſimul, ergo & illæ. Minor eſt Diui Thomæ 3. parte q. 9. art. 2. 3. & 4. vbi ait in Chriſto præter ſcientiam beatam, fuiſſe ſcientiam infuſam, & acquiſitam de ijſdem rebus. Et 1. parte q. 58. art. 7. ad 2. vbi ait in Angelis duplicem eſſe cognitionem creaturarum, alteram in verbo, alteram in propria ipſarum natura.

Maior autem oſtenditur, quia opinio, ſiue fides, & ſcientia opponuntur ſicut perfectum, & imperfectum, clarum & obſcurum: at certè cognitio beata, per quam res videntur in verbo, eſt multò perfectior & clarior cognitione infuſâ, & hæc cognitione acquiſitâ, ita vt D. Thomas q. citata primæ partis, art. 6. ad 1. dicat cognitionem veſpertinam Angeli, quâ videt res in ſeipſis, poſſe dici tenebram, aut ſaltem obſcuram per comparationem ad cognitionem matutinam, quâ videt illas in verbo.

31. Reſpondeo negando maiorem. Ad probationem concedo ſcientiam acquiſitam, atque etiam infuſam poſſe dici obſcuram comparatiuè ad beatam, eo modo quo lumen candelæ dicitur obſcurum reſpectu luminis Solis; ſed hæc obſcuritas non eſt intrinſeca, quia in ſe eſt vera claritas abſque mixtione tenebrarum: omnes enim iſtæ cognitiones ſunt euidentes & ideo nullam oppoſitionem realem important, quia vt rectè ait D. Thomas citato art. 7. ad 3. *quòd cognoſcatur aliquid in ſeipſo, non eſt oppoſitum ei, quòd cognoſcatur in ſua cauſa.* At fides in ſua ratione intrinſeca includit vt ſit de non viſis, & non apparentibus. Similiter opinio, quamuis ſit aliquantula claritas, ſiue lux, eſt tamen intrinſecè obumbrata, & obſcuritati mixta, ita vt deſinat eſſe opinio, ſi obſcura eſſe deſinat; quo fit vt fides, vel opinio, & ſcientia de eodem ſimul eſſe nequeant.

32. Probatur quartò: duo actus formaliter contrarij de eodem ſubiecto poſſunt eſſe ſimul in voluntate: ergo actus ſcientiæ, & opinionis poſſunt eſſe ſimul in intellectu. Conſequentia eſt euidens, quia actus

scientiæ & opinionis non repugnant contrariè, cùm vterque sit affirmatio eiusdem veritatis, nec contradictoriè, aut priuatiuè, cùm ambo sint positiui. Antecedens verò constat in Christo, qui volebat passionem, & mortem suam, de eaque lætabatur, vt erat medium pro redemptione hominum: eamdem verò nolebat, de eaque tristabatur, vt erat malum naturæ: nolle autem & velle idem; tristari, & gaudere de eodem, sunt actus contrarij, vt per se patet.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico obiectum lætitiæ, & tristitiæ Christi non fuisse idem formaliter, licet realiter, & materialiter idem esset. Nam tristari de morte, vt est malum naturæ, & lætari de illa, vt est bonum ad gloriam Dei, & salutem hominum, sunt valde diuersa, vt patet. Simili modo mercator tristatur de projectione mercium in mare, quia diuitias minuit, & lætatur simul de illa, quatenus medium fuit necessarium ad seruandam vitam.

33. Instabis: ergo pari modo scientia, & opinio poterunt esse simul, quia licet sint de eodem obiecto materiali, illud tamen attingunt per diuersa media, & sub diuersis considerationibus, atque adeò erunt diuersa obiecta formaliter.

Respondeo negando subsumptum illud. Ratio disparitatis est, quia bonum, quod est obiectum voluntatis, importat comparationem quamdam, & habitudinem conuenientis; adeò vt id, quod bonum est vni, sit malum alteri; quomodo calor, bonus est igni & malus aquæ: vnde fit vt ex respectu, & habitudine ad diuersa, varietur bonum in ratione formali obiecti, & conuenientis. At verò in opinione, fide, & scientia, manet semper eadem veritas obiectiua, quæ à diuersis medijs illuminatur diuersimodè, scilicet clarè, & obscurè, certò, & incertò; vnde sequuntur effectus oppositi in eodem intellectu, vt explicatum est.

34. Probatur quintò: ad justificationem requiritur, vt quis habeat supernaturalem fidei cognitionem juxta illud Pauli hebræo. 11. *credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ergo dicendum est quòd Philosophus, qui de illis habet scientiam, & euidentem cognitionem, non potest conuerti, & justificari; vel quòd fides & scientia possunt esse simul de eodem obiecto: vnde & in Symbolo Apostolorum datur articulus fidei *quòd Deus sit.*

Confirmatur primò, quia alioquin Philosophus christianus esset deterioris conditionis, quàm rusticus, eò quòd haberet certitudinem tantum naturalem de articulis, scientiâ naturali cognitis, vt quòd *Deus est*: rusticus verò haberet certitudinem supernaturalem.

Confirmatur secundò ex verbis Christi, Ioannis 20. *qui a vidisti me Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vbi visio & intuitiua cognitio ponitur coniuncta cum fide, itavt illa impulerit ad istam, atque adeò necessariò fuerint simul. Nec videtur sufficere solutio, quæ affertur ex Diuo Gregorio homil. 26. in octaua Paschæ, quòd

aliud vidit, & aliud credidit; vidit hominem, & credidit Deum: tum quia sancti Petrus, & Ioannes viderunt Christum crucifigi, & mori & de hoc tamen est articulus fidei, de quo non videtur dubitandum eos habuisse actus fidei meritorios, & supernaturales, cum in eo fundamentum sit salutis: tum quia vt notauimus in fine sect. præcedentis, dubitatio sancti Thomæ erat de resurrectione Christi, & non de eius diuinitate: tum denique, quia dum Christus dicit beatos eos, qui crediderunt, & non viderunt, supponit esse alios qui credunt ea quæ vident, vt fiat contra positio inter sanctum Thomam, & alios.

35. Respondeo concedendo, eum, qui justificatur, habere fidem supernaturalem de Deo, vt est author supernaturalis, non autem, vt est author naturalis, & vt euidenter cognoscitur ex effectibus naturalibus. Quòd expresè docet D. Th. q. 14. de veritate art. 9. ad 8. his verbis *Deum esse vnum prout est demonstratum, non dicitur articulus fidei, sed præsuppositum ad articulos: sed vnitas diuinæ essentiæ talis, qualis ponitur à fidelibus, scilicet cum omnipotentia & omnium prouidentia, & alijs huiusmodi, quæ probari non possunt articulum constituit.* Et 2. 2. q. 1. ar. 8. ad 1. *multa per fidem tenemus de Deo quæ naturali ratione inuestigare philosophi non potuerunt, puta circa prouidentiam eius & omnipotentiam & quod ipse solus sit colendus, quæ omnia continentur sub articulo vnitatis Dei.* Et sic patet non esse fidem, & scientiam simul de eadem veritate formaliter. Ideo verò quædam ex his quæ demonstratiuè probantur, ponuntur inter credibilia, non quòd de ipsis sit simpliciter fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea quæ sunt fidei, & oportet ea saltem per fidem præsupponi ab his qui eorum demonstrationem non habent, vt ait D. Th. loco citato secundæ partis art. 5. ad 3.

36. Ad primam confirmationem respondeo negando antecedens. Philosophus enim Christianus habet certitudinem supernaturalem de illo articulo, *Deus est*, non solùm vt est author supernaturalis, sicut jam explicatum est, sed etiam vt est author naturalis, non quidem actualem, sed habitualem, & in præparatione animi, vt rectè ait Scotus in 3. dist. 24 q. vnica, numero 21. quia si non haberet scientiam de illo, paratus esset credere, & ita quoad meritum non est peioris conditionis.

Præterea maiorem etiam habet certitudinem actualem propter conjunctionem scientiæ cum fide; scientia enim, fides, & opinio se mutuò juuant in ijs, in quibus non opponuntur: vnde cum Philosophus videt veritatem, quam naturaliter nouit, à diuina fide probari, maximè roboratur eius intellectus in tali cognitione, propter judicium à fide deriuatum, quo judicamus ea quæ subsunt fidei, certiora esse omni cognitione naturali. Vide D. Th. 22. q. 4. a. 8. ad 2. *multò magis homo certior est*, inquit, *de eo quod audit à Deo, qui falli non potest, quàm de eo quod videt propria ratione, quæ falli potest.*

37. Ad secundam confirmationem respondeo solutionem ex D. Gre-

gorio allatam esse legitimam; imò ex ea confirmatur ista sententia, vtpote fulta authoritate doctoris, & Patris Ecclesiæ. Ad probationem verò in contrarium, dico Thomam non tantum de resurrectione, sed etiam de Christi diuinitate aliquam fortè habuisse dubitationem, cùm dubitauerit de veritate verborum ipsius, quibus dixerat se tertiâ die resurrecturum: nam & eâdem dubitatione tenebantur duo discipuli, qui Emmaüs proficiscebantur Lucæ 24. *nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël &c.*

Deinde fides sancti Thomæ, dum dixit illi Christus *quia vidisti me Thoma, credidisti*, potest referri ad verba & dicta aliorum Apostolorum, & discipulorum: quando enim vidit Christum viuentem, credidit eos vera narrasse, quod antea non credebat, vnde fides non fuit de eodem de quo visio. Et hoc patet Marci 16. vbi Christus *exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*: eos autem dicit beatos, qui hoc crediderunt antequam ipsum vidissent. Et sic patet solutio ad alias probationes.

Quod verò de sancto Petro & Ioanne dicitur, solutum est in solutione primæ confirmationis, quòd scilicet non sit fides actualis eorum quæ clare videntur vel sensu vel intellectu, sed solùm in preparatione animi, & in habitu reali fidei, quo crederentur si non essent visa, vel scita.

SECTIO V.

Vtrum habitus scientiæ & opinionis vel fidei de eodem objecto possint esse simul.

38. THOMISTAE cum alijs multis existimant idem esse judicandum de istis habitibus, quod de eorum actibus, non posse nimirum eos simul se in eodem intellectu compati circa idem objectum, quæ sententia.

Probatur primò authoritate Aristotelis, & Diui Thomæ qui citato capite 26. primi poster. non solum loquuntur de actibus, sed apertissimè de habitibus, negando eos posse esse simul. Dicit enim ibid. Thomas lect. 44. loquens de mente Aristotelis, *comparat scientiam ad opinionem, quæ est verorum & falsorum*. Et statim subdit *agit de comparatione scientiæ ad aliquos habitus cognoscitiuos, qui sunt semper verorum*, loquuntur ergo clare de habitibus: nam habitui conuenit, non actui, versari circa verum, & falsum.

Probatur secundò, quia eadem repugnantia est inter habitus, quæ inter actus: nam sicut actus specificantur per obiecta, ita habitus per actus,

& consequenter per obiecta, tamquam per radicem & primariam rationem : vnde sicut actus opponuntur ex ordine ad obiectum, & ex modo attingendi illud, seu iudicando de illo; ita & habitus.

39. Confirmatur, quia actus producunt habitus, ergo actus contrarij producunt habitus contrarios : & econuerso habitus inclinant ad actus : ergo qui inclinant ad oppositos, debent esse inter se oppositi : quia contrarias inclinationes habent. Cum igitur actus scientiæ, & opinionis, vel fidei sint oppositi, nec simul esse possint; habitus quoque eorum inter se repugnabunt.

Nihilominus quamuis opinio prima de incompossibilitate actuum vera esset, ista de habitibus non vrgeret, nec eius rationes aliud probant, quàm habitus oppositorum actuum esse oppositos, & ita non posse simul commorari in summo; eo modo, quo calor, & frigus; albedo, & nigredo oppositæ sunt, nec se in eodem subiecto compatiuntur, si totam perfectionem gradualem possideant, benè autem si sint in gradu tantùm remisso. Nec aliud Aristoteles, aut Diuus Thomas voluisse videntur.

40. Oppositam sententiam tenent authores citati numero 23. item Ioannes Pontius citatâ disput. 22. q. 3. conclus. 7. vbi queritur Scotum citari pro contraria sententia in 3. sent. d. 24. q. vnica. Sed reuera, licet Scotus ibi numero 21. & dist. 31. q. vnica numero 2. asserat dici posse habitum fidei stare cum visione clara, & intuitiua eiusdem obiecti, vt in sancto Ioanne de passione, & morte Christi, & in sancto Paulo quando raptus est; non dicit tamen habitus fidei, vel opinionis, & scientiæ posse stare simul, quin potius eodem numero 21. hoc expressè negat de habitu scientiæ, & opinionis : *cùm igitur*, inquit, *scientia & opinio sint simpliciter incompossibiles in eodem de eodem : si aliquis habeat primò opinionem de aliquo, & superueniat demonstratio, corrumpitur opinio.* Quod de habitu opinionis intelligi debet, vt constat.

Probatur autem ista sententia primò, quia potest aliquis post comparatum multis actibus habitum opinionis, acquirere scientiam de eodem obiecto; & similiter habens scientiam, potest eidem conclusioni sæpiùs assentiri per media probabilia, & sic comparare habitum opinionis : ergo tunc simul erunt habitus opinionis, & habitus scientiæ.

Probatur consequentia, quia nulla apparet ratio cur habitus præcedens debeat corrumpi, saltem statim : si enim sit valde intensus, & habitus subsequens remissus, non poterit statim totus destrui, vt euidens est in alijs contrarijs, vt in calore, & frigore, quæ se simul patiuntur in gradibus remissis : & in habitu intemperantiæ, qui, si intensus est, non destruitur per habitum temperantiæ remissum.

Confirmatur, quia posito quòd habens habitum scientiæ de aliqua conclusione, non recordetur medij demonstrationis, siue demonstrationis, antea factæ, poterit illi assentiri per medium probabile, & iteratis assensibus probabilibus habitum opinionis acquirere : tunc autem non amit-

ter

tet habitum scientificum: quod patet ex eo quòd si species talis mediæ iterum recurrant, experietur se æquè certò, ac facilè assentiri illi conclusioni, ac antea.

41. Respondeo negando consequentiam. Quantumuis enim habitus opinionis sit intensus, adueniente demonstratione perfectâ de eodem obiecto, protinùs euaueſcit, & omninò expellitur, quia per vnicam demonstrationem perfectam, hoc est, plenè conuincentem intellectum, & firmiter certificantem de veritate conclusionis, producitur habitus perfectus scientiæ de illa: atque adeò rationem habet qualitatis, in summo gradu intensæ, quæ oppositam non patitur in eodem subiecto.

Si verò habitus scientiæ præcedat, & eamdem conclusionem cognoscamus per media probabilia, non producetur habitus opinionis, quia illi actus sunt altioris rationis, vt dixi numero 24. procedentes ab ipso habitu scientiæ, quem non augent, sed extendunt ad iudicandum de eadem conclusione per media probabilia: quidquid reclamet Pontius. Vel dicendum talem cognitionem esse tantùm in actu signato, non exercito, vt ibidem, numero 25. dictum est.

Ex quo patet disparitas inter scientiam, & habitus virtutum moralium, & vitiorum oppositorum, qualis est temperantiæ, & intemperantiæ: hi enim non acquiruntur, aut corrumpuntur vno actu, quia, vt rectè docet Diuus Thomas 1. 2. q. 51. a. 3. potentia appetitiua est indifferens ad multa, quæ diuersimodè, & secundùm diuersas rationes, & circunstantias potest appettere. Vnde ratio iudicat aliquid esse appetendum in vno actu secundùm hanc tantùm, vel illam determinatam rationem, & circumstantiam; ideoque potentia appetitiua non vincitur totaliter à ratione, nec plenè determinatur, vt per modũ naturæ feratur in idem vt in pluribus, quod est propriũ habitus: & ita non potest habitus virtutis, vno actu acquiri, sicut nec habitus opinionis; benè autem habitus scientiæ, quia vna propositio per se nota conuincit intellectum ad assentiendum firmiter conclusioni.

42. Nec est cur Pontius de hac doctrina miretur, tamquam minùs probabili, eo quòd, inquit, etiam si millies frequentaretur idem actus temperantiæ, non acquireretur illius habitus, quia non possent, mille etiam vicibus proponi à ratione omnia motiua appetendi bonum temperantiæ, & sic non vinceretur virtus appetitiua. Etenim licet post mille actus superesse possit aliqua ratio appetibilitatis, imò & non appetendi, propter quam possit appetitus deficere absolutè à prosequutione temperantiæ: tamen illi actus sufficerent ad determinandum appetitum circa idem vt in pluribus; & ita ad producendum habitum.

Ad confirmationem dico in illo casu, si formido coniuncta sit cum actibus opinatiuis, destrui habitum scientiæ: si verò recurrat medium demonstratiuum, & recordatio demonstrationis præcedentis, producetur de nouo habitus scientificus; & intellectus propter euidentiam rei, nullà

difficultate prorumpet in assensum sicut antea. Si autem formido absit ab huiusmodi actibus, non video cur habitus opinionis debeat destruere habitum scientiæ in isto casu.

43. Probatur secundò specialiter de fide, & scientia. Qui enim fidem habet de isto articulo, *Deus est*, potest comparare demonstrationem, & habitum scientiæ de eodem: ergo vterque habitus simul erunt in eodem intellectu. Probatur consequentia, quia fides non amittitur circa vnum articulum, quin amittatur circa omnes: post acquisitam verò illam demonstrationem manet fides circa alios articulos, ex communi consensu.

Confirmatur, quia non magis repugnat habitus scientiæ cum habitu fidei, quam lumen gloriæ, aut clara Dei visio cum eodem habitu: sed Diuus Paulus, quando raptus est in paradisum, vidit essentiam diuinam, vt tenet Diuus Thomas 2. 2. q. 175. a. 3. Diuus Augustinus Epist. mihi 112. c. 13. de videndo Deum: Chrisostomus, Anselmus, & alij multi Patres: & tunc debuit etiam habere lumen Gloriæ, vt alij beati, ad videndum Deum: & tamen fides in eo mansit ex eodem Diuo Thoma.

Respondeo concedendo, fidem non destrui per demonstrationem circa vnum articulum quoad realem habitus entitatem, sed solùm formaliter, & quoad extensionem, siue applicationem, quia nimirum iam non inclinat proximè ad assentiendum tali articulo sub ratione reuelationis obscuræ, sicut inclinabat antea. Quod explicuimus supra.

44. Ad confirmationem sic ait D. Th. art. 3. cit. ad 3. *Dicendum quòd quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter sed solùm habuit actum beatorum, consequens est vt simul tunc in eo non fuerit actus fidei: fuit tamen simul tunc in eo fidei habitus.* Igitur elicuit actum visionis per auxilium transiens, & per lumen habens rationem motus, & dispositionis, vel passionis, ideoque non est excluſus habitus fidei, sed mansit respectu articulorum, quos non vidit, licet non respectu eorum quos vidit, nisi in præparatione animi, vt ibi ait Caietanus: & colligitur ex Diuo Thoma q. 13. de veritate a. 5. ad 5. & 6.

Dices cum Durando in 3. d. 31. q. 3. numero 16. incompossibilitas prouenit ex natura oppositionis, & non ex diuturnitate temporis: ergo si lumen gloriæ, & habitus fidei se compatiuntur per instans, poterunt se compati permanenter, & absolutè.

Respondeo negando consequentiam: & dico cum Caietano 1. 2. q. 67. a. 5. oppositionem aliquam rerum, siue formarum non esse in actu exercito, nisi sint in statu completo, & permanenti: quomodo habitus mansuetudinis stat cum habitu inchoato modicæ iræ, qui nihil aliud est quàm ira ipsa per modum passionis: vnde oppositio vnius non potest exerceri propter perfectionem essendi alterius.

Aliud exemplum afferunt Complutenses de accidente spiritali, cui non repugnat subiectari transeunter in re corporea, vt est virtus produ-

ctiua gratiæ, quæ quasi intentionaliter, & per modum transeuntis, & motus recipitur in sacramentis, vt docet Diuus Thomas 3. p. 62. a. 4.

45. Instabis: si habitus fidei ex prima responsione non euacuatur per habitum scientiæ secundùm Physicam entitatem; sed tantùm formaliter quoad inclinationem sub ratione obscuri, circa articulum demonstratiuè cognitum: quare similiter dici non potest, opinionem non corrumpi ab habitu scientiæ realiter, sed solùm formaliter, & circa illam solùm conclusionem, quæ scitur, non autem circa alias?

Respondeo primò in hoc positum esse discrimen, quod habitus scientiæ non potest attingere Physicè habitum supernaturalem fidei, vt diximus q. 2. num 26. benè autem habitum opinionis: & ideò istum potest corrumpere, non illum: nec meretur illius corruptionem sicut infidelitas, ut patet. Vnde nihil est cur desinat circa alios articulos.

Respondeo secundò: si detur habitus vnus opinatiuus circa multas conclusiones, & acquiratur habitus scientificus circa vnam earum tantùm, manet opinatiuus circa alias, de quibus non habetur scientia. Si enim error circa vnam conclusionem, non destruit scientiam circa alias vt ibidem numero 25. diximus, cur scientia circa vnam, destruet opinionem circa alias, cùm minùs opponatur opinioni, quam errori?

46. Probatur tertiò: ideò maximè non possent habitus scientiæ, & opinionis, vel fidei esse simul, quia essent principia actuum oppositorum, & inclinarent intellectum ad huiusmodi actus: sed hoc nequit impedire eorum simultatem in eodem subiecto: ergo nihil. Maior conceditur ab authoribus oppositis: minor verò ostenditur, quia eadem numero potentia potest ex se habere simul inclinationes contrarias, & esse principium actuum contrariorum: ergo multò magis poterunt duæ potentiæ particulares, quales sunt duo habitus, ad opposita inclinantes, esse in eodem subiecto: quia difficilius videtur includere formaliter duas propensiones ad opposita, quàm eas in se recipere. Antecedens patet: intellectus enim est principium omnium iudiciorum, quorum multa sunt inter se opposita: voluntas etiam elicit actum odij, & amoris: appetitus simul inclinatur ad actum temperantiæ per eius habitum; & ad actum intemperantiæ per habitum intemperantiæ.

Respondeo negando minorem. Ad probationem dico, inclinationes, quas habet vna potentia ad actus oppositos, non esse actuales, aut per modum habitus; sed tantùm dicere aptitudinem naturalem ad actus oppositos eliciendos, quæ est in se vna, nec vllam repugnantiam importat ob vniuersitatem potentiæ, quæ debet respicere opposita. Inclinatio autem, quæ est ab habitu, est diuersa iuxta diuersitatem habituum, & ideo vna opposita aliam oppositam excludit, modò possideat perfectè subiectum, eiusque indifferentiam plenè sibi subijciat; quod contingit in perfecta demonstratione respectu habitus opinatiui. Secùs contingit in habitibus moralibus, vt explicatum est numero 41.

47. Probatur quartò ad hominem ex Scoto in 3. d. 24. numero 4. quia Diuus Thomas dicit 1. p. q. 1. a. 2. Theologiam esse scientiam, quæ credit principia sibi reuelata à Deo, sicut Musicus credit principia, sibi tradita ab Arithmetico. Cùm ergo credita sciamus per Theologiam, & Theologia sit scientia, oportet scientiam, & fidem esse simul de eodem: quod negat Diuus Thomas 2. 2. q. 1. a. 5.

Respondeo ex Caietano in hoc vltimo loco, negando consequentiam: quia fides est de ipsis Theologiæ principijs: Theologia verò est de conclusionibns, quæ ex illis principijs deducuntur, & sic non sunt de eodem.

Præterea hoc intelligi debet de scientia existente in statu perfecto scientiæ, posito in hoc, vt habeat principia sua euidentia, quomodo non stat cum fide, quæ includit obscuritatem: & ideò, licet Theologia sit vera scientia secundùm suam speciem, non secùs ac Perspectiua; neutra tamen habet statum scientiæ, donec illa continuetur cum euidentia illorum principiorum in Patria; & ista cum principijs Geometriæ, ante quod non faciunt scire, nisi inchoatiuè, & imperfectè.

SECTIO VI.

Vtrum actus scientiæ stare possit cum habitu opinionis, aut fidei, vel contrà.

48. AFFIRMATIVA sententia est valde communis, cuius ratio est, quia actus, & habitus non opponuntur formaliter, & immediatè. Habitus enim est solùm propensio, & tendentia potentialis ad obiectum: actus verò dicit actualem tendentiam in illud: at potest aliquis habere propensionem ad peccatum intemperantiæ v. g. ob illius habitum; & tamen elicere actum temperantiæ: sicut lapis potest habere inclinationem ad centrum, & tamen ferri sursum ex virtute impressa à proijciente. Solùm ergo potest vnus actus expellere habitum mediante alio habitu opposito, per actum producto.

Vnde qui habet habitum scientiæ, potest elicere actum opinionis vno ex duobus modis, numero 42. traditis: nimirum si actus iste careat formidine: imò etiam si coniunctus sit cùm formidine, modò intellectus non attendat ad medium demonstratiuum, & ad demonstrationem aliàs factam, quia tunc propter euidentiam consurgeret actus scientificus, qui non potest simul esse cum opinatiuo formidoloso secundùm supra dicta. Et similiter habens habitum opinionis, potest de eodem obiecto elicere actum scientificum, qui non destruet habitum opinionis, nisi in-

quantum producet habitum perfectum scientiæ, vt diximus numero 45.

49. Dices: non potest esse habitus opinionis, vel scientiæ sine proprio obiecto; sicut sublato visibili non potest subsistere potentia visiua: sed actus opinionis tollit obiectum scientiæ; & actus scientiæ tollit obiectum opinionis: nam certitudo obiecti exigitur à scientia, & incertitudo ab opinione: certitudo autem, & incertitudo se mutuò destruunt: ergo non potest stare actus scientiæ cum habitu opinionis: nec actus opinionis cum habitu scientiæ.

Respondeo, quidquid sit de maiori, negando obiectum opinionis tolli secundùm rem per actum scientiæ: quia esto per actum scientiæ attingatur obiectum vt certum, & infallibile, non sequitur quin per medium incertum, & probabile possit idem obiectum apparere vt opinabile, & incertum, maximè si non occurrat simul medium demonstratiuum.

SECTIO VII.

Vtrum, saltem diuinitùs, actus scientiæ & actus opinionis vel fidei simul esse possint.

50. AFFIRMATIVAM sententiam tenet Pontius disp. 22. q. 3. conclusione 6. & quia Scotus in 3. d. 24. num. 13. expressè dicit, impossibile esse scientiam, & fidem de eodem esse simul, sumendo scientiam strictè pro cognitione rei per causam &c. vt sumitur 1. post. ait Scotum loqui de potentia ordinata, vel naturali; non autem de potentia absoluta. Eamdem sententiam sequuntur à fortiori, qui hoc naturaliter fieri posse asserunt: de quibus sect. 4.

Probatur primò, quia potentiæ diuinæ denegari non debet quod non inuoluit contradictionem, vt per se constat: sed scientia & opinio, vel fides de eodem simul, non inuoluunt contradictionem: sunt enim omnes actus positiui, nec vnus negat, quod alter affirmat: imò neque propriè contrarietatem important, quia sunt omnes affirmatiui de eadem veritate. Et denique nihil obstat rem eamdem esse necessariam ex parte vnius causæ, siue medij; & contingentem ex parte alterius: ergo poterit simul ab intellectu cognosci sub vtraque illa ratione: quia quando rationes cognitæ, seu obiectiuæ non repugnant, earum quoque cognitiones non repugnant vt patet.

51. Respondeo negando minorem: quia licet actus illi sint positiui, inducunt effectus priuatiuè, siue etiam contradictoriè oppos-

tos in intellectu; videlicet esse certum, & dubium de eadem re; videntem, & non videntem &c. Neque hoc impedit diuersitas mediorum, vt explicatum est sect. 4. num. 28. & 29.

Probatur secundò: non apparet maior repugnantia in simultate scientiæ, opinionis, & fidei, quam in simultate caloris, & frigoris in summo gradu: item quàm duorum corporum in eodem loco: sed ista est possibilis per potentiam absolutam; ergo & illa.

Respondeo negando maiorem, quia ex illis contrarijs, & multis alijs simul existentibus nulla sequitur contradictio: benè autem ex opinione, & scientia vt dictum est ibidem.

52. Probatur tertiò: potest diuinitùs idem homo poni in duobus locis, vt Romæ, & Parisijs: sed tunc poterit ibi simul Romam videre, & hic credere: ergo scientia, seu visio poterit esse simul cum fide in eodem. Probatur minor, quia difficilius est scire aliquid in vno loco, & illud ignorare in alio, quam scire illud in vno, & opinari, vel credere in alio: sed nihil impedit quò minùs Deus conseruet homini scientiam in vno loco, & non conseruet in alio; sicut potest conseruare ipsum hominem in vno, & non conseruare in alio: ergo potest efficere vt sciat in vno, & opinetur in alio.

Respondeo, quidquid sit de maiori, quæ negatur à Thomistis, contendendo huiusmodi visionem & non visionem, siue fidem non repugnare, quia ob diuersitatem locorum idem homo æquiualet duobus subiectis, & ita impeditur oppositio contradictoria, aut priuatiua, quæ exigit vt sit respectu eiusdem loci.

Quòd si quis contendat, non obstante loci diuersitate, debere dici oppositionem contradictoriam, poterit responderi, id, quod videtur in vno loco, videri in alio, quia idem est oculus, qui videt; & quia vtrumque locum attingit, non secùs ac si propter perspicaciam in vno solùm loco existens videret ea, quæ essent in alio remoto.

53. Vel denique potest negari minor: ad cuius probationem dico facilùs esse reperiri in homine existente in duobus locis, scientiam, & negationem scientiæ de eodem, quàm scientiam, & opinionem: quia licet maior sit oppositio contradictoria, hoc est, inter terminum positiuum, & negatiuum, habitâ ratione ipsorum terminorum in se, quatenus dicunt implicantiam inter esse, & non esse ejusdem rei: tamen in ordine ad subiectum, minùs repugnant, quàm termini positiui, quia nulla virtus requiritur in illo ad recipiendam negationem, aut priuationem, sicut requiritur ad recipiendam formam positiuam.

Cùm igitur idem subiectum non possit in vno loco recipere simul actum scientiæ, & actum opinionis ejusdem rei: non poterit quoque in duobus, quia non crescit virtus eius receptiua per multitudinem locorum, saltem in ordine ad accidentia independentia à loco. At per multiplicationem locorum cessat oppositio inter formam, & negationem

formæ, quia licet forma non existat in vno, potest existere in alio.

Argumenta oppositæ sententiæ non alia sunt, quàm quæ supra attulimus, sect. 3. vbi eorum quoque solutionem inuenies.

APPENDIX.

Vtrum idem actus possit esse actus scientiæ, & opinionis, vel fidei.

54. DVPLEX est maximè sententia circa quæstionem istam: altera Durandi q. 1. prologi, à numero 30. quem sequitur Arriaga disp. 6. de Anima, sect. 6. sublectione 3. & alij, videlicet eumdem actum posse esse actum scientiæ, & opinionis, vel fidei, si eliciatur, vt elici posse contendunt ex motiuo, seu medio necessario, & contingenti. Secunda sententia, nempe negatiua, est Cauelli super Scotum in 3. sent. d. 24. in Scholio num. 13. Ioannis Pontij disp. 22. q. 3. conclusione 3. Suarez disp. 3. de fide sectione 9. & aliorum. Vtraque probabilis est, vt ex sequentibus constabit.

PRIMA PARS APPENDICIS.

Eumdem actum posse esse actum scientiæ, & opinionis, vel fidei.

PROBATVR primò: medium dialecticum, & medium demonstratiuum de eadem conclusione possunt simul, & semel occurrere intellectui, vt de se constat: ergo tunc intellectus poterit tali conclusioni assentiri propter vtrumque medium: imò faciliùs, & promptiùs, quia multiplicitas rationum, & motiuorum fortiùs ad assensum impellit: ergo talis assensus participabit vtramque rationem, scientiæ nimirum, & opinionis, quia medium est obiectum formale, & ratio propter quam intellectus assentitur: obiectum autem formale dat speciem actui.

Respondeo ad primam consequentiam, *poterit intellectus assentiri eidem conclusioni propter vtrumque medium, per duos actus distinctos, quorum vnus sit scientificus, alter opinatiuus, transeat*, juxta dicta se-

ctione 4. *per vnum actum, qui sit simul actus scientiæ, & opinionis, nego:* quia ratio scientiæ, & ratio opinionis includunt oppositas conditiones, quæ in vnum actum coalescere non possunt: nam scientia est certa, & euidens; opinio incerta, & ineuidens.

55. Probatur secundò: voluntas potest elicere vnum actum ex diuersis motiuis, vt velle dare eleemosynam ex motiuo misericordiæ, liberalitatis, pœnitentiæ, iustitiæ &c velle deambulare ob sanitatem, recreationem, curiositatem &c. Ergo intellectus poterit elicere actum vnum ex motiuo scientiæ, opinionis, & fidei. Antecedens admittitur communiter: consequens verò constat ex paritate rationis.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia obiectum voluntatis non determinat illam naturaliter; sed potest ipsa liberè, & vt placet, elicere actum circa illud, vel ex vno solo motiuo, vel ex pluribus, quia est domina sui actus. Intellectus autem est potentia naturaliter agens: & ideò si motiuum fidei, scientiæ, & opinionis ipsum simul moueant, mouebunt ad plures actus iuxta conditionem motiuorum: adeò vt, licet subordinetur voluntati quò ad actum opinionis, & fidei, non possit tamen ab ipsa determinari ad vnum actum ex illis omnibus motiuis eliciendum: sed si annuat, vt propter illa motiua assentiatur, determinabitur ad plures actus, quorum quilibet suum respiciet motiuum.

56. Iuxta opinionem verò illam, quæ negat actum opinionis, fidei, & scientiæ posse simul reperiri, ad suprà dicta respondetur quòd si medium dialecticum, & demonstratiuum sint simul in intellectu, dialecticum nihil faciet, impeditum à demonstratiuo: quia quando causæ non possunt simul causare, si vna causat, altera impeditur à fortiori: medium autem demonstratiuum rapit omninò intellectum ob euidentiam, ideoque non sinit eum probabiliter tantùm iudicare de eodem obiecto per medium dialecticum: & sic intellectus illum actum non elicit ob rationem probabilem, sed ob demonstratiuam, tamquam ob motiuum, & causam formalem, à qua sumitur species actus.

Non est tamen inficiandum, rationem opinionis magis alienam videri à coniunctione cum ratione scientiæ, quàm rationem fidei diuinæ, quia opinio, cùm sit & obscura, & incerta, & fallibilis, nihil habere videtur, quod cum scientia societatem inire possit: at fides habet certitudinem, quæ maximè scientiæ competit: & ideo medium fidei potiùs videtur posse concurrere cum medio scientifico ad vnicum actum, quàm medium opinatiuum.

57. Probatur tertiò: experientiâ constat intellectum per rationes probabiles, non parùm in scientia firmari: ergo non debet negari medium probabile ad actum scientiæ posse aliquo modo concurrere vnà cum demonstratiuo.

Respondeo aliquos probabiliter illud concedere; non quidem quòd tale medium intrinsecè influat in illum actum, aut illi tribuat rationem aliquam

aliquam formalem, & intrinsecam opinionis: sed vel effectiuè concurrendo cum intellectu ad illum actum tamquam causa minùs principalis, & non necessaria, quæ non dat speciem, quia non concurrit vt causa motiua, & formalis: vel excitando illum, & illi assensum suadendo: quo fit vt faciliùs, & efficaciùs illum eliciat: vnde non potest ex hoc inferri eundem actum esse actum opinionis, & scientiæ.

SECVNDA PARS APPENDICIS.

Eumdem actum non posse esse actum scientiæ, & opinionis, vel fidei.

58. PROBATVR primò: cognitio probabilis, & scientifica constant differentijs essentialiter, & adæquatè diuersis; ita vt natæ sint per se constituere actus completos diuersos: ergo non possunt cadere in vnum, eumdemque actum, quia ille constitueretur in duplici specie completa, & sic esset vnus ex suppositione, & non esset vnus: quod est absurdum.

Respondeo negando consequentiam. Quamuis enim ratio scientiæ, & ratio opinionis, quando seorsim reperiuntur in actibus diuersis, & distinctis, natæ sint facere duas species completas: quando tamen in eumdem actum conueniunt, inadæquatæ sunt, & partiales constituentes vnicam indiuisibilem speciem, participantem naturam diuersarum specierum, quatenùs, respicit propria diuersorum actuum motiua, per quæ tendit in idem obiectum, in quod diuersi illi actus feruntur.

Et hoc potest euidenter ostendi, tum in illo actu voluntatis, quo vult v. g. ieiunare ex diuersis motiuis pœnitentiæ, abstinentiæ, obedientiæ, &c. tum in sensu communi, qui vim habet percipiendi obiecta sensuum externorum: eius enim species, licet indiuisibilis sit, constituitur tamen inadæquatè ex virtute perceptiua coloris, soni, odoris, saporis, & primarum qualitatum; quæ virtutes singulæ adæquatæ sunt, & completæ respectu singulorum sensuum externorum.

59. Probatur secundò, quia non potest idem actus indiuisibilis, esse certus, & euidens, & obscurus, naturalis, & supernaturalis respectu eiusdem obiecti: hæc autem sequuntur ex opposita sententia; & insuper habitus productus per talem actum, esset simul acquisitus ratione motiui scientiæ; & infusus ratione motiui fidei: quæ omnia repugnant.

Respondeo ad primam partem antecedentis, non posse eumdem actum esse certum, & incertum, &c. respectu eiusdem obiecti per idem medium cogniti; posse autem ratione diuersorum mediorum, quia medium demonstratiuum euidenter apparet, dialecticum verò obscurè; il-

lud certò, istud non certò; & ita quodlibet propriam notam actui inurit.

Quia tamen incertum, & ineuidens, vel obscurum: item dubium, & formidolosum, negationem important; & negatio, quæ malignantis ideo naturæ dicitur, totum destruit: consequenter actus ille potest dici absolutè, & simpliciter actus scientiæ, & opinionis, vel fidei, quæ sunt prædicata positiua: non autem ineuidens, incertus, formidolosus, obscurus. Quia verò vt aliquid supernaturale sit, sufficit vt naturæ vires excedat, ex vno etiam capite, ideò actus ille dicetur absolutè supernaturalis, concurrente medio fidei diuinæ, & habitus eius erit infusus: quamuis ratione euidentiæ, vitalitatis, spiritalitatis &c. non excedat vires intellectus, sicut nec actus Caritatis.

60. Probatur tertiò: vt duæ differentiæ, seu duæ rationes specificæ, inter se dissidentes, in vna indiuisibiliter vniantur, oportet vt quælibet aliquid habeat, quod cum altera coniungi possit: sed in ratione opinionis nihil potest assignari, quod cum ratione scientiæ coniungi possit: ergo ratio scientiæ, & ratio opinionis non possunt in eodem actu vniri.

Probatur minor. Omnis enim formalitas, conueniens opinioni, vt opinio est, procedit ab obiecto eius formali, hoc est, à motiuo, propter quod assentitur obiecto: tale autem motiuum non nisi fallibilitatem, ineuidentiam, & incertitudinem communicare potest: hæ verò conditiones omnimodè scientiæ repugnant: atque adeò medium opinabile nullo modo potest influere in actum scientificum; & multò minùs aliquam illi tribuere rationem specificam, cum ratione scientiæ vnibilem.

Respondeo negando minorem. Ad probationem dico motiuum opinionis aliquando proponere rem vt fallibilem, & dubiam formaliter: aliquando verò, licet fallibile sit, nec certum reddat intellectum: tamen non asserit rem esse dubiam, & incertam; sed solùm non proponit illam vt infallibilem. Primum non potest influere in actum scientificum; benè autem secundum: & eius influxus in hoc consistit, quòd actus prout elicitur ex illo motiuo, non attingit obiectum certò, & vt sic rationem non habet scientifici, sed opinatiui, & probabilis: atque adeò vtrumque rationem simul includit, vt explicatum est ad primum.

61. Probatur quartò: non potest intellectus necessitari simul, & non necessitari ad eumdem actum: est enim in hoc contradictio, vt constat: sed per medium scientificum necessitaretur ad assensum, & per medium probabile non necessitaretur: ergo influxus vtriusque medij sunt simul incompossibiles: & consequenter non possunt suas rationes eidem actui imperturi.

Respondeo, intellectus concessis præmissis non necessitatur ad assensum conclusionis, etiam scientificæ, ex probabili sententia, de qua libro præcedenti, sectione 7. Deinde esto necessitetur ad assentiendum, non tamen per actum, qui est simul scientia, fides, & opinio, quia medium

obscurum, & opinabile simul concurrentia, non simum intellectum tantâ vi ferri in obiectum, ac si solo medio euidenti, & demonstratiuo duceretur, quia *pluribus intentus, minor est ad singula.*

Probatur quintò: nullus habitus potest elicere actum circa obiectum alterius habitus, specie diuersi: habitus enim specificantur radicaliter ab obiectis formalibus: ergo nullus actus potest versari nisi circa obiectum sui habitus, atque adeò non nisi circa vnum obiectum formale: ergo, cùm medium seu motiuum assentiendi, sit obiectum formale ipsius assensus, non poterit elici nisi ex vno motiuo: & sic non poterit esse simul scientia, & opinio.

62. Respondeo ad maiorem, quamuis habitus non possit versari, nisi circa vnum obiectum, quia est virtus magis restricta, & particularis: tamen potentia, quæ vniuersalior est, potest sine habitu elicere actum, qui attingat duo obiecta formalia. Nam voluntas potest velle eleemosynam ex motiuo misericordiæ, & liberalitatis simul, licet habitus illarum virtutum, proprium tantùm motiuum respiciant.

Deinde: esto vnus habitus, si solus operetur cum potentia, non possit elicere actum circa obiectum alterius habitus: si tamen duo habitus simul partialiter concurrant, poterunt per modum vnius causæ totalis elicere actum, quo simul attingatur obiectum vtriusque habitus: sicut q. 2. de enunciatione, numero 55. diximus speciem hominis, & equi in ista propositione, *homo non est equus*, concurrere ad productionem tertiæ speciei, & consequenter ad vnum iudicium, attingens simul hominem, & equum &c. quæ ibi vide.

63. Probatur sextò: si intellectus possit elicere actum vnum ex motiuo scientiæ, & opinionis vel fidei simul, non poterit simul elicere plures actus ex diuersis illis motiuis, quorum scilicet vnus sit actus scientiæ, alter opinionis, & alter fidei, quia natura non tendit ad otiosa: vnde, cùm per vnicum actum posset idem, quod per tres, otiosi essent duo, & superflui.

Adde quòd nulla potest reddi ratio, cur duo motiua simul occurrentia, adigant intellectum ad duos actus potiùs, quàm ad vnicum. Contrarium autem supra defendimus, scilicet posse in intellectu simul esse actum scientiæ, & actum opinionis, vel fidei.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico facilius esse intellectui elicere duos actus simul, alterum scientiæ, alterum opinionis, vel fidei, quàm elicere vnicum, continentem rationem scientiæ, & opinionis simul: quia ibi reperitur tantùm difficultas ex parte intellectus, quasi ægrè eliciat, & informetur duobus simul actibus, quodammodo oppositis: hic autem reperitur difficultas tum ex parte actus, includentis simul duas rationes oppositas, scilicet opinionis, & scientiæ: tum ex parte intellectus, easdem rationes simul attingentis; ideoque vt plurimùm eliciet potiùs duos, quàm vnicum ex diuersis illis motiuis: nisi fortè de-

terminetur à voluntate ad vnum: sicut enim ab ea potest impediri, ne assentiatur ex motiuo opinionis, quia opinio libera est: ita determinari posse videtur ad assentiendum ex illo simul, & ex scientifico ad vnicum actum.

64. Probatur septimò: quando causa necessaria adæquata alicuius effectus, sufficienter applicata est, producit illum effectum: sed intellectus cum medio scientifico, clarè proposito, est causa adæquata actus scientifici: ergo quoties sic applicatur alicui conclusioni, adæquatè producit actum scientiæ, qui non est opinio, ita vt motiuum opinionis, vel fidei nullo modo concurrat ad illum eumdem actum, quia superflueret eius concursus.

Respondeo ad minorem, intellectum cum medio scientifico esse causam adæquatam actus scientifici, qui solùm est scientificus; non autem eius, qui simul est opinio, vel fides: & ideò si diuersa illa media simul adsint, simul ad eumdem actum concurrent, quodlibet specialiter iuxta propriam formalitatem.

Adde quod, licet ignis solus existens, sit causa adæquata alterius ignis: si tamen cum alio coniungatur, vterque simul poterit influere ad eiusdem effectus productionem: ita licet intellectus cum medio scientifico esset causa sufficiens illius actus; posset tamen admittere concursum medij opinionis, & fidei quando simul adesset cum medio scientifico.

65. Probatur octauò: si duæ causæ particulares diuersæ speciei ad eumdem effectum concurrant, vt equa, & asinus, non producetur animal, quod sit formaliter equus, & asinus, sed diuersæ speciei ab vtroque, nempe mulus: ergo similiter concurrente medio scientifico simul cum opinatiuo non producetur actus, complectens perfectionem scientiæ, & opinionis; sed alius diuersus, qui cum non sit assignabilis, necesse est dicere produci tantùm scientiam, non verò opinionem.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia equus, & asinus postulant diuersam, & oppositam primarum qualitatum complexionem, quæ nequit simul in eadem materia reperiri, & ideò non potest produci anima, quæ sit formaliter equina, & asinina: at hujusmodi oppositio dispositionum aut conditionum non sequitur ex eo quòd vnus actus intellectus indiuisibiliter attingat diuersa obiecta formalia, seu motiua scientiæ, & opinionis, vt ostendimus in solutione quinti.

QVÆSTIO IV.

De scientia subalternante, & subalternata.

SECTIO I.

Quid sit subalternatio, & quæ eius conditiones.

1. SCIENTIAM vnam alteri subalternari non est aliud, quàm vnam sub altera contineri, seu ab alia dependere, ita vt subalternans illa sit, à qua alia dependet; subalternata verò, quæ dependet ab alia, & eam aliquo modo præsupponit: vnde subalternata idem est, quod sub altera posita, propter illam connexionem, & dependentiam.

Hoc autem tribus modis contingere potest, & ideò triplex quasi gradus subalternationis distingui solet; scilicet ratione finis, ratione principiorum, & ratione subiecti, seu objecti.

Illa est subalternata ratione finis, cuius finis sub fine alterius quodammodo continetur, & ad illum ordinatur. Sic frænofactoria subordinatur equestri, & equestris militari, & militaris politicæ, quia finis primæ refertur ad finem secundæ, & sic de alijs. Sed hæc subalternatio propria non est, quia sæpe non ingerit manifestationem veritatis, quam scientia inquirit; sed solùm præbet ministerium aliquod, aut imperium: & sic magis propriè dicitur alteri inseruire, aut imperare, quàm subalternare illam sibi, vel illi subalternari. Contrarium tamen affirmat Durandus q. 7. prologi, numero 11. ponens propriam subalternationem tantùm inter scientias, quarum subjecta se habent vt finis, & id, quod est ad finem, vt frænofactiua, & equestris: aut inter eas, quarum subiecta se habent, vt effectus, & causa efficiens, ficut sanitas, quam considerat medicus, & virtutes rerum naturalium, quas considerat Physicus.

2. Ratione principiorum tunc vna subalternatur alteri, quando accipit sua principia ab illa, adeò vt ipsa non probet, sed à superiori probata, & tradita accipiat: & hæc aliquando sunt communia alijs; quomodo Logica, & Metaphysica, quædam principia communia cæteris omnibus scientijs suppeditant. Aliquando sunt propria, vt istud in perspectiua, *corpora à loco remotiori visa apparent minora*: quod demonstrat Geometria, quia scilicet videntur per minorem angulum. Item istud in

Chirurgia, *vulnera rotunda difficiliùs curantur*: quia nimirum latera magis distant. Geometriæ enim est agere de circulo, & ostendere eius latera magis distare, quàm trianguli &c.

Et hic etiam modus subalternationis est imperfectus, secundùm se, & solitariè sumptus; quia non sumitur ex parte obiecti, à quo potissimum sumitur ratio scientiæ. Dixi *secundùm se & solitariè sumptus*: quia quando principia sunt propria, & non quædam solùm, sed omnia ad scientiam pertinentia, à superiori deriuantur, tunc modus ille coniungitur cum tertio, qui sumitur ex parte subiecti.

3. Tertiò ergo subalternatur vna scientia alteri ratione subiecti, quando scilicet eius obiectum sub obiecto alterius comprehenditur; quod duobus modis contingit, vt docet Diuus Thomas 1. post. lect. 25. & opusc. 42. de natura generis cap. 14. aut quisquis author illius est. Primo quando obiectum subalternatæ est species obiecti subalternantis, vt homo est species animalis, & animal species corporis naturalis: vnde scientia de homine, & de animali subalternatur scientiæ naturali; & omnes aliæ scientiæ subalternantur Metaphysicæ, quia aliquam particulam entis, quod est obiectum Metaphysicæ, considerant singulæ.

Secundò obiectum vnius comprehenditur sub obiecto alterius, quando licet in se materialiter species illius sit, non illud tamen spectat vt species est, & vt differentiâ essentiali afficitur, sed vt illi addit differentiam accidentalem, & extraneam: & sic Perspectiua, quæ considerat lineam visualem, subalternatur Geometriæ, quia ratio *visualis*, est differentia accidentalis, & extranea lineæ, quam Geometria spectat secundùm se, & abstractè à materiâ sensibili. Item Musica subalternatur Arithmeticæ, quia obiecto eius, nempe numero, addit differentiam accidentalem, scilicet rationem *sonori*, omninò extraneam a numero, vt constat.

4. Iste autem tertius modus subalternationis in hac vltima acceptione est propriissimus, & solus constituit vnam scientiam alteri verè, & simpliciter subalternatam, loquendo saltem de acquisitis lumine naturali. Ratio est, quia subalternatio simpliciter non est aliud, quàm subordinatio, & dependentia vnius scientiæ ab alia penès certitudinem, & euidentiam: subiectum autem est radix, & fundamentum totius certitudinis, euidentiæ, & veritatis, quæ in aliqua scientia reperitur, vt patet ex his quæ diximus q. 1. numero 34.

Dixi, *in hac vltima acceptione*, prout nimirum obiectum subalternantis contrahitur per differentiam accidentalem, non verò per essentialem, aut etiam per proprietatem: quia scientia subalternans, & subalternata debent esse duæ scientiæ distinctæ: nihil enim dicitur sibi ipsi subalternari: & præterea propriè subalternata, ita intrinsecè dependet à subalternante, vt nequeat scientia esse sine illa, nec possit suas probare conclusiones nisi dependenter ab illa, eo quòd accipit ab ipsa sua principia: illas autem conditiones non habent quarum subiecta se habent vt

genus, & ſpecies. Nam in primis diſtinctæ non ſunt, quia eiuſdem ſcientiæ eſt agere de genere, & ſpecie, illi ſubiecta intra eandem abſtractionem: eiuſdem pariter eſt agere de ſubiecto, & paſſionibus ſubiecti, vt de homine, & de riſibili.

5. Deinde, eſto ponantur diſtinctæ, tamen ſcientia inferior habet propria principia immediata, & per ſe nota, nempe definitionem quidditatiuam, & talem differentiam eſſentialem quæ eſt prima radix, & principium paſſionum, à tali ſubiecto dimanantium: quomodo Phyſica habet propria principia entis mobilis, independenter à Metaphyſica.

At verò quando ſubiectum contrahitur per differentiam accidentalem, duo illa ſaluantur, quia propter differentiam illam, paſſiones, quæ de illo ſubiecto demonſtrantur, ſunt planè diuerſæ, à paſſionibus illi conuenientibus prout ſpectatur à ſcientia ſuperiori. Nam ratio *ſonori*, nullo modo conuenit numero, nec ratio *viſualis*, lineæ, vt ſunt obiecta Arithmeticæ, & Geometriæ: ideoque non eſt Arithmeticæ, vel Geometriæ de his per ſe tractare, vt de proprijs paſſionibus: & tamen quia talis differentia accidentalis eſt, nec facit diuiſionem intrinſecam, ideo ſubiectum remanet ſemper cauſa radicalis huiuſmodi paſſionum: adeò vt nullo modo poſſent oriri à differentia illa ſuperaddita, niſi coniungeretur cum tali ſubiecto. Neque enim concentus muſicales, & harmonici oriuntur à ſonis ſine numero. Neque paſſiones, quas Perſpectiua oſtendit de luce, de coloribus, &c. illis conueniunt, niſi prout ſociantur lineis, ex quarum diuerſis coniunctionibus, concurſibus, angulis, &c. oriuntur.

6. Ex iam dictis, facilè colligi poſſunt conditiones, ad propriam ſubalternationem requiſitæ. Prima eſt, vt ſubiectum ſubalternatæ ſit magis contractum, quàm ſubiectum ſubalternantis, & contineatur directè ſub illo. Hoc modo *numerus ſonorus*, qui eſt obiectum Muſicæ, continetur ſub numero communiter ſumpto, qui eſt obiectum Arithmeticæ: & *linea viſualis*, quæ eſt obiectum Perſpectiuæ, ſub linea in communi, quæ eſt obiectum Geometriæ. Defectu cuius conditionis, Chirurgia, quæ reſpicit corpus ſanabile, non ſubalternatur Geometriæ, licet aliquod principium accipiat ab illa, vt dixi numero 2.

Secunda conditio eſt, vt differentia, per quam tale ſubiectum contrahitur, non ſit propria illius paſſio, nec differentia eſſentialis, ſed extranea, & accidentaria: cuius rationem iam dedimus. Vnde Metaphyſica non ſubalternat ſibi propriè cæteras ſcientias: nec octo libri Phyſicorum, libros de cœlo, de anima &c.

Tertia eſt, vt ex coniunctione talis differentiæ accidentalis cum ſubiecto ſubalternantis, oriantur ſpeciales paſſiones, & veritates ſcibiles per dependentiam à ſubiecto ſubalternantis, vt contingit in numero ſonoro, & linea viſuali, non autem in linea calida, frigida, nigra, dulci &c.

Quarta eſt, vt principia ſubalternatæ probentur à ſubalternante *à priori*,

& per propriam causam: vnde conclusiones, vel propositiones subalternantis sunt principia subalternatæ. Dico, *vel propositiones*, propter Theologiam beatorum, quæ non est discursiua, ex tanctо Thoma, & sic non habet conclusiones. Et ex hoc verificatur quod habet Scotus q. 3. prologi in quæstione quarta, & quinta laterali, numero 30. *vbi subalternata incipit, ibi subalternans desinit.*

Quinta conditio, seu proprietas est, quòd subalternata sciat *quia*; subalternans verò *propter quid*, quam explicabimus sect. 3.

7. Cæterùm, licet hæ conditiones communiter recipiantur, vt ad subalternationem necessariæ: Caietanus tamen, & Iauellus q. 1. primæ partis, a. 2. vnicam tantùm essentialem agnoscunt, scilicet quòd subalternans procedit ex propositionibus per se notis: subalternata verò ex principijs notis, non per se, sed lumine superioris, seu subalternantis scientiæ. Cùm igitur de ratione scientiæ, vt distinguitur contra alios habitus intellectus, absolutè sit habere conclusiones visibiles in alio, hoc est in principijs, ex quibus omnis scientia necessariò oritur; inde fit, vt & subalternans, & subalternata non habeant euidentiam suarum conclusionum in seipsis, sed adiunctæ habitu principiorum: in hoc autem differunt, quòd conclusiones subalternantis, visibiles sunt ex principijs & in principijs immediatè, ideſt, absque alio medio habitu: conclusiones verò subalternatæ, visibiles sunt ex principijs, & in principijs per se notis mediatè; mediante scilicet habitu scientifico subalternante, & per continuationem, seu continuabilitatem ad ipsum.

Vnde subalternans, & subalternata non opponuntur necessariò ex parte obiecti, sed ex parte conditionum medij, quia medium subalternantis iungitur immediatè principijs per se notis: medium verò subalternatæ, mediante habitu alterius speciei, nempe subalternantis. Quia propter principia proxima subalternatæ possunt duplici habitu cognosci, alter est habitus per se eorum, nempe habitus scientificus subalternans: alter est habitus per accidens eorumdem, scilicet fides humana vel diuina iuxta scientiæ naturam: & dicitur per accidens, quia est ratione subiecti, in quo est, vt perspectiui, non Geometriæ; viatoris, non comprehensoris, respectu Theologiæ, hæc illi. Quid tamen dicendum sit hac de re quoad habitum fidei, explicabimus sectione 4.

8. Obijcies: Aristoteles 1. Phys. c. 2. textu 8. & lib. 1. Metaph. prioribus capitibus statuit Metaphysicam esse cæterarum scientiarum reginam: adeò vt illarum principia probet, ac defendat: & consequenter aliæ non possunt perfectè cognoscere suas conclusiones absque Metaphysica: hoc autem est proprium scientiæ subalternantis: & tamen aliæ non addunt differentiam accidentalem illius obiecto, quod est ens. Nam enti, cùm omnia transcendat, nihil accidentale potest addi; ergo talis conditio non est necessaria ad subalternationem.

Confirmatur primò: quia omnis scientia est subalternans, vel subalternata:

ternata: sed Metaphysica non est subalternata, cùm sit omnium suprema: ergo est subalternans respectu aliarum.

Confirmatur secundò, quia ex Diuo Thoma, 1. p. q. 1. a. 2. Theologia est subalternata scientiæ beatæ, & tamen est de eodem obiecto, nempe Deo, nullà additâ conditione accidentali; sed illum spectando sub diuersa ratione formali, nimirùm vt reuelatum; scientia verò beata, vt clarè visum.

9. Respondeo ad primum, concedendo Metaphysicam subalternare sibi alias scientias, secundùm quid, non autem simpliciter, quia subalternatio simpliciter, & perfecta exigit vt subalternata non habeat principia per se nota, in quæ suas conclusiones resoluat: sed eorum manifestationem, & probationem totalem accipere debet à subalternante. At Metaphysica, licet probet, & defendat aliarum principia per reductionem ad impossibile, & per causam remotam, seu per aliqua generalia principia, quæ ab omnibus præsupponuntur: non probat tamen illa manifestatiuè, & directè, probando à priori, & per propriam causam, illorum veritatem: sed ipsæ inferiores scientiæ habent intra proprios limites, principia euidentia, & per se nota, per quæ suas conclusiones demonstrant. Quòd autem aliquando iuuentur in aliquibus conclusionibus à principijs alterius scientiæ, hoc indicat tantùm subalternationem secundùm quid, & impropriam. Neque aliud vult Aristoteles.

Ad primam confirmationem, nego maiorem, quia hæc diuisio non complectitur scientiam in tota sua amplitudine sumptam, sed scientiam subalternatim positam: sic enim aut est subalternans, aut subalternata.

10. Ad secundam confirmationem, tenendo sententiam Diui Thomæ, quam omninò negat Scotus q. 3. prologi in quæstione 4. & 5. laterali, numero 30. citato, dicendum est Theologiam viatorum non subalternari scientiæ beatæ ratione obiecti, sed ratione euidentiæ, & principiorum. Principia enim proxima, quibus nititur Theologia, sunt fide credita, & consequenter obscura; videntur autem clare per scientiam beatam. Vnde habitus per se principiorum nostræ Theologiæ, est scientia diuina: habitus verò per accidens eorum est fides; & sic Theologia non habet rationem scientiæ perfectæ, nisi per continuationem cum scientia beata, à qua habet euidentiam. Hæc autem est conditio essentialis, constitutiua scientiæ subalternatæ, vt contendit Iauellus, & Caietanus loco citato primæ partis: aliæ verò sunt accidentales, aut conueniunt tantùm scientijs, lumine naturali acquisitis.

Addit tamen Caietanus in responsione ad secundum secundæ partis, dici posse quòd subiectum nostræ Theologiæ, addit differentiam accidentalem ad subiectum Theologiæ Beatorum, nimirùm reuelationem, sumendo obiectum, vt obiectum est, non verò vt res est, quia sic nihil ei addit.

SECTIO II.

Vtrum scientia subalternata, sit verè scientia.

11. QVAMVIS ex communi Philosophorum consensu scientia subalternata sit verè scientia: ex conditionibus tamen, quæ ad subalternationem requiri iam diximus, præsertim ex secunda, nimirùm quòd subalternata addat differentiam accidentalem subiecto subalternantis, plures hac de re dubitationes emergunt, quas hic explicare, & soluere oportet, vt sic tota exhauriatur difficultas.

Prima ratio dubitandi, sic procedit: quando differentia superaddita dicitur esse accidentalis subiecto subalternantis, vel intelligitur esse accidentalis illi, in esse rei spectato, vel in esse scibilis? si in esse rei: nulla est ratio cur linea calida, vel numerus visibilis, aut aliud simile non constituat subiectum ad scientiam subalternatam requisitum, æquè ac numerus sonorus, aut linea visualis. Et præterea corpus sanabile afficitur hoc modo differentiâ accidentali; & tamen non facit medicinam subalternatam Physicæ, quæ est de corpore naturali.

Si verò dicatur accidentalis in esse scibilis, tunc scientia subalternans, & subalternata, v. g. Musica, & Arithmetica, non erunt diuersæ essentialiter, quia in esse scibilis differunt tantùm discrimine accidentali, hoc autem est contra communem sententiam.

Ad hanc rationem respondetur, differentiam additam subiecto, esse illi accidentalem in esse rei: at non ideo quamlibet differentiam accidentalem constituere posse obiectum scientiæ subalternatæ; sed eam solùm, ex cuius coniunctione cum subiecto subalternantis, oriuntur speciales passiones, & veritates demonstrabiles per dependentiam à tali subiecto, seu principijs eius: quomodo proportiones numeri sonori dependent à principijs numeri: & proportiones, seu passiones lineæ visualis, à principijs lineæ: quod non contingit in alijs accidentibus, vt frigore, dulcedine, &c.

12. Secunda ratio dubitandi est, quia scientia subalternata non vtitur legitimis demonstrationibus in suo processu. Ille enim Syllogismus non est demonstratiuus, & consequenter non potest generare scientiam, in quo descenditur ab vno genere in aliud, quia in eo necessariò reperitur vna præmissa contingens: sed quando scientia subalternata probat suas conclusiones per principia subalternantis, à quibus omninò dependet in ratione scientiæ, vt dictum est: descendit ab vno genere in aliud: ergo non potest esse vera scientia.

Maior asseritur ab Aristotele 1. post. c. 7. vbi ostendit demonstrationem debere procedere ex propriis non autem ex communibus, aut extraneis, quod fit quando medium non habet necessariam connexionem cum subiecto, seu minori extremo, sed contingentem: tunc enim extraneum est, & alienum à tali subiecto; atque adeò medium, & subiectum non sunt intra idem genus, seu eamdem cognationem, vt vertit alius interpres: vnde fit vt præmissa, in qua tale medium iungitur subiecto, sit planè contingens, & consequenter ipsa etiam conclusio.

Minor verò manifesta est, quia subalternata assumit pro medio subiectum subalternantis, aut aliquam passionem talis subiecti, & illam coniungit in vna præmissa cum differentia illa accidentali, seu materia extranea, vt patet in isto Syllogismo: *vbi est proportio sesquioctaua, ibi reperitur harmonia, & consonantia: sed in tono est proportio sesquioctaua: ergo in tono est consonantia.* Proportio enim sesquioctana, quæ est passio numeri, seu quantitatis, sumitur pro medio, & applicatur *tono*, qui est de genere qualitatis.

13. Respondetur, maiorem esse veram si fiat simpliciter descensus ex vno genere in aliud; secùs si fiat tantùm secundùm quid, & ex parte, vt in scientijs subalternatis: Nam Aristoteles expressam de ipsis exceptionem posuit capite 7. citato, sub initium, vbi sic ait: *Non igitur fieri potest, vt ex alio genere quisquam in aliud transiens, quidquam demonstret, veluti conclusionem Geometricam Arithmeticâ demonstratione.* Post pauca verò subiungit: *hoc autem vt in quibusdam fieri potest, posterius explicabitur.* Et paulò post: *quare si transire, migrareque debeat demonstratio, aut idem genus simpliciter, aut aliqua ex parte idem necesse est esse.* Et hoc ostendit in Musica, & Perspectiua.

Licet ergo numerus, & proportiones numerorum sint secundùm esse, alterius prædicamenti, quàm *sonorum*: tamen quatenus sunt principia ipsius *sonori*, & concentuum, seu consonantiarum, ponuntur reductiuè in prædicamento *sonori*; & in eius definitione essentiali includuntur in obliquo: vnde fit vt necessariò prædicentur de illo, non verò contingenter: atque adeò minor allati Syllogismi non est contingens, nec consequenter impedit legitimam demonstrationem. Idemque de similibus est dicendum.

14. Tertia dubitandi ratio petitur ex eò quòd huiusmodi differentia accidentalis, addita subiecto subalternantis, facit ens per accidens. Numerus enim sonorus, qui est obiectum Musicæ: & linea visualis, quæ est obiectum Perspectiuæ, componuntur ex duobus entibus, in se completis, & diuersorum prædicamentorum, quia linea, & numerus sunt in prædicamento quantitatis: sonus verò, & visuale sunt in prædicamento qualitatis.

De ente autem per accidens non posse dari veram scientiam, expressè docet Aristoteles 6. Metaphys. c. 2. & ibidem Diuus Thomas lect. 2. &

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE

ſuadet ratio, quia ens per accidens non poteſt vnâ definitione definiri ex 7. Metap. c. 4. Nam partes eius, cùm ad diuerſa ſpectent prædicamenta, diuerſas habent naturas, & ita diuerſas definitiones: vnde ſequitur ipſum nullas habere paſſiones, quæ de eo poſſint demonſtrari, quia paſſiones fluunt ab vna eſſentia. Et ſic enti per accidens deficiunt duæ conditiones, ad ſcientiam omninò requiſitæ, nimirum paſſiones propriæ, & definitio, quæ eſt potiſſimum demonſtrationis principium.

15. Circa difficultatem iſtam opinio eſt Maſij ſect. 2. in caput 10. de demonſtrat. q. 2. Auerſæ q. 24. ſect. 4. Conimbricenſium q. 2. a. 1. Ioannis Pontij diſput. 22. num. 14. & aliorum; poſſe dari ſcientiam de ente per accidens, non quocumque, ſed de eo, quod certam, & peculiarem cauſam habet, & à quo aliquæ proprietates dimanant: huiuſmodi eſt homo riſibilis, homo caneſcens. Nam riſibile agnoſcit pro cauſa rationale: & caneſcere oritur ex putreſcente ad radices pilorum humore, qui calore naturali reſolui non poteſt, & concoqui. Huiuſmodi etiam eſt domus, exercitus, reſpublica.

Ratio eſt, quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere: vnde ſi ex ente per accidens, otiantur aliquæ proprietates, habentes cauſam aliquam, nihil impedit quominùs de eo vera ſcientia dari poſſit. Et ita de domo demonſtratur quòd ſit apta ad iniurias temporis propulſandas: de numero ſonoro, quòd pariat conſonantiam, & modulationem: de vulnere rotundo, quòd difficiliùs curetur; de linea viſuali, quòd obiectum maius, vel minus apparere faciat, &c.

Vnde concluditur quòd, licet huiuſmodi ens ſit ens per accidens in eſſe rei, eſt tamen ens per ſe in eſſe ſcibilis, quia vt ſpectatur à ſcientia, definitionem, cauſam, & paſſiones habet. Hæc opinio eſt probabilis, quapropter.

16. Reſpondetur ad rationes in contrarium, primò ad authoritatem Ariſtotelis, ipſum loqui de ente per accidens caſuali, vt de inuentione Theſauri ab ædificatore: ſed meliùs & conformiter ad textum dicitur ipſum loqui de ente, quod rarò contingit, & non habet cauſam per ſe determinatam, & definitam, vt *fabrum ſanitatem effeciſſe, accidens eſt*, inquit, *quia ad hoc aptus non eſt faber, ſed medicus, & fabro accidit medicum eſſe.*

Vel, vt ait Maſius, de ente per accidens non poteſt eſſe ſcientia, tamquam de concluſione, ſeu obiecto demonſtrato: benè autem tanquam de ſubiecto concluſionis, de quo aliqua proprietas oſtenditur: vt de vulnere rotundo, tamquam de ſubiecto demonſtratur, quòd difficiliùs curetur: non verò de vulnere demonſtrari poteſt quòd ſit rotundum, quia talis figura non coniungitur illi neceſſariò, nec vt plurimùm: quod eſt non habere cauſam definitam, & certam.

Et certè Ariſtoteles ibi inſinuat, domum, quæ eſt ens per accidens, cadere ſub ſcientiam: licet ea, quæ accidunt domui, nulla ſcientia curet.

sic enim ait sub initium capitis : *signum autem quòd nulli scientiæ curæ est illud, neque actiuæ, neque factiuæ, neque speculatiuæ nec enim qui facit domum, facit simul quæ accidunt domui factæ, infinita namque sunt.*

17. Ad aliud dicitur, ens per accidens non posse definiri definitione essentiali, explicante quidditatem vtriusq; ie partis : benè autem definitione explicante vtrumque prout conueniunt, & adunantur in aliqua ratione scibili, quia vt sic sunt vnum per se : & licet talis definitio non sit stricta, sicut illa, quæ constat genere, & differentia ; est tamen sufficiens ad scientiam, præsertim latè sumptam, qualis est subalternata : quia quælibet res explicari potest secundùm quòd habet esse.

Adde quòd sola definitio non est principium demonstrationis, sed etiam quodlibet genus causæ : huiusmodi verò ens per accidens, potest habere veram causam, vt *homo risibilis, homo canescens*, vt dictum est.

Instabis : passio non potest magis necessariò connecti cum subiecto, quam partes subiecti inter se : sed partes entis per accidens, connectuntur contingenter inter se : ergo & quæcumque passio, consequens illarum coniunctionem : & ita non poterit demonstrari : quia necessaria non est.

Respondeo negando maiorem : nam tres syllogismi propositiones contingenter vniuntur, & tamen in demonstratiuo reperitur passio necessaria, nimirùm parere scientiam. Item albedo contingenter vnitur niui : & tamen passio disgregandi visum, ei necessariò competit. Materia & forma non vniuntur necessariò, & tamen passiones necessariæ inde oriuntur. Hoc idem patet de domo, de exercitu, de republica. Lege quæ diximus de definitione generis, numero 25.

18. Alij tamen Philosophi pati non possunt modum hunc loquendi, quòd scilicet de ente per accidens, detur scientia. Ita Soncinas 4. Met. q. 9. Caietanus 1. post. in caput. 13. Complutenses disp. 19. q. 2. & alij : ideoque asserunt differentiam additam à scientia subalternata obiecto subalternantis, quantumuis extraneam, facere vnum per se, sub ea ratione, qua spectatur à scientiâ. Pro cuius intelligentia.

Notandum est scientiam subalternatam intelligi posse tendere in obiectum suum quatuor modis, v. g. Musicam in numerum sonorum, aut Perspectiuam in lineem visualem. Primò ita vt æquè primo tendat in vtrumque secundùm propriam vtriusque rationem : adeò vt Musica directè feratur in numerum, & in sonum sub rationibus numeri, & soni. Et hoc non potest dici, quia sub ratione numeri pertinet ad Arithmeticam, & sub ratione soni ad Physicam, quæ sunt scientiæ à Musica diuersæ, & distinctæ.

Secundo, ita vt non feratur in vtrumque secundùm proprias rationes, sed in aliquod tertium, ex eis resultans. Et istud etiam non est verum ; tum quia tertium illud compositum non potest assignari : nam in entibus

per accidens, compositum non est aliquid præter partes, vt communiter asseritur. Tum quia non diceretur Musica considerare numerum sonorum, nec Perspectiua lineam visualem, sed illud tertium. Quod est contra communem vsum.

19. Tertio, ita vt consideret vtrumque, sed vnum per se, & aliud per accidens, quomodo visus per se tendit ad albedinem, & per accidens ad subiectum albedinis. Sed hoc quoque dici non debet, quia passiones, quas Musica considerat, conueniunt per se vtrique, nempe numero sonoro: harmonia quippe, & melodia non conueniunt per se sonis, nec numeris per se: sed sonis vt habent numeros, seu vt numeris proportionantur; aut numeris vt sunt in sonis.

Quartò denique, ita vt consideret vtrumque per se, non secundùm proprias rationes vtriusque directè, & in recto, sed prout vnum dependet ab alio, prout vnum est principium alterius, prout vnum connotat aliud, modificatur per aliud, ingreditur denique quodammodo rationem alterius: & hoc modo scientia subalternata fertur in suum obiectum.

Vnde Musica non considerat sonum præcisè vt sonus est, obiectumque auditus, ex collisione corporum in aëre causatus; sed prout includit melodiam, & harmoniam, ortam ex proportione, & correspondentia ad numerum: & considerat numerum, non præcisè vt numerus est, obiectumque Arithmeticæ, sed vt est principium, & causa huiusmodi harmoniæ, & concentus. Similiter Perspectiua considerat visuale, non in se, vt est color, vel lux, quia sic spectat ad Physicam: neque lineam secundùm se, quia sic spectat ad Geometriam; sed visuale prout dependet ab angulis, qui ex vario linearum concursu oriuntur: atque adeò lineam, vt est causa, & principium angulorum.

20. Ex his ostenditur quomodo obiectum scientiæ subalternatæ sit vnum per se. Quemadmodum enim, vt rectè aiunt Complutenses, ex linea, & superficie, licet sint duæ species quantitatis, in se completæ, fit vnum per se in genere quantitatis, non prout linea sumitur secundùm proprias dimensiones, & vt est species distincta quantitatis, sed quatenùs est principium superficiei, & definitionis illius dum dicitur *latitudo terminata lineis*: ita numerus prout est principium *sonori harmonici*, & *sonorum*, vt est proportionabile secundum numerum, faciunt vnum per se, licet in se spectata, sint species entis, omninò diuersæ, & completæ. Idemque dici debet de linea visuali. Nam visuale non est obiectum Perspectiuæ, nisi vt fit per angulos; & ita linea pertinet per se ad tale obiectum, vt principium angulorum.

Dices: omne ens per se, debet in aliquo prædicamento collocari: non apparet autem in quo statui possit linea visualis, aut numerus sonorus; ergo non faciunt vnum per se.

Respondeo, hæc per se poni in prædicamento qualitatis, & in tertia

eius ſpecie, quia vt ſpectantur à Muſica, & Perſpectiua, ſunt obiecta auditus, & viſus. Et licet numerus ſecundùm ſe ſit quantitas, ſicut & linea, ponuntur tamen reductiuè in prædicamento qualitatis, prout ille eſt principium ſonori; & iſta principium viſualis. Nam & eodem modo linea eſt reductiuè in quarta ſpecie qualitatis, nempe figura, quatenus componit triangulum, quadratum, &c: & reductiuè in genere quantitatis prout eſt principium ſuperficiei, vt rectè aiunt Complutenſes Carmelitæ.

21. Quodnam autem ex his duobus, quibus conſtat obiectum ſubalternatæ, ſpectetur principaliter, & in recto ab illa, vtrum ſubiectum à ſubalternante acceptum, an differentia, illi ſuperaddita; controuertitur. Ferrarienſis ſupra caput 10. primi poſt. Maſius ibidem, Complutenſes loco citato, & alij aſſerunt differentiam contrahentem conſiderari tamquam rationem formalem; ſubiectum verò contractum tamquam rationem materialem. Et ita Muſica contemplatur ſonorum, vt dicit concentum, principaliter, & quaſi in recto: numerum verò in obliquo, quatenus eſt principium talis concentus vt explicatum eſt.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia in qualibet ſcientia, differentia contrahens habet ſe vt obiectum formale: contractum verò, vt materiale: vt in Phyſica materiale eſt corpus: naturalitas verò, ſeu mobilitas eſt formale.

Alij verò contrà, vocant differentiam additam, materiale; ſubiectum verò, cui additur, vocant rationem formalem, eo quòd à ſubiecto ſumuntur media, & principia demonſtrandi, quæ habent rationem formæ.

22. Vterque modus dicendi probabilis eſt, & bonus: vnde poteſt indifferenter dici obiectum Muſicæ eſſe ſonorum, vt habet numeros, aut numerum, vt eſt in ſonis. Item viſuale vt eſt in lineis, aut lineam vt afficit viſuale, hoc eſt colorem, lucem, &c. Pro quo vide quæ diximus ſectione 4. quæſtionis primæ, numero 21. & 22. Si quis tamè velit ſpectare diſtinctionem ſubalternatæ à ſubalternante, dicet differentiam additam habere locum formæ, & ſubiectum materiæ, quia maximè conuenit formæ diſtinguere. Si verò ſpectet rationem demonſtrandi, ſubiecto contracto primum locum tribuet, quia principia demonſtrandi, ab illo deſumuntur.

SECTIO III.

Vtrum ad scientiam subalternatam spectet scire quia, *& ad subalternantem*, propter quid.

23. EX dictis de diuisione demonstrationis in libro præcedenti constat demonstrationē *propter quid*, illam esse, in qua non tantùm probatur passionē inesse subiecto, sed etiam ostenditur propter quid illi conueniat: demonstrationem verò *quia*, esse illam, in qua ostenditur, passionem quidem inesse subiecto, sed non propter quid illi conueniat, saltem adæquatè. Cum igitur Aristoteles 1. post. c. 10. expresè asserat, scientiam subalternantem scire *propter quid*: subalternatam verò scire *quia*, examinandum hic est quomodo illud intelligere oporteat: pro quo.

Sciendum est, duo in scientia subalternata, sicut & in qualibet alia scientia considerari posse, conclusiones nimirum, & principia, ex quibus conclusiones deducuntur. Vnde communiter duo ponuntur habitus in quauis scientia, scilicet habitus principiorum, & habitus conclusionum: & de vtrisque potest esse difficultas, an, & quomodo sciantur *quia*, & *propter quid*, à subalternante, & subalternata.

Circa primum, cùm principia proxima subalternatæ sint conclusiones, vel propositiones subalternatis, vt dictum est numero 6. constat inter omnes, ipsa sciri à subalternante, demonstratione *propter quid*, eo quòd à priori ex principijs euidentibus, & per se notis deducuntur. Excipi tamen debet Theologia nostra, cuius proxima principia sunt articuli fidei, qui non habent *propter quid* in Deo, nisi quoad euidentiam; quatenus scilicet eorum veritates immediatè videntur in essentia diuina per Theologiam Patriæ; in via autem tantùm obscurè; quâ cautione præsuppositâ.

24. Quæritur quomodo huiusmodi principia proxima sciantur à subalternata: circa quod triplex est sententia. Prima est quorumdam recentiorum, existimantium conclusiones subalternantis demonstrari à subalternata, demonstratione à priori, & *propter quid*; ac proinde non accipi ab ipsa tamquam probatas à subalternante. Verbi gratia ista propositio Geometrica, *latera circuli magis distant, quàm latera trianguli, aut alterius figuræ angularis*, ex qua Chirurgus infert vulnera circularia difficiliùs curari, non supponitur ab ipso Chirurgo, inquiunt, sed probatur ex ipsa natura circuli, qui est figura sine angulis.

Et similiter ista propositio Geometrica, *res magis distans videtur per minorem angulum*, ex qua Perspectiuus infert res distantes apparere minores,

nores, non ſupponitur ab ipſo Perſpectiuo, ſed demonſtratur à priori ex propoſitione 21. libri 1. elem. Euclidis, vbi habetur quòd quando ab eadem baſi producuntur lineæ æquales, quò propiùs coniunguntur, eò maiorem angulum efficiunt.

Verum hæc opinio multùm aberrat à veritate, quia ſi ſubalternata demonſtraret à priori concluſiones ſubalternantis, non diſtingueretur ab illa, neque illi ſubijceretur, quia diſtinctio, & ſubordinatio in hac re ſumitur ex diuerſis veritatibus, quæ de eodem ſubiecto demonſtrantur, cum dependentia vnius ſcientiæ ab alia. Adde quòd ſubalternata non ſciret hoc modo *quia*, ſed *propter quid*, tum de ſuis principijs, tum de ſuis concluſionibus, contra Ariſtotelem.

25. Secunda ſententia eſt Diui Thomæ 1. p. q. 1. a. 2. & q. 14. de veritate, a. 9. ad 3. opuſculo 70. q. 2. a. 2. ad 5. & 7. Caietani loco citato primæ partis: Complutenſium Carmelitarum, Ioannis à ſancto Thoma, & aliorum Thomiſtarum, huiuſmodi principia ſubalternatæ, teneri ab ipſa per fidem, quatenus credit ea eſſe certa, & à ſubalternante demonſtrata. Hæc opinio eſt probabilis, de qua agenus ſectione 4. ſed per eam non oſtenditur vtrum ſubalternata ſciat *quia* de principijs; nam illa credere non eſt illa ſcire, ſecundùm quod *ſcire* hic ſumitur. Vnde Diuus Thomas loco citato de veritate ait, *inferior ſciens non dicitur de his quæ ſupponit habere ſcientiam, ſed de concluſionibus, quæ ex principijs ſuppoſitis, de neceſſitate concluduntur.*

26. Tertia ſententia eſt, ſubalternatam ſcire *quia* de illis principijs, eo quòd certam, & euidentem de illis habet cognitionem, quamuis neſciat *propter quid* eorum. Ita Durandus q. 1. prologi, numero 52. hoc eſt ſub finem quæſtionis: & Gregorius Arimin. art. 4. ad 1. Talis autem certitudo, & euidentia cognitionis prouenit ex terminis, & ipſa experientia: quia ſunt aliquæ propoſitiones mediatæ, quæ aliqualem terminorum euidentiam præ ſe ferunt: vnde ſi intellectus experientiâ longâ adiuuetur, poterit certò cognoſcere illas eſſe veras, licet cauſam ignoret. Sic enim dximus ſupra q. 1. libri præcedentis, num. 57. & in fine ipſius libri, quædam prima principia inductione cognoſci, & habitum eorum, exercitio acquiri, cuiuſmodi eſt iſtud *omne animal eſt ſenſitiuum.*

Quando enim intellectus videt aliquod prædicatum conuenire ſemper, omnibuſque, & ſolis indiuiduis alicuius ſpeciei, rectè infert illis conuenire neceſſariò, quia quod natura ſemper facit, cenſeri debet neceſſarium. Hoc ergo modo Chirurgus diuturnâ experientia cognoſcit certò hoc principium, ſibi proprium, *vulnera rotunda tardiùs curantur* Similiter Perſpectiuus certò, & euidenter nouit hoc principium *quod prope eſt, efficit in oculo maiorem angulum viſualem; quod verò longiùs abeſt, efficit minorem*: vnde infert eamdem magnitudinem apparere minorem, quò longiùs diſtat. Muſicus quoque experientiâ certâ nouit ſextam eſſe melodiam imperfectam, ſed non probat: item hos & illos vocis tonos,

& proportiones efficere harmoniam, & concentum, licet propter quid, & causam à priori nesciat. *Et sic omnis scientia subalterna*, inquit ibi Durandus, *facit euidentiam de suis principijs quantùm ad quia est.*

27. Ratio huius opinionis est, quia istæ scientiæ subalternatæ non possunt esse scientiæ, si solùm credant sua principia, eo quòd conclusiones non possunt esse notiores principijs, ex quibus deducuntur; & ita si principia solâ fide teneantur, conclusiones non erunt euidentes, nec consequenter scientificæ, quia euidentia semper est scientiæ comes. Vnde negant isti authores Theologiam quæ pro principijs habet articulos fidei, scientiam esse. Ad hoc ergo, vt scientiæ subalternatæ sint veræ scientiæ, debent scire sua proxima principia cognitione certâ, & euidenti, saltem *quia*, vt explicatum est. Et hæc opinio est etiam probabilis, de qua sectione sequenti.

Dices: si scientia subalternata, euidenti, & certâ cognitione *quia*, sciat sua principia, nullo modo dependebit à subalternante, eo quòd cognitio *quia*, non dependet à cognitione *propter quid*, eiusdem conclusionis, vt constat: ergo non erit illi subalternata: quia, vt rectè docet Scotus in q. 3. prologi, q. 4. & 5. laterali, numero 29. in fine, subalternatio requirit, vt notitia principiorum scientiæ super oris, sit causa notitiæ principiorum inferioris.

Respondeo ex hac opinione scientiam subalternatam, in ratione scientiæ formaliter non dependere à subalternante. Cùm enim ex se sciat *quia* de suis principijs, habet rationem scientiæ ex se, eo quòd demonstratio à posteriori, seu *quia* est vera demonstratio, vt supra ostendimus, ac proinde veram generat scientiam. Dependet ergo tantùm ex parte scibilis, seu obiecti, quatenus principia subalternatæ sunt à parte rei demonstrabilia per principia subalternantis, contenta in eius obiecto. Et ita licet cognitio *quia*, possit haberi à subalternata de suis principijs, sine subalternante; non tamen cognitio *propter quid*, de qua loquitur Scotus citatus

28. Circa secundum, quod proposui nus: quomodo nimirum ad subalternantem pertineat scire *propter quid* quoad conclusiones subalternatæ; ad ipsam verò subalternatam scire *quia*, communis sententia est (cuius contrarium docere videtur Masius 1. post. c. 10. sect. 2. q. 4. conclusione 4.) hoc non ita intelligendum esse quasi vtraque versetur circa eandem conclusionem, altera demonstratione *propter quid*, altera *quia*. Hoc enim esset naturam vtriusque confundere, & rationes earum formales tollere. Nam Arithmetica, & Geometria abstrahunt à materia sensibili, vt visum est q. 1. cui Musica, & Perspectiua immiscentur. Item frustra darentur scientiæ subalternatæ, quia ad earum conclusiones sciendas sufficerent subalternantes: imò perfectiori modo eas demonstrarent, nempe à priori, & *propter quid*.

Debet ergo sic intelligi Aristoteles, vt optimè docet Caietanus 1. post.

c. 12. quòd subalternans sciat *propter quid* huiusmodi conclusionum, solitariè, abstractè, & in communi; non verò applicatè ad hanc materiam. Nam scire *propter quid*, solitariè, est cognoscere causam alicuius effectus non cogitando de ipso effectu, quatenus a tali causa potest oriri. Vnde Geometra, hoc ipso quòd naturam circuli in communi demonstrat, abstrahendo ab omni materia, & ostendendo latera eius, cùm careant inclinatione, & angulis, magis inter se distare, scit propter quid vulnera rotunda, seu circularia tardiùs sanentur, solitariè, & non applicatè, quia eius non est descendere ad materiam sensibilem, & de vulneribus tractare: sed Chirurgus vtens tali cognitione Geometricâ, hoc ita applicatè demonstrat, *Vulnus, cuius latera magis distant, difficilius curatur: circulare est huiusmodi; ergo &c.*

29. Similiter Geometra scit, propter quid obiectū, propè situm, apparet maius, hoc ipso quòd demonstrat duas lineas, ab eadem basi procedētes maiorem efficere angulum quò ad propinquius punctum concurrunt: non scit autem applicatè, quia nullo modo cogitat de obiecto visibili: Perspectiuus autem illud scit applicatè, & ita vtendo medio Geometrico, illud demonstrat, *corpora quæ videntur per maiorem angulum, apparent maiora; sed quæ propè sita sunt, videntur per maiorem angulum; ergo apparent maiora.* Vbi medium est Geometricum, & conclusio est tota Perspectiuæ.

Denique Musicus adiutus Arithmeticâ, sic demonstrat, *Vbi sunt soni cum proportione sesquitertia, ibi est consonantia: sed in Diatessaro sunt soni cum proportione sesquitertia: ergo in Diatessaro est consonantia* Vbi conclusio est Musicæ, & medium Arithmeticæ.

Quamuis autem huiusmodi demonstrationes sint *propter quid*: tamen quia scientiæ subalternatæ mutuantur earum principia à subalternantibus, nec illa habent ex mentis proprijs, ideò cognitio *propter quid*, tribuitur simpliciter subalternantibus: cognitio verò *quia*, per fidem, aut ex effectibus, vel inductione, & experientiâ, ipsis subalternatis: vnde tales demonstrationes *propter quid*, meliùs dicuntur confici ab artifice subalternato, habente vtramque scientiam, quàm ab ipsa scientia subalternata: & quia principia pertinent ad subalternantes; conclusiones verò ad subalternatas, rectè vocantur demonstrationes mixtæ, ab vtraque scientia dependentes.

30. Cæterùm quòd hæc sit mens Aristotelis, patet ex illius contextu capitis 10. citati, vbi hæc habentur sub finem: *hic enim ipsum quid esse ad eos pertinet scire, qui sensu vtuntur: ipsum autem propter quid est, ad Mathematicos ipsos: hi namque causarum demonstrationes habent, & sæpe nesciunt ipsum esse &c.* hoc est, pertinet ad eos, qui ad sensibilem materiam descendunt, vt Perspectiuus, & Musicus, scire scientiâ, & demonstratione *quia*, eò quòd experientiâ, & inductione res sensibiles attingunt: ad Mathematicos verò, hoc est, ad Geometram, & Arithme-

ticum, qui sibi alios subalternant, pertinet scire *propter quid*, cò quòd, licet ignorent, vtrum res in particulari sit, aut illo, vel illo modo se habeat; concludunt tamen in communi, propter quid sit, vt iam explicatum est.

31. Dices Theologia nostra subalternata est Beatæ: & tamen Theologica non habent *propter quid*; aut si habent, idem habent apud nos, & Beatos: vt si quæratur propter quid Deus est incarnatus, illi & nos dicimus, *propter humanam salutem*: ergo falsa est ista doctrina.

Respondeo: iam dictum est numero 7. & 10. illas omnes conditiones, initio huius quæstionis assignatas non conuenire omnibus scientijs, vel solùm acquisitis lumine naturali. Nihilominùs ista non deest Theologiæ ex mente Caietani, saltem quoad conclusiones, vt patet ex iam assignata: & quamuis nos & Beati dicamus de illis idem *propter quid*, non tamen eodem modo, quia illi euidenter, nos verò absque euidentia, quia per fidem. Dixi *saltem quoad conclusiones*, quia quoad principia non habent *propter quid*, in Deo, nisi in hoc sensu quòd veritates articulorum fidei, qui sunt principia proxima Theologiæ nostræ, immediatè videntur in essentia diuina: & ita ratione euidentiæ habent propter quid in Theologia Beata, cui subalternatur nostra, vt diximus numero 10.

32. Obijcies: demonstratio per causam remotam, est demonstratio *quia*, & non *propter quid*, vt constat ex dictis libro præcedenti, q. 5. numero 7. sed scientia subalternans demonstrat tantùm per causam remotam: istud enim principium, *latera circuli magis distant*, est tantùm causa remota huius conclusionis Chirurgiæ, *Vulnus rotundum difficilius curatur*, vt notum est: ergo scientia subalternans non demonstrat *propter quid* de conclusionibus subalternatæ.

Confirmatur, quia principium, quod subalternata accipit à subalternante, tamquam probatum, vel constat terminis ipsius subalternatæ, vel non? Si non: ergo non potest rectè dici principium illius potiùs quàm alterius scientiæ: si verò constat ex terminis eius proprijs, non poterit probari per medium subalternantis, quia tale medium erit quid communius, & latiùs patens, quàm passio, quæ demonstratur: sicut animal est latiùs patens respiratione, & causa remota illius, vt diximus eadem quæstione 5. & *ideo efficit* tantùm demonstrationem *quia*, vt patet in exemplo toties allato, *Vulnus circulare tardiùs curatur*: sumendo enim hoc medium geometricum, *latera circuli maximè distant*, sic formabitur syllogismus, *figura, cuius latera maximè distant, tardiùs curatur; sed Vulnus circulare est figura, cuius latera maximè distant: ergo Vulnus circulare tardius curatur.* Vbi maior est falsa, quia *curari* non est passio circuli, vel figuræ in communi, quæ vt sic, spectat Geometria.

33. Respondeo primò ad primum, negando demonstrationem per causam remotam non esse *propter quid*, saltem ex parte, vt loco citato, numero 8. diximus. Licet enim non sit causa adæquata, est tamen verè cau-

sa effectua, vt animal respirationis.

Respondeo secundò: *demonstratio per causam remotam non est propter quid, si fiat applicatè, transeat: si fiat solitariè, & abstractè, vt fit in præsenti casu, & vt explicatum est numero* 28. *&* 29. *nego.*

Respondeo tertio: *si causa remota, non est secundùm se sufficiens principium effectus concedo: si est secundùm se principium sufficiens, nego.* Est enim duplex genus causæ remotæ: altera est, ex qua non oritur effectus, nisi contracta fuerit per aliquam differentiam, vt animal non causat respirationem, nisi contractum *per habere pulmones* Altera est, quæ debet coniungi, & applicari alicui materiæ, vt ex illa nascatur effectus, licet alioquin secundùm se sit principium sufficiens alicuius, ex quo, tali materiæ applicato nascitur effectus, vt natura circuli non est causa huius passionis, *tardiùs sanari*, nisi applicetur materiæ sanabili, nempe animalis, non verò lignea, aut lapideæ. &c.

Quo fit vt in causam primi generis non debeat necessariò fieri vltima resolutio effectus; sed vbi incurritur in animal, habens pulmones, ibi sistitur. In causam verò remotam secundi generis debet necessariò fieri vltima resolutio effectus, quia est causa præcipua illius. Figura enim rotunda est causa præcipua in vulnere, *difficilis curationis*: & proportiones numerorum, quæ efficiunt consonantiam in sonis, conueniunt numero secundùm se. Item omnes Anguli, figuræ, &c quæ passiones perspectiuæ efficiunt in re visibili, conueniunt lineis secundùm se.

34. Ad confirmationem respondeo, huiusmodi principium debere constare terminis mixtis ex scientia superiori, & inferiori, vt videri potest in exemplis allatis numero 29. quia, vt bene probat argumentum, si constaret solis terminis superioris, medium latiùs pateret: passio enim non competit subiecto subalternantis, nisi vt restricto, & determinato per differentiam accidentalem, vt ostendimus sectione 1. neque potest oriri à tali differentia, nisi vt coniuncta est cum subiecto.

Vnde fit primò, vt passiones inferioris scientiæ non considerentur per se à superiori, quia non oriuntur à subiecto, aut à passionibus subiecti, secundùm se sumptis. Secundò, vt non demonstrentur *propter quid*, ab inferiori scientia, quia non oriuntur immediatè à differentia illa accidentali, seu à ratione essentiali subiecti sui, quatenus distinguitur à subiecto subalternantis, vt satis explicatum est supra: benè autem à subiecto, aut passione subiecti subalternantis adiunctâ illâ differentia accidentali.

SECTIO IV.

Vtrum subalternata sit scientia in non habente subalternantem.

35. TITVLVS iste supponit scientiam actualem subalternatam, habitam cum dependentia à cognitione actuali scientifica scientiæ subalternantis; atque adeò habitum, inde productum, esse verè, & propriè scientiam: quod nullus negare debet, quia tunc cognitio elicita habet omnes conditiones, ad scientiam propriam requisitas, vtpote quæ certa sit, & ex euidenti deducta principio.

Est ergo quæstio de cognitione habita à subalternata de conclusione aliqua, ex præmissis demonstrabilibus quidem à subalternante; at non cognitis euidenter ab eo, qui conclusionem ex illis deducit, sed tantummodo creditis ab eo, & præsuppositis vt veris, & certis in scientia subalternante. Quæstio, inquam, est, vtrum talis cognitio sit verè, & propriè scientia. Si enim verè sit scientia, consequenter habitus inde productus, scientificus erit, sin, secùs.

Circa hoc duplex est sententia, altera negatiua Scoti in 3. d. 24. q. vnicâ numero 18. Ioannis Pontij, disp. 22. q. 4. cum alijs Scotistis, quos sequitur Soncinas 2. Metaph. q. 6. Suarez disp. 1. sect. 5. Conimbricenses c. 10. primi post. q. 2. a. 2. Auersa q. 27. sect. 6.

Secunda sententia affirmatiua, satis communis est inter Thomistas: hanc tenet Capreolus q. 1. prologi, Ioannes à sancto Thoma hic, q. 26. a. 3. Complutenses Carmelitæ disp. 19. q. 3. Alijque multi, existimantes subalternatam acquisitam sine consortio subalternantis, esse verè scientiam substantialiter, solumque differre ab eadem acquisitâ dependenter à subalternante, tamquam imperfectum à perfecto: adeò vt habitus, ex præmissis creditis procedens, non desinat adueniente subalternante, sed perficiatur, & acquirat statum scientiæ, quæ in visione rei præsentis perficitur, vt loquitur Diuus Thomas, hoc est, in actuali euidentia principiorum. Vtrique autem opinioni videtur ipse fauere diuersis in locis. Vtriusque rationes hic habes, earumque solutiones.

PRIMA PARS SECTIONIS.

Subalternatam, acquisitam sine subalternante, non esse scientiam.

36. PROBATVR primò ex Aristotele 1. post. c. 2. paulò post initium, vbi ait scientiam demonstratiuam debere esse ex primis, & indemonstrabilibus principijs. *Nam ratiocinatio*, inquit, *sine his quidem esse potest; demonstratio verò non potest, scientiam enim non facit.* Ex quibus ostenditur non fore demonstrationem, & scientiam in eo, qui non poterit resoluere conclusionem in prima principia, & per ea demonstrare præmissas, si mediatæ sint.

Accedit Authoritas Diui Thomæ, tum ibi, tum in 3. sent. d. 33. q. 1. a. 2. quæstiuncula 4. vbi ait *si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia, naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum alijs scientijs, neque vniuocè scientia diceretur.* Et q. 14. de veritate a. 9. ait, *quæcumque sciuntur, propriè acceptâ scientiâ, cognoscuntur per relationem* (aut vt alij legunt) *per resolutionem in prima principia, quæ per se præstò sunt intellectui: & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur: vnde impossibile est quòd de eodem sit fides, & scientia.*

Cum ergo non habens subalternantem, non possit resoluere conclusiones in principia, sibi euidenter nota, quia tantum fide tenentur, ex oppositâ sententia; sequitur scientiam subalternatam non esse in eo propriè scientiam.

37. Respondeo Aristotelem ibi loqui de demonstratione *propter quid*, & de scientia perfecta, quæ per causam habetur: hoc patet ex verbis, paulò ante præcedentibus, dum ait, *an verò & alius sciendi modus sit posterius dicemus.* Quod præstat c. 10. Eruitur & alia solutio ex verbis sequentibus, quæ sic habent. *Scire enim non per accidens ea, quorum est demonstratio, nihil aliud est sanè, quàm demonstrationem habere.* Vbi illas particulas *non per accidens*, sic explicat Diuus Thomas: *hoc ideo dicit, quia possibile esset scire aliquam conclusionem non habentem demonstrationem præmissarum, etiam si essent demonstrabiles, quia sciret eas per alia principia sed hoc esset secundùm accidens.*

Hoc ergo modo artifex subalternatus scit conclusiones suas, quæ per se exigunt procedere à principijs subalternantis, & per accidens procedunt à fide eorum, vt diximus numero 7. Quod confirmatur expressè authoritate Aristotelis 6. Ethic. c. 3. vbi ait, *quando enim quodammodo cre-*

dit. & nota ipſi ſunt principia, ſcit Nam ſi non magis, quàm concluſio, ea nota ſint ſcientiam ex accidenti habebit.

38. Ad authoritates Diui Thomæ Reſpondeo, ipſum loqui de ſcientia perfecta, & habente perfectum ſcientiæ ſtatum, qui conſiſtit in actua li euidentia. Illa enim ſcientia, quæ euidentiam illam non habet, & quæ non poteſt actu reſoluere ſuas concluſiones in principia euidenter nota, non eſt vniuocè ſcientia cum alijs quoad ſtatum, licet quoad ſubſtantiam ſit vniuocè ſcientia, vt in ſimili diximus de prima ſpecie qualitatis, quæ cùm non habet perfectum ſtatum, dicitur diſpoſitio; cùm habet, dicitur habitus: & ita ſcientia dicitur perfici in viſione rei præſentis ex verbis ſancti Thomæ: ergo ex mente eius eſt ſubſtantialiter ſcientia, antequam fiat reſolutio in principia euidentia.

Vel Reſpondeo, ſi non poſſet reſoluere, aut actualiter, aut radicaliter, & ex propria inclinatione, non eſſet ſcientia, concedo: ſi non poſſet actualiter tantùm, nego. Quod clariùs ex ſequentibus manifeſtabitur.

39. Probatur ſecundò: omnis propriè dicta ſcientia ex primo poſter. c. 2. eſt cognitio certa, & euidens: ſed nulla concluſio ſubalternatæ, eſt cognitio certa, & euidens: ergo nulla ſcientia ſubalternata, eſt propriè ſcientia, ſi ſeparata ſit à ſubalternante. Minor probatur, quia concluſio non poteſt habere maiorem certitudinem, & euidentiam, quàm præmiſſæ, & principia, ex quibus deducitur, vt conſtat ex dictis libro præcedenti, multis in locis: ſed præmiſſæ ſunt ineuidentes, & incertæ, quia ſolâ fide humana creduntur: ergo concluſio poteſt ſolùm eſſe fides humana, aut opinio; non verò ſcientia: atque adeo non poteſt producere habitum veræ, & propriæ ſcientiæ.

Reſpondeo: *ſcientia propriè dicta, debet eſſe certa, concedo; euidens actu, nego.* Vel, *debet eſſe euidens inclinatiuè, radicaliter & ſecundùm exigentiam connaturalem, concedo: actualiter, & formaliter, nego.* Vel *ſcientia perfecta ſecundum ſubſtantiam, & ſtatum, concedo: ſecundùm ſubſtantiam tantum, nego.*

Euidentia quippe actualis in dicto loco poſteriorum non exigitur, ſed tantùm certitudo. Dico, *actualis*, quia reuera exigitur vt ab intrinſeco poſſit illam euidentiam habere, vt ita diſtinguatur ab habitibus, qui ſunt intrinſecè ineuidentes, & ideò nec petunt, nec inclinant ad euidentiam, qualis eſt fides, opinio, ſuſpicio, dubitatio. At verò ſcientia ſubalternata poſtulat ex ſe continuari cum ſubalternante, quia procedit ex principijs illius, eaque præſupponit vt certa, & euidentia in illa: atque adeò per ſe habet inclinationem ad huiuſmodi principia, vt euidentia ſunt, & ex conſequenti poſtulat plenam euidentiam per coniunctionem, & continuationem cum ſubalternante, licet ex parte ſubiecti priuetur tali continuatione actuali, quod eſt per accidens.

40. Ad illud verò quod dicitur in probatione, præmiſſas, ſiue principia.

cipia solâ fide teneri: atque adeò conclusionem debere eâdem fide credi, quæ fides est fallibilis; Respondendum est huiusmodi fidem, quâ principia illa creduntur certa, & euidentia, non esse rationem *per se* assentiendi conclusioni secundùm quòd talis fides est fallibilis, & fallibili authoritate fulcitur: sed secundùm quòd principia per eam præsupponuntur euidentia, & certa in subalternante: quemadmodum fides humana, quâ credimus aliquam propositionem esse definitam à Concilio, vel à Papa, aut quam damus alicui concionatori, explicanti, & docenti articulos Fidei, non est ratio essentiendi illis articulis per fidem infusam: sed tantùm conditio præsupposita, & necessaria, vt nobis persuasum sit propositionem illam esse definitam; ratio autem *per se*, est diuina veritas reuelans.

Pari ergo modo fides, quâ creduntur principia subalternantis, non est *per se* principium assentiendi conclusionibus subalternatæ, ratione credulitatis, & authoritatis fallibilis, sed pet accidens tantùm, quatenus per eam principia supponuntur certa, & euidentia in subalternante: & ita si quid agit, non agit virtute propriâ, sed subalternantis, quæ est habitus *per se* principiorum subalternatæ, vt dictum est numero 7. Vnde maiori firmitate adhæret conclusionibus, quàm quæ prouenit à tali authoritate fallibili: sicut maior, & altior est firmitas, quâ fidelis adhæret articulis definitis, quàm quâ credit miraculis, aut concionatoribus articulos fidei declarantibus.

Oportet tamen, vt sine hæsitatione, & formidine talia principia credantur vera, alioquin produceretur tantùm opinio: hoc autem contingit quando habetur quædam quasi euidentia in attestante, quia in illis principijs non conuenirent artifices subalternantes, nisi essent certa, & demonstrata.

41. Instabis: assensus conclusionis subalternatæ, innixus præmissis creditis, dicit dependentiam essentialem ad huiusmodi præmissas creditas: ergo est essentialiter ineuidens, non secùs ac fides, cui innititur: & ita non potest connaturaliter exigere euidentiam, sed potiùs non euidentiam, sicut assensus opinionis, & similes.

Præterea: si sufficit certitudo ad scientiam, propriè dictam, absque euidentia actuali, fides diuina, quæ certissima est, poterit dici scientia, quod absurdum est & inauditum.

Denique: sequeretur assensum opinionis posse habere certitudinem sufficientem ad veram scientiam, modò eius obiectum esset ex parte rei certum, & scientificum; quia certitudinem illam acciperet à scientia, quæ haberetur ab aliquo de tali obiecto. Si enim fides incerta influit certitudinem in virtute scientiæ subalternantis, quidni idem præstabit assensus incertus opinionis?

Respondeo ad antecedens, assensus conclusionis dicit dependentiam essentialem ad præmissas creditas, *vt præmissa, & principia sunt, tran-*

fcat, vt credita sunt nego: quia si adesset scientia subalternans, & sciens cognosceret euidenter illas præmissas esse veras, idem specie assensus eliceretur, differens ab alio tantùm accidentaliter, vt perfectus ab imperfecto, & vt actualiter euidens ab euidenti radicaliter, & exigitiuè, seu inclinatiuè: in quo differt ab assensu opinionis, aut fidei, etiam diuinæ, quæ essentialiter exigit esse de non visis, conformiter ad istam sententiam vt ostensum est quæstione præcedenti multoties.

Et ita patet solutio ad instantiam secundam, atque item ad tertiam: quia assensus opinatiuus nititur medio incerto, & fallibili (quidquid sit de certitudine obiecti) assensus verò subalternatæ nititur medio, seu principijs infallibilibus, licet non sibi euidentibus actu, sed præsuppositiuè tantùm.

42. Probatur tertiò: scientia, propriè dicta, est virtus intellectualis ex 6. Ethic. c. 3. virtus autem definitur *dispositio perfecti ad optimum actum*, 7. Phys. c. 3. textu 17. & approbat Diuus Thomas 1. 2. q. 17. a. 1. sed subalternata sine subalternante non potest prodire in actum optimum, qui est assensus euidens: ergo non est virtus intellectualis, nec consequenter scientia.

Confirmatur, quia sciens debet scire se scire, & consequenter debet scire principia. Denique habitus principiorum scientiæ, est altior habitu conclusionis: sed fides humana non est altior conclusione scientifica: igitur non potest esse sufficiens principium illius.

Respondeo, definitionem virtutis traditam conuenire scientiæ perfectæ secundùm statum, hoc est habenti actualem euidentiam: ac proinde subalternatam non esse in illo rigore virtutem intellectualem quoad statum, licet sit quoad substantiam, & inclinationem, quam habet, vt subalternanti continuetur: vnde non est opus vt in illo statu imperfecto possit proximè elicere actum optimum. Vnò verbo, scientia subalternata, si non continuetur cum subalternante, non est virtus intellectualis, sed inchoatio virtutis, vt loquitur Caietanus, 1. p. q. 1. a. 2. & ideò spectat ad eamdem virtutis speciem, nempe scientiam.

Ad primam confirmationem Respondeo: sciens subalternatus scit se scire subalternè, & consequenter cum dependentia à superiori.

Ad secundam respondeo: *habitus per se principiorum est altior habitu conclusionis, concedo: habitus per accidens, non est necessariò altior.* Quod dico, quia fides diuina est altior scientiâ quoad adhæsionem, licet non quoad euidentiam.

43. Probatur quartò: scientia subalternata, & subalternans sunt compossibiles in eodem subiecto, ex communi consensu: sed habitus acquisitus à subalternata ex principijs creditis, sine consortio subalternantis, non potest esse simul cum habitu subalternantis: ergo non potest habere rationem veræ scientiæ, cum subalternante continuabilis.

Probatur minor, quia ex Thomistis fides non stat cum euidentia de

eodem : sed adueniente subalternante aduenit euidentia præmissarum, seu principiorum proximorum subalternatæ : ergo habitus fidei, quo antea credebantur, euanescit : ergo & habitus conclusionum acquisitus dependenter ab illis præmissis creditis : quia sublato medio probatiuo conclusionis, tollitur ipsa conclusio, & amisso habitu principiorum, non potest subsistere scientia, quæ ab illis essentialiter dependet: huiusmodi autem habitus fidei, est veluti habitus primorum principiorum subalternatæ, quia illis solis nititur, nec alia nouit: & fides præmissarum est medium necessarium ad probandam conclusionem.

Confirmatur, quia si huiusmodi habitus conclusionum, acquisitus ex principijs creditis, remaneret cùm subalternante, ideò maximè, vt cum illa simul concurreret ad actus dependentes à subalternante: sed hoc dici non potest; ergo debet euanescere. Minor probatur, quia actus elicti à subalternata, dependenter à subalternante, & consequenter ex præmissis, euidenter notis, sunt specie diuersi ab actibus, ab eadem subalternata elicitis ex præmissis tantùm creditis, alioquin actus opinionis, seu fidei non distinguerentur specie ab actibus scientiæ: ergo habitus, per eos producti, specificè distincti sunt: ergo qui productus est ex præmissis tantùm creditis, non potest concurrere ad eos, qui dependenter à subalternante eliciuntur: non debet ergo propter hoc remanere.

44. Respondeo negando minorem: ad eius probationem dico fidem præmissarum euanescere, accedente earum euidentiâ per subalternantem: sed non ideo destrui habitum conclusionum, ex illis præmissis acquisitum; quin potiùs perfici, & statum scientiæ acquirere per continuationem cum subalternante, quia tunc principia fiunt illi euidentia; ad quam perfectionem inclinabat, vt potè illi maximè conformem, & connaturalem. Vnde simili ratione docet Caietanus 1. p. q. 1. a. 2. habitum principiorum *per accidens* Theologiæ, hoc est, fidem, non remansurum in Patria, bene autem scientiam, ex illis acquisitam, quia lumen diuinum obumbratum, est *per se* ratio assensus fidei: in Patria autem erit clarum lumen, cum quo non stat obscuritas, nec consequenter fides. Lumen autem diuinum absolutè est *per se* ratio cognitionis Theologicæ, vt scientifica est; & sic non includit secundùm se obscuritatem, ac proinde stat cum Theologia, hic acquisita, licet ex principijs obscurâ fide creditis.

Ad confirmationem Respondeo habitum conclusionum subalternatæ, absque subalternante acquisitum, esse eiusdem speciei, imò eumdem numero cum eo, qui accedente subalternante elicit conclusiones ex principijs euidenter notis; & sic potest assensus eiusdem speciei ante & post elicere, licet priùs non euidentes, postea euidentes; priùs imperfectos, postea perfectos, quia hoc accidentale tantùm discrimen importat, vt iam dictum est.

SECVNDA PARS SECTIONIS.

Subalternatam esse scientiam in non habente subalternantem.

45. PROBATVR primò authoritate Aristotelis 1. Topic. c. 1. quam affert Caietanus 1. p. q. 1. a. 2. Ibi enim definiens demonstrationem, ait eam esse ratiocinationem, quæ procedit ex primis, vel ex ijs quæ per prima, & vera fidem sumpserunt. Ergo ad demonstrationem sufficiunt principia, solâ fide credita, & à scientia superiori accepta.

Adest quoque expressa authoritas Diui Thomæ, multis in locis. Nam loco proximè citato primæ partis asserit Theologiam nostram esse scientiam sicut Musicam, & Perspectiuam, aliasque scientias subalternatas. *Vnde sicut Musica*, inquit, *credit principia, sibi tradita ab Arithmetico: ita doctrina sacra credit principia, reuelata sibi à Deo.* Quasi diceret, sicut ratio scientiæ reperitur in Musica ex principijs Arithmeticæ, solâ fide creditis: ita & in Theologia, licet eius principia fide solâ credantur. Quod confirmat 2. 2. q. 1. a. 5. ad 2. vbi loquens de principijs fidei, inquit, *ex his autem principijs ita probatur aliquid apud fideles sicut ex principijs naturaliter notis probatur aliquid apud omnes: Vnde etiam Theologia scientia est, vt in principio operis dictum est.*

Opusculo item 70. q. 2. a. 2. ad 7. sic ait, *aliquando fides est proximum principium scientiæ, sicut patet in scientijs subalternatis, quia earum conclusiones, sicut ex proximo principio procedunt ex fide eorum quæ supponuntur in superiori scientia.* Denique vt cætera loca omittamus, q. 14. de veritate, a. 9. ad 3. sic loquitur: *ille qui habet scientiam subalternatam, non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi inquantum eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem: nihilominùs tamen inferior sciens non dicitur de his, quæ supponit, habere scientiam, sed de conclusionibus, quæ ex principijs suppositis, de necessitate concluduntur: & sic fidelis potest dici habere scientiam de his, quæ concluduntur ex articulis fidei.* Ex quibus euidenter colligitur Diuum Thomam sentire scientiam subalternatam esse scientiam, licet imperfectam, etiam si eius principia sint solâ fide credita.

46. Respondeo, Aristotelem per fidem ibi intelligere assensum, & cognitionem certam, & euidentem; non verò à sola authoritate deriuatam. Addo non poni in græco *fidem*, sed *principium seu causam cogni-*

tionis sumpserunt. Vnde nihil inde concluditur.

Ad authoritates Diui Thomæ respondeo primò scientiam subalternatam esse scientiam secundùm se, & materialiter, quatenus eius argumentationes continent de facto veritatem, & conclusiones illius deducuntur ex principijs secundùm se euidentibus, & necessarijs: quamuis formaliter, & ex parte scientis non sit verè scientia, vt in simili respondimus de demonstrationibus Physicis in non habente Logicam, q. 5. proœmiali, num. 13. Licet enim principia non sint euidenter nota subalternatæ, non sequitur quòd secundùm se non contineant causam conclusionis, ad quam probandam assumuntur. Et si ea esset mens Diui Thomæ, certè planus esset quæstionis sensus.

Verùm Caietanus loco citato primæ partis contrarium censet, nimirum subalternatam ex mente Diui Thomæ esse scientiam, licet imperfectam. Sic enim ibi loquitur, *quòd Theologia nostra vt in nobis viatoribus non sit, aut sit scientia, vtraque pars potest sanè intellecta dici, & quòd non est scientia, scilicet non habet scientiæ rationem perfectam, quia non verè scit qui non potest resoluere in principia euidentia: & quòd est scientia imperfecta ratione status præsentis. Scientia enim imperfecta, non est extra latitudinem scientiæ: & hoc affirmauit hic litera.* Vnde Arauxo vocat cœcos aliquos Diui Thomæ discipulos, qui aliter eum intelligunt.

47. Respondeo secundò, Diuum Thomam in prædictis locis sumere nomen scientiæ latè, vt sumitur 6. Ethic. c. 3. pro habitu oppositio opinioni, & suspicioni, quo determinatè verum dicimus: vnde Scotistæ communiter dicere solent cum Scoto q. 3. prologi, in quæstione 4. literali, sub finem numeri 28. *Theologiam esse scientiam de sexto Ethicorum, non de primo posteriorum.* Quia igitur firmiter, & sine hæsitatione creduntur principia, ex quibus deducuntur conclusiones subalternatæ, hinc fit, vt producatur scientia, ab opinione distincta, in qua opinione semper adest hæsitatio, & formido ex mente Diui Thomæ, vt diximus q. 3. & ita rectè conciliantur omnia eius loca, absque eo quòd dicamus scientias subalternatas, esse verè, & propriè scientias. Nam neque Diuus Thomas his vsus est verbis, loquendo de subalternatis: benè autem loquendo de subalternantibus, & propriè acceptis scientijs.

48. Probatur secundò, quia habitus scientiæ subalternatæ, sine subalternante acquisitus, postulat naturâ suâ continuari cum subalternante: ergo naturâ suâ est habitus, verè, & propriè scientificus. Probatur antecedens, quia subalternata, etiam seorsim acquisita sine subalternante, procedit à principijs, à subalternante manifestatis; & consequenter præsuppositiuè euidentibus: ergo naturaliter, & per se inclinatur ad continuationem cum subalternante, ad habendam euidentem eorum cognitionem. Alioquin enim non procederet per se ab illis, quatenus manifestata sunt à subalternante: ergo est verè scientia, quod erat primum con-

sequens, quia habitus non scientificus, & extrinsecè inuidens, non potest inclinare, aut ab intrinseco postulare euidentiam. Et hæc est ratio fundamentalis huius sententiæ.

Respondeo negando antecedens. Licet enim scientia subalternata, secundùm quòd procedit ex principijs, & præmissis, euidenter notis per inductionem, & experientiam cognitione *quia*, iuxta tertiam sententiam, de qua numero 26. aut etiam secundùm quod ab ijsdem procedit beneficio subalternantis, *propter quid* cognitis; exigat continuari cum subalternante, quia sine tali continuatione scientia perfecta non est: tamen quatenus est habitus, ex præmissis creditis acquisitus, nullo modo naturaliter postulat cum illa coniungi, aut habere certitudinem, & euidentiam plenam, quia est omninò diuersus specie ab habitu acquisito ex ijsdem præmissis, euidenter cognitis: & ita non potest naturaliter postulare eamdem perfectionem, alioquin opinio, & fides eadem naturaliter exigerent conditiones, ac scientia.

49. Probatur tertiò: Musicus v. g. qui sua principia credit, ab Arithmetico demonstrata, habet sufficientem certitudinem, & euidentiam eorum ad conclusionem scientificam eliciendam: ergo subalternata, est verè, & substantialiter scientia absque consortio subalternantis. Probatur antecedens, tum quia Musicus credit Arithmetico, non vt homini, sed vt scientifico, & ideo non ducitur fide, propriè humanâ: tum quia clarè animaduertit quòd omnes Arithmetici, non reciperent illa principia, nisi certa essent, & demonstrata; & sic habet eorum quamdam quasi euidentiam, si non in seipsis, saltem in attestante; quod sufficit ad rationem substantialem scientiæ.

Nam certitudo, non verò claritas, pertinet per se primò ad illam, quia consequutio actualis veri, in qua consistit perfectio intellectus, & habituum eius, posita est in firma adhæsione intellectus ad ipsum. Talis autem firma adhæsio est certitudo: claritas verò est veluti conditio, & dispositio obiecti, vt talem adhæsionem, & firmiorem assensum veritatis in intellectu causet.

Denique assensus subalternatæ non procedit per se ab habitu fidei, sed ab habitu subalternantis: vnde fides substituitur tantùm per accidens ex parte subiecti, subalternante carentis; ideoque non agit virtute propria, sed virtute subalternantis; & ita non influit per se obscuritatem, sed certitudinem tantùm: atque adeò nihil affert repugnans assensui scientifico. Hic est discursus Collegij Complutensis Carmelitarum, ad quem.

50. Respondeo negando antecedens: ad cuius probationes dico ad scientiam propriè dictam non sufficere certitudinem sine euidentia, alioquin fides diuina, esset scientia; imò & humana, quia, vt supra ostendimus, & concedunt plures Thomistæ, potest ab illa abesse omnis hæsitatio, & formido ex parte subiecti, seu intellectus.

Præterea talis certitudo ex præmissis creditis, non potest esse nisi mo-

ralis : adeò vt intellectus, si reflectatur supra rationes credibilitatis, iudicet ibi posse subesse falsum, & ita careat certitudine Physica, seu Metaphysica, quæ ad scientiam necessaria est.

Tertiò: non potest certò scire Arithmeticum callere scientiam Arithmeticæ, nisi eam ipse calleat, vt notum est: & quamuis non dubitaret de scientia Arithmetici, posset tamen dubitare vtrum vellet proponere falsum pro vero.

Quartò, non apparet quomodo fides, ex se fallibilis, & incerta, possit certitudinem accipere à scientia existente in alio intellectu, quàm ipsius credentis.

51. Denique, quidquid certitudinis reperitur in præmissis creditis, vt creditis, fundatur in authoritate humana, quæ, cùm omninò incerta sit, non potest influere certitudinem scientificam in conclusionem. Dicere enim quòd fides influat per accidens, quatenus substituitur loco subalternantis, absurdum videtur, quia conclusio nullum potest recipere influxum per se à subalternante non existente: & ipse sciens subalternatus, præcisè assentitur conclusioni propter præmissas, vt creditas, quia ignorat *propter quid earum*: & ita respectu illius, conclusio per se pendet ab illis atque adeo non potest maiorem habere certitudinem, aut euidentiam, quam præmissæ: sed euidentia in illis nulla est; certitudo autem est tantùm fidei humanæ, & fallibilis: ergo non est scientifica. Et hæc sufficiant de tota Logica ad honorem, & laudem Dei, Sanctissimæque Virginis Deiparæ.

FINIS.

BIBLIOTHEQUE TOULOUSE UNIVERSITAIRE